INSCRIPTIONES
ANTIQVAE
IN ETRVRIAE VRBIBVS
Exstantes.





INSCRIPTIONES
ANTIQVAE
GRAECAE ET ROMANAE
IN ETRVRIAE VRBIBVS

PISIS. SENIS. FAESVLIS. PISTORII. PRATI. VOLATERRIS.
ARRETII . CORTONAE . CLVSII . POLITIANI
FINITIMISQ. LOCIS EXSTANTES

ADIECTA APPENDICE.

Pars Secunda

CVM NOTIS INTEGRIS

ANTONI FRANCISCI GORI

Publici Hiſtoriarum Profeſſoris.





FLORENTIAE. CIƆ.IƆ.CC.XXXIV.
TYPIS Ioſephi Manni ſub Signo S. IO: DEI.
SVPERIORVM PERMISSV.





In Museo Mediceo

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

NOBILISSIMISQUE COMITIBUS

CAROLO THOMAE
S T R O Z A E
ET FRANCISCO
GUICCIARDINIO
PATRICIIS FLORENTINIS

ANT. FRANCISCUS GORIUS F.





QUUM Immortali veſtro beneficio, veſtroque praeſidio fretus, PROCERES AMPLISSIMI, ſeptem ab hinc annis primus omnium in lucem emiſerim antiqua Monumenta litteris inſcripta, atque elegantiſſimas

tiſſimas Gemmas, quae in Florentinis Muſeis extant; Vobis hoc alterum Volumen dedicandum, veſtroque praeclariſſimo nomine, de re litteraria optime merito, inſcribendum eſſe cenſui, ne Vobis omnino ingratus vivam, aut moriar. Si quid enim in ſtudio, atque in cognitione Antiquitatis profeci, ſi qua in re viris doctis placui, Vobis certe debeo, qui ingenii mei, licet exigui, primitias, labores, lucubrationes omnes in ANTIQUAS INSCRIPTIONES, ſingulari cum humanitate, & favore excepiſtis. Vos animum excitaſtis meum, Vos ingenium acuiſtis, Vos in curſu haerenti calcaria addidiſtis; Vos de patriis antiquitatibus, atque ut ſperare libet, de litteraria republica, deque univerſa ferme Etruria optime mereri voluiſtis. Hoc eximium veſtrum beneficium, haec veſtra cura, ac ſtudium, haec veſtra in me incredibilis benevolentia numquam ex animo meo excidet, nullaque umquam oblivione poterit imminui atque deleri: nam, ut docet Plinius, „ quum benignum „ ſit, & plenum ingenui pudoris fateri per quos „ profeceris; fateor ingenue, ſemperque fatebor, me per Vos ita profeciſſe, ut, quod volebam, inclytae patriae meae latentes theſauros, omneſque venerandae Vetuſtatis reliquias in lucem animo lubens protulerim, meiſque, qualeſcumque ſint, obſervationibus illuſtrarim. Veſtra domus, veſtrum Muſeum antiquis ſignis, anaglyphis operibus, atque inſcriptionibus locupletiſſimum; veſtra Bibliotheca inſigni librorum manuque conſcriptorum codicum ſupellectile maxime

xime referta patuit mihi ſemper more maiorum veſtrorum, qui bonarum artium cultores omni humanitatis officio, atque honore ſemper ſuſceperunt, opibuſque identidem exornarunt. Dicendum nunc eſſet de pietate, prudentia, iuſtitia, morum candore ceteriſque animi veſtri dotibus pereximiis; ſed quum dixerim Vos optimarum artium ſtudioſorumque omnium fautores, ac Muſarum cultores eſſe optimos, omni certe virtutum genere ornatiſſimos Vos eſſe iam omnes perſpicue intellexerunt. Pulcherrime utrique veſtrum illud convenit, quod Plinius Secundus de Titinio Capitone praedicat in epiſtola
„ XII Libri VIII. Vir eſt optimus, & inter prae-
„ cipua ſaeculi ornamenta numerandus: colit ſtu-
„ dia, ſtudioſos amat, fovet, provehit, multo-
„ rumque, qui aliqua componunt, portus, ſinus,
„ praemium, omnium exemplum. Vobis igitur, OPTIMATES NOBILISSIMI, pro tantis, ac tam praeclaris in me veſtris meritis immortales gratias dum refero, humanitatem veſtram etiam atque etiam rogo atque obſecro, ut patrocinio veſtro has meas lucubrationes tueamini; ingeniumque meum ad alia, quae non minus utilia ſunt atque cumprimis ETRURIAE noſtrae glorioſa, alacriter capeſſenda, ut facitis, ſemper excitetis, veſtroque favore recreetis.

Florentiae XIV. Kal. Ian. CIϽ.IϽ.CC.XXXIV.

VIRO-

VIRORUM NOBILISSIMORUM NOMINA

QUIBUS TABULAE AERI INCISAE DEDICATAE SUNT

In Parte I.

TAB. I. *Illustrifs. & Reverendifs. D. D. Ioseph Mariae Martellio Archiepiscopo Flor. Sacr. Rom. Imperii Principi.*
II. *D. Petro Francisco de Riccis Senatori Flor. Sac. Ord. D. Steph. Pisani, & Flor. Athenaei Praesidi.*
III. *D. Pandolfo Pandolfinio Senatori Flor.*
IV. *D. Camillo Pandolfinio Senatori Flor.*
V. *D. Philippo Martellio Patric. Flor.*
VI. *D. Antonio del Rosso Senatori Flor.*
VII. *D. Carolo Gerinio Marchioni.*
VIII. *D. Andreae Alamannio Marchioni.*
IX. *D. Danieli VVray Armigero Anglo.*
X. *D. Rosso Antonio Martinio Patric. Flor.*
XI. *D. Laurentio Ridolfio Abbati.*
XII. *D. Francisco Ginorio Canonico Florentino.*
XIII. *D. Andreae Marchioni Del Monte.*
XIV. *D. Ioanni Baptistae Casottio Comiti, P. S. M. I.*
XV. *D. Ferranti Capponio Senatori Flor. Comiti & Equiti.*
XVI. *D. Gabrieli Abb. March. Riccardio.*
D. Pompeo Neri Abbati, Publici Iuris Professori in Flor. Athen.
D. Philippo Corboli Equit. S. Ord. D. Stephani.
XVII. *D. Thomae Dereham de Dereham Mag. Britanniae Baronetto, & Regiae Societatis Socio.*
XVIII. *D. Ioanni Gerinio March. & Senatori Flor.*
XIX. *D. Ioanni Cravvley Armigero Anglo.*
XX. *D. Petro Paulo Marcolinio Comiti, & Baiulivo Equestris Ord. D. Stephani.*
D. Leonardo del Riccio rei milit. Praef. ex Latere Principis.

VIRORUM NOBILISSIMORUM NOMINA

QUIBUS TABULAE AERI INCISAE DEDICATAE

In Parte III.

TAB. I. D. *Guglielmo Lock Anglo V. I.*
II. *D. Francisco Mariae Bondelmonti Equiti Sacri Ordinis D. Stephani.*
III. *D. Leonardo Cl. Senatoris Philippi Bonarroti Fil.*
IV. *D. D. Consulibus Artis Callismalae Mercatorum Florentinorum.*
V. *D. D. Praepositis Bibliothecae Roncioniae Pratensi.*
VI. *D. Iacobo Herbert de Kingsey in Com. Buck. Armigero.*
VII. *D. Camillo Antonio Buccaferreo Comiti, & Senatori Bononiensi.*
VIII. *Serenissimae VIOLANTI BEATRICI Vindelicorum, & Etruriae Magnae Principi, ac Senarum Gubernatrici.*
IX. *Eminentissimo Principi Nerio CORSINIO S.R.E. Cardinali, &c.*
X. *Excellentiss. Principi D. Bartholomaeo CORSINIO, &c.*
XI. *D. Henrico Comiti Vatzdorf Eq. Cl. aur. & ab Aul. Conf. Poloniae Regis Aug. apud Italos Principes Ministro.*
XII. *D. Ioseph Smith Anglo Venetiis.*
XIII. *D. Iacobo Philippo d' Orville I. C. Historiarum, Eloquentiae, & Linguae Graecae in illustri Amstelaedamensium Athenaeo Professori.*
XIV. *D. Andreae Baroni Franceschi.*
XV. *D. Edvvardo Gascoigni Magnae Britanniae Baronetto.*
XVI. *D. Beniamin Crovve Nob. Anglo.*
XVII. *D. Henrico Hovvard Nob. Anglo.*
XVIII. *D. Francisco Lorenzi, Comiti, & Baiulivo Eq. Ord. D. Stephani, Christianissimi Galliarum Regis a Negociis apud Etruscam Aulam.*

XIX. *D. Fulco Rinuccinio Marchioni, & Equiti Ord. D. Steph.*
XX. *D. Augustino Cerretanio Canonico Florentino.*
XXI. *D. Thomae Mostin Nob. Anglo.*
XXII. *D. Ioanni Lucae Albizi Marchioni, Equiti, & Senatori Florentino, & D. Francisco Comiti Strozae.*
XXIII. *D. Camillo Capponio Comiti, & Eq. Sacri Ord. D. Steph.*
XXIV. *D. Ioanni Baptistae Recanati Nob. Veneto.*
XXV. *D. Francisco Colman Magnae Britanniae Regis apud Etruscam Aulam Residenti, & Ministro Plenipotentiario.*
XXVI. *D. Thomae Lowvel V. Nob. Regni Magnae Britanniae.*
XXVII. *D. Conyers Middleton Academiae Cantabrig. Proto-Bibliothecario.*
XXVIII. *D. Francisco Head Angliae Baronetto.*
XXIX. *D. Carolo Thomae Comiti Strozae.*
XXX. *D. Francisco Comiti Guicciardinio.*
XXXI. *D. Ioseph Ridolfi Equiti Sacri Ord. D. Steph.*
XXXII. *D. Alexandro, & D. Petro Equiti Strozae, Caroli Th. Fil.*
XXXIII. *D. Paulo Victorio Equiti D. Stephani.*
XXXIV. *D. Iulio Morellio Priori Equestris Ord. D. Stephani.*
XXXV. *D. Cerchio Dominico Cerchi Senatori Flor. Equiti Sacri Ord. D. Stephani.*
XXXVI. *D. Scipioni Maffei Marchioni a Cub. Reg. Sard. & ab aur. Clave Elect. Bavar.*
XXXVII. *D. Ioanni Michaeli Comiti, & Baroni Pierucci.*
XXXVIII. *D. Gregorio Redio Patricio Arretino, Baiulivo Eq. Ord. D. Stephani.*
XXXIX. *D. D. Nicolao Marcello Venuti, Eq. Sacri Ord. D. Stephani, & Academicis Etruscis.*
XL. *D. Henrico D. Colerene Nob. Anglo.*



ANT.



Sarc. in Aed. D. Corb. Del Nero. Long. P. IV. V. III. alt. et Lat. P. I.

ANT. FRANCISCUS
GORIUS
LECTORI
AEQUO HUMANOQUE.



SERIUS quam par erat, ingenue fateor, serius etiam quam in votis fuerat ex ergaſtulo ſuo dimiſsa in lucem prodit altera Pars INSCRIPTIONUM ANTIQUARUM, quae in ſingulis ETRURIAE noſtrae Urbibus hoc tempore exſtant. Primum ſponte me currentem, ſedulaque cura in hoc qualecumque opus, iam multo antea praelo commiſsum, incumbentem, retardavit inſigne Monumentum, ſive Columbarium Libertorum, ac Servorum LIVIAE AUGUSTAE, & Caeſarum, in via Appia detectum anno MDCCXXVI. quod meis obſervationibus illuſtratum publica luce donavi ſequenti anno. Poſtmodum detectum antiquitatis theſaurum bono litterariae reipublicae protuli, nimirum ANTIQUAS INSCRIPTIONES DONIANAS, votis omnibus a viris

doctis diu desideratas; quas immenso labore undique collegit Vir Praestantissimus Ioannes Baptista DONIUS Patricius Florentinus: quo quidem in volumine evulgando quantum & ipse vigiliarum curarumque exhauserim, ii facile intelligunt, qui Syntagma illud insignium monumentorum vel legere, vel aequo animo expendere iam dignati sunt.

Inter haec animo meo, antiquarum rerum cognitione, ac studio mirifice flagranti, oblatum est praeclarum opus MUSEI FLORENTINI, a nemine numquam antea spe conceptum, ne dum tentatum; in quo insigniora vetustatis monumenta, quae Florentiae, ac praesertim in Regio MEDICEO THESAURO exstant, exhibentur; quod consilio hortatuque Eminentissimi Principis S. R. E. Cardinalis NERII CORSINI, CLEMENTIS XII. Pontificis Optimi Maximi, feliciter Christianam Rempublicam moderantis ex Fratre Nepotis, faustis omnibus auspiciis incoeptum est, impensisque tum eius, tum nobilissimorum Procerum Florentinorum, qui patriae gloriae studiosissimi sunt, eo perductum, ut intra quatuor annorum spatium, tria Volumina, quae Gemmas, & Statuas antiquas continent, meis observationibus aucta in lucem prodierint.

Haec quidem (ut alia quaedam taceam levioris momenti opuscula, nuper edita) ut opinor, sufficere possunt ut huius meae cunctationis veniam consequi facile possim a viris humanissimis, praesertim vero ab his, qui meis hisce lucubrationibus tum gloriae, tum adiumento maximo fuere: nam ex his quae notavi perspicuum est me nec desidia, nec otio emarcuisse.

Propter rerum copiam sensim hic liber meis notis atque explicationibus exornatus, ad eam molem currente rota pervenit, ut in aliud tertium Volumen necesse fuerit conferre XL. Tabulas iam diu aeri incisas, Virisque nobilissimis dedicatas, uti Index paullo ante editus declarat. Singulas meis observationibus fusius illustratas in eodem tertio Volumine accipies, humanissime Lector. In his Tabulis diligentissime caelata sunt SEPULCRA ANTIQUA, anagly-

glyphico opere insignia, e quibus quantum lucis adferatur antiquae Gentium Mythologiae, ac Theologiae vetustisque scriptoribus, non est ut hoc loci pluribus dicam. Accedent INDICES luculentissimi rerum omnium, quae in iisdem tribus Voluminibus adferuntur; ac primum ille in modum Gruteriani, ac Reinesiani confectus; deinde alter rerum, quae in observationibus adnotantur.

In hoc igitur Volumine, sive Secunda Parte, quam tibi offero, benevole Lector, habes Inscriptiones antiquas, quae in omnibus Etruriae nostrae Urbibus hodie visuntur. Primum se se offerunt PISANAE, quas ego ipse ex archetypis lapidibus multa adhibita diligentia exscripsi. Pisana, ut aiunt, Cenotaphia sublatis non paucis mendis, nitidiora, & castigatiora profero, ut inferius conferentibus patebit pagg. 6. 7. 8. quod non tam bene praestitit magnus antiquitatis vindex Henricus Norisius.

SENENSES Inscriptiones adlatas pag. 53. mecum humanissime communicavit Vir Nobilissimus Ubertus Benvoglientius, de patriae gloria, ac splendore, deque litteraria republica optime meritus, qui nuper summo civium moerore fato functus est.

Has sequuntur FAESULANI lapides, aliaque eximia monumenta: inter quae illud profecto rarum atque insigne est in tota antiquatis supellectile, quod nunc primum in lucem mitto pag. 104. in quo celebre *Ascoliorum* certamen, quod in usu etiam apud Etruscos nostros antiquos fuit, exhibetur.

Post haec depromo PISTORIENSES, & PRATENSES vetustos lapides, aliaque priscae eruditionis referta cimelia. Vetustum laterculum militum cito pag. 123. ex quo discimus Pistorium, uti nunc dicimus, ab antiquis adpellatum fuisse neutro genere, ac plurali numero PISTORIA: quare commissum lapsum corrigo, & pro C. VERATIVS SEVERVS PISTORIS, reponendum moneo, uti in eodem laterculo legitur,

C. VIBIVS VERVS PISTORIS.

Bi-

Bisentium vetus Etruriae oppidum fuisse ex Geographiae scriptoribus habemus. Alium ex Ursino adfert lapidem Gruterus pag. C. num. 5. quem apud Bisentium Etruriae oppidum exstare testatur: quare ad Bisentium, quod Pratum interfluit, nihil pertinent quae adnotavi pag. 127. in principio. Pag. 131. habes aeri incisa parva quaedam signa Praestitum Deorum, seu Larium ex aere, quae paucis ab hinc annis inventa sunt, non in substructionibus, ut dixi, sed in quodam praedio, quod iuris est Ecclesiae Beatae Mariae Virginis Imprunetae. Eadem inter Cimelia sua servat Vir Clarissimus mihique amicissimus Comes Ioannes Baptista Casottius, qui eidem Ecclesiae praest, quaeque aeri incidenda curavit, & mecum humanissime communicavit.

Succedunt his pag. 147. antiquae Inscriptiones, quae VOLATERRIS exstant, quas ipse exscripsi quum nuper in eam Urbem me contulissem, ut observarem insignia complura veterum Etruscorum Sepulcra paullo ante eruta in quibusdam Cryptis, & Sepulcretis Etruscis, quae diligenter delineanda curavi.

ARRETIUM, si Pisas excipias, longe omnes alias Etruriae civitates superat veterum Inscriptionum copia, quae a pag. 189. usque ad 344. producuntur, & illustrantur. De Patronis, eorumque hospitali tessera & cooptatione fusius dissero pag. 198. quam spartam non tam late ab aliis occupatam esse animadverti; quamvis alia multa dicenda supersint. ARRETINOS omnes lapides summa cura, & diligentia exscripsit Vir Clarissimus Gregorius Redius Equestris Ordinis D. Stephani Baiulivus, quos mecum communicavit cum eruditissima Epistola, in qua de Arretinis antiquitatibus disserit, quam proferimus pag. 213.

Deinde sequuntur antiqua marmora CORTONENSIA, quae accepta refero Cl. Viro Philippo Venuti Canonico, & Patricio Cortonensi, inter Academicos Etruscos eruditione, & ingenio conspicuo, qui ex autographis accuratissime exscripsit. Multa frequenter antiqua monumenta, praesertim

ſertim Etruſca, in agro Cortonenſi eruuntur; e quibus inſignia non pauca in ſuum Muſeum contulit Vir Nobiliſsimus veterumque elegantiarum ſtudioſiſsimus Galeottus Coratius ex Equeſtri Ordine S. Stephani, quae aliquando in lucem proferam. De eiuſdem Urbis antiquitate, ſplendore, & gloria per epiſtolam infra editam pag. 363. pererudite diſſeruit Vir ornatiſsimus, ac ſplendidiſsimus Nicolaus Marcellus Venuti Eques Sacri Ordinis D. Stephani, praeclaro munere in eo functus.

Poſt haec in lucem mitto antiquos omnes inſcriptos lapides, quos apud CLUSIUM, & POLITIANUM nuper exſcripſi. Politiani celebre eſt Muſeum Etruſcis praeſertim monumentis maxime refertum, quod exornavit Vir Illuſtriſsimus Petrus Bucellius, quaeque mecum lubentiſsime communicavit.

Accedit in hoc Volumine APPENDIX non paucarum Inſcriptionum vetuſtarum, quae ſerius quam oportebat mihi innotuere; quaeque Florentiae, atque in ceteris Etruriae Urbibus praetermiſſae a me fuerunt. Has inter ea inſignis eſt, quae ad equeſtres ludos pertinet, continetque equorum nomina, & patriam, atque palmarum numerum, quas curſu ſibi compleverunt. Dimidia parte aucta eſt, quae acceſſit ex Collectaneis Ioannis Baptiſtae Donii, qui iamdudum diligenter eam exſcripſerat antequam intercideret. Omnes autem Inſcriptiones, quae in hoc Volumine vulgantur & illuſtrantur ſunt ferme DC. His igitur meis laboribus utere felix, amice Lector, & vale.



CELEBERRIMI VIRI
ANTONII MARIAE
SALVINII

In patrio Athenaeo Graecarum Litterarum Profeſsoris


TETRASTICHON EXTEMPORANEUM
IN LAUDEM HUIUS OPERIS

QUOD IN DOMESTICA ACADEMIA DIXIT ANNO CIↃ. IↃ.CC. XXVI.

GORIUS antiquos lapides miratus, honorem
Priſcis atque tibi TUSCIA docta dedit.

Auguror, ingentis ſurgunt monimenta laboris
Dulcis, & aeternum Fama tenebit iter.





INSCRIPTIONES
ANTIQUAE
PISIS.

Praegrande marmoris fragmentum in exteriore pariete maioris Basilicae ad meridiem.

1. CERERI SACRVM
AVG LIB ACTE





ISIS, antiquissima, ac nobilissima Etruriae Urbe, Cereri Templum sacrum fuisse, ex hoc marmore intelligimus, quod epistylii eiusdem AEdis fragmentum esse videtur. Dicatum fuisse ab Acte Augusti Liberta, perspicue docet eadem inscriptio. Quae vero haec fuerit Acte, an famosa illa Claudia Acte, Neronis Caesaris liberta, & pellex, quam, ut ait Suetonius c. 28. *paullum absfuit, quin iusto matrimonio sibi copularet;*

 sub-

submissis consularibus viris, qui regio genere ortam peierarent; an vero aliqua alia, satis non constat. Videndus Fabrettus, qui plures Inscriptiones congerit Cap. III. Inscr. Ant. pag. 124. 125. in quibus Acte Augusti Liberta, eiusque luxus, potentia, fastus, ex vario libertorum, quos habebat, ministerio, memoratur. Alia quoque plura Deorum Templa Pisis fuisse colligimus ex Coloniae Iuliae Pisanae Decreto, quod peraccurate ex autographo a me descriptum, & recognitum, paullo infra subiicio; in quo parentalia in honorem Caii Caesaris, Augusti Filii, quotannis, certo ritu celebranda iubentur; itemque cunctos, mutata veste, templis Deorum immortalium, balneisque publicis, & tabernis omnibus clausis, convictibus sese abstinere, matronasque Pisanae Coloniae sublugere, decernitur. Verum hodie nedum Templa, verum ne vestigia quidem eorumdem supersunt. Duo Pisis praegrandia capitula marmorea, anaglyptico opere insignia observavi, quod ab aliis hactenus notatum non video, in exteriore dextro pariete Ecclesiae D. Felicis collocata, quae columnarum alicuius vetusti, ac magnifici Templi pulcherrima ornamenta fuisse non levi coniectura assequor. Primum praefert Iovis, umbilico tenus, simulacrum; circa quod devictarum gentium arma in tropaeum hastis imposita, & erecta: alterum Harpocratis, item inter similia tropaea, silentium manu indicentis, sigillum. Complura huius generis capitula, quae Romae vidit, describit Philander in M. Vitruvii de Architect. Lib. III. Cap. II.

Pisanam Coloniam, terra marique priscis seculis potentem, Theatrum, Amphitheatrum, aquaeductus, nymphea, aliaque huius generis splendidissima aedificia habuisse nullus dubito. Thermarum Pisanarum quanta fuerit amplitudo, ac magnificentia ex parietinis, & ruderibus, quae hodie supersunt ad Portam Lucensem, facile cognosci potest. Superest adhuc integrum unicum Balnearum Sudatorium, quod descripserunt eximii viri Franciscus Robertellus, & Franciscus Maria Ceffinius, Equestris Ordinis, pur-

purpura, & eruditionis laude eminentissimus Henricus Noris in Cenotaph, Pis. Dissert. III. Cap. II. qui etiam Scenographiam exhibuit; ad quos studiosum Antiquitatis Lectorem mitto. Non abs re vero me facturum puto, si duas Inscriptiones subiiciam, paucis ab hinc annis ibidem positas, quae ab eloquentissimo, doctissimoque Benedicto Averanio, in Pisano Athenaeo Literarum Humaniorum Professore, compositae fuerunt. Paginae angustiis inservientes, non iisdem lineis, uti exaratae sunt in marmoreis tabulis, eas repraesentamus.

D. O. M

PARIETINAE QVAS VIATOR ASPICIS RELIQVIAE THERMARVM SVNT QVIBVS ANTIQVITVS PISANA CIVITAS VTEBATVR. HARVM QVVM RELIQVAS PARTES TEMPVS EDAX CONSVMPSERIT SVDATORIO DVMTAXAT PEPERCIT QVOD NEC INNVMERABILI ANNORVM SERIE NEC BARBARORVM INIVRIIS EVERSVM STVDIOSOS VETVSTATIS OCVLOS AD SE ALLICIT. ID INGREDERE ET ATTENTIVS CONTEMPLARE SI RERVM ANTIQVARVM STVDIO DELECTARIS. VIDEBIS INTEGRAM AEDIFICII FORMAM OBSERVABIS RATIONEM LVMINVM ET QVOMODO CALOR PER TVBOS IMMITTERETVR. NIHIL NOTITIAE TVAE SVBTRACTVM QVERERIS. NEC FACILE QVICQVAM ALIBI IN HOC GENERE INVENIRI POSSE PERFECTIVS AFFIRMABIS. ET SIMVL GRATIAS AGES PROVIDENTIAE SERENISSIMI COSMI III. MAGNI ETRVRIAE DVCIS QVI NE HOC ANTIQVITATIS INSIGNE MONVMENTVM FVNDITVS INTERIRET EIVS CVRAM DILIGENTEMQVE CVSTODIAM IMPERAVIT AN. CIↃ. IↃ. CXCIIV.

D. O. M.

SEX VIRI QVI PARTHENONEM VBI PARENTIBVS ORBAE VIRGINES ALVNTVR ET EDVCANTVR QVI VVLGO CHARITATIS DOMVS APPELLATVR MODERANTVR EIVSQVE REM ADMINISTRANT. QVVM AD SVVM IVS DITIONEMQVE PERTINEAT HIC LOCVS IN QVO SVDATORIVM THERMARVM PISANARVM TOT SECVLIS TOT CASIBVS MANSIT INVICTVM. ET OFFICII SVI MINIME NEGLIGENTES ET MAGNI DVCIS IVSSIS OBTEMPERANTES ET ANTIQVITATIS REVERENTIA MOTI RELIQVIAS TAM VETVSTI TAM INSIGNIS AEDIFICII OMNI OPE ET CVRA TVENDAS ET CONSERVANDAS CENSVERVNT AN. SAL. CIↃ·IↃ·CXCIII.

MAGISTRATVM GEREBANT

EQVES GASPAR LEOLVS
EQVES IOANNES BAPTISTA NERVIVS
EQVES ONVPHRIVS MOSCA
IVLIVS GAETANIVS
TIBERIVS GVALANDIVS
IOANNES LANFRANCHIVS CHICCOLIVS.

Iam cetera ſplendidiſſima Piſanae Coloniae aedificia pervulgata ſunt ex ſequentibus Tabulis, decretis inferiarum, inciſis, in honorem Lucii, & Caii Caeſarum; Arcus nempe celeberrimo in ea loco conſtituendus, ornatus ſpoliis devictorum gentium ab eodem C. Caeſare; ſuper quem ſtatua pedeſtris ipſius triumphali ornatu, circaque eam duae equeſtres inauratae Caii, & Lucii Caeſarum poſitae: Theatrum, & Circus, in quibus Ludi ſcenici, & Circenſes, eo die quo mortem obiere, in perpetuum fieri, & ſpectari prohibentur; Balnea publica, Forum, & Auguſteum, AEdes ſcilicet ſacra, Baſilica, ſeu Sacrarium Auguſto dicatum in Foro, & de eius nomine Auguſteum, σεβαςεῖον appellatum; in quo, quum nefas eſſet in loca non ſacra, Sena-

tum

tum Romae, Decuriones in Municipiis, seu Coloniis convenire, universi ordines Pisanorum coirent. Ita Ferentini in patronum cooptaturi suum, hospitali tabula, decreto incisa; T. Pomponium Bassum, Clarissimum Virum, in Curia AEdis Mercurii consensere. Vide Par. I. Inscr. Ant. Etr. pag. 65. Plebiscita pariter sacro in loco facta observo ex Reinesiana Tabula Cl. I. n. X. scilicet IN. FORO. PRO. ROSTRIS. AEDIS. DIVI. IVLI.

In Decreto, quod sequitur, Pisani Magistratus de augendis honoribus L. Caesaris consentiunt; data cura C. Canio Saturnino Duumviro, & Decemprimis, ut delecto magis idoneo loco, empto publica pecunia a privatis, approbatoque, ad Aram in eo constitutam, quotannis ante diem XII. Kalendas Septembres solenni ritu, ac funebri pompa, publice, vel si qui privatim velint, Manibus eius inferiae mittantur; cippoque grandi secundum aram defixo, hoc Decretum cum superioribus ad eius honorem pertinentibus incidatur, sculpaturve. Ex quibus perspicue intelligimus ante hoc, quod exstat, alia Decreta a Pisanis Magistratibus condita fuisse in honorem L. Caesaris, quae eo in loco, ubi haec inventa sunt, scilicet ante regiam ianuam Pisanae Basilicae fortassis hodie delitescunt, omnique cura tunc fuerant, & nostro quoque aevo essent anquirenda. Haec pariter decreta in publicas tabulas referri per Scribam publicum mandatur. Constat siquidem columnas Decretis inscriptas, in fanis consecratas fuisse, earumdemque apographa exemplaria in publicis archivis reposita; quod etiam factum de Sepulcrorum honorariis inscriptionibus testantur Marmora Oxoniensia pag. 130. n. LXXIX. & edita a Sponio in Miscellaneis pag. 351. n. 8. Legati insuper a Pisanis missi ad Imperatorem Caesarem Augustum, qui ea omnia quae decreta sunt, adprobante Romano Senatu, facere exsequique permitteret.

2. Quan-

2. Quantum haec Pisanorum Decreta, in honorem Lucii, & Caii Caesarum, Historiae, atque eruditionis fines amplificarint, compertum satis est ex Dissertationibus praelaudati celeberrimi viri Henrici Noris, qui ea luculentissime explicavit, omnique doctrinae, & eruditionis fruge refersit; quem operae pretium est adeat Lector, qui Antiquitatis cognitionem admiratur, & colit. Quod ad rem nostram attinet, ea hic tantum notare libet, quae ad genuinam eorumdem scripturam spectant, a qua in his Noris abfuit, quae αὐτόπτης deprehendi.

In 2. versu Noris habet, Q. PETILIVS. Marmor Q. PETILLIVS. In pluribus inscriptionibus Gruteriani Thesauri unico L scriptum Petiliae familiae nomen. Clarum Petillii nomen ex tessera gladiatoria penes Fabrettum Inscr. Ant. Cap. I. pag. 39. n. 197. qui dominus fuit Rufionis Gladiatoris, qui spectavit Idibus Novembris, C. Iulio Caesare III. M. AEmilio Lepido Consulibus A. U. 708.

In fine 6. versus, Noris exscripsit, MAXSVMI. Marmor habet, MAXVMI.

In fine 12. versus, STVDIO; reliqua quae sequebantur deleta, antiqua manu; quod omisit Noris. Ita quoque, ut in marmore, descriptum legi in apographo Bibliothecae Stroziae Florentiae, quod ex alio persimili charactere, Marcelli Hadriani mihi visum est. Nec Reinesius omisit Cl. VII. n. 12. & 13. licet pluribus mendis inquinata haec Decreta dederit.

Versu 13. Noris habet; C. CANIO. SATVRNINO. II VIRO. Marmor, II. VIR.

Versu 15. Noris omisit apices in his locis; PECVNIÁ. A. PRIVATIS.

Versu 17. Noris exhibet; EOSQVE. QVI. IVRI. &c. Marmor, EOSVE.

Versu 19. Noris, ÁTRI. INFVLIS. Marmor, ÁTRI. INFVLIS.

Versu 26. Noris, COMPONATVR. Marmor, CONPONANTVR.

In fine versus 29. Noris, AD. EIVS. Marmor, AD. EI. τὸ VS abest.

Versu 30. Noris, QVOD. AD. Marmor QVODAD. Fors QVOAD, ut in pluribus aliis inscriptionibus eodem sensu legitur.

Versu 31. Noris, CAVERIQVE. Marmor, CAVERIVE.

Versu 33. Noris, IMPER. CAESARE. Marmor, IMP. CAESARE. idest, *Caesarem*.

Tempus inferiarum quotannis mittendarum L. Caesari per Magistratus Coloniae Obsequentis Iuliae Pisanae, togis pullis amictos, ut vidimus, notatur A. D. XII. KAL. SEPT. qui dies ab eo discrepat, qui praescriptus est in Fragmento Tabulae Musei Albani, Antii erutae, cui subiectum est non integrum Romanum vetus Kalendarium, quod edidit Clariss. Praesul Franciscus Blanchinus in fine Plolog. Tom. II. in Vitas Pontificum Anastasii pag. ccxxi. in quo scriptum. XIII. Kal. Sept. INFER. L. CAESARIS; quae melioribus curis eruditorum expendenda relinquo. Fabrile erratum manifesto ostendi in vetusta nostra Tabula Par. I. Inscript. Ant. Etruriae pag. 136. n. 64. in qua Coloniae Florentinae Decuriones, Natales dies Augusti, & Tiberii Caesarum, & Liviae Augustae, quotannis divinis honoribus, ludis, & statuarum dedicationibus celebrandos censent; in qua Natale Augusti notatur VIII. KAL. OCTOBR. quum in aliis vetustis monumentis VIIII. KAL. OCTOBR. signetur.

Huic marmoreae Tabulae sequens titulus additus, qui summatim quae decernuntur exponit.

COLONIA IVLIA PISANA NVNCIATA MORTE
L. CAESARIS AVGVSTI F. CENSVIT QVOTANNIS
INFERIAS ILLIVS MANIBVS CERTO RITV
MITTENDAS PER MAGISTRATVS EOSVE
QVI IBI IVRI DICVNDO PRAEESSENT
POST VRBEM CONDITAM ANNO ƆCCLVI.
CHRISTI VERO ANNO IIII.

Alte-

3. In principio omnium versuum huius Tabulae, ubi minusculae literae diversi characteris positae sunt, ab imo ad summum marmor in duas partes scissum est, eoque in hiatu suppletae literae desunt. Primae lineae, quae exhibetur a Noris, aliqua vestigia apparent.

Versu 8. Noris exhibet, CAIVM. CAESAREM. Marmor, C. CAESAREM.

Versu 16. Noris habet, PRONI. NOSTRI. Marmor, PATRONI. NOSTRI.

Versu 18. Noris, QVANDO. EO. CASV. Marmor, QVANDO. EO. CASV.

Versu 25. Noris, A. D. VIIII. K. MARTIAS. Marmor, A. D. VIIII. K. MARTIAS.

Versu 50. Noris, CAESARI. AVGVSTO. PONTIFICI. Marmor, PONTIF.

Versu 56. Noris, OBSERVARIQVE. VTIQVE. L. TITIVS. Marmor, OPSERVARIQVE VTIQ. L. TITIVS.

Versu 57. Noris, EX. DECRETO. Marmor, EX. DECRET.

Praeterea Noris multis in locis puncta interdum vel praetermisit, vel de suo addidit; apicum sedem mutavit, nec eodem modo, ut in marmore visuntur, repraesentavit. Nam tria apicum genera in his Tabulis observantur. Primus Graecum accentum *acutum* refert, secundus *gravem*, tertius lenem aspirationem, hoc modo, quos interdum variat Noris; adeoque pro gravi accentu lenem aspirationem ponit, & pluribus in locis I longum, uti in marmore sculptum est, non exhibet.

Illud quoque indicandum videtur in his Pisanis Tabulis, Augusteo aevo scriptis, quas non semel diligentissime, & oculatissime observavi, multo plures notari apices, sive accentus, quam pronuntiarint Christophorus Cellarius in Orthographia Latina, & Fabrettus Inscr. Ant. Cap. III. pag. 168. nam in Lucii Caesaris Decreto supra quinque voces, in Caiano vero supra decem sculpti sunt; itemque non raro scriptum est A, hoc modo Λ, absque

absque transversa linea, ut Graecum Λ referat; quod scribendi genus in pluribus aliis lapidibus Augusteo seculo exaratis, cusisque in numis eruditi observarunt. Alicubi etiam observavi has Tabulas perforatas, sed clarius eam, quae ad Lucium Caesarem spectat: siquidem in primo versu post haec verba IN FORO, visitur foramen, in quo plumbi fragmina supersunt; ut hinc ostendi possit haec Decreta aliquo in loco celebri, ac conspicuo, vel in aliquo Templo, vel potius circa locum, ubi annuae inferiae in honorem Caesarum mitti debebant, fixa fuisse; quod etiam indicitur in superiori Decreto Lucii Caesaris, lin. 29. & 30. In magno Gruteri Thesauro plures aeneae Tabulae ad oram perforatae afferuntur pag. CCCLXII. CCCLXIII. CCCLXIV. 1. CCCC. 8. CCCCI. 1. quas cum viros clarissimos hospitali tessera per Legatos missa, in patronos suos sibi cooptarent Municipia, ac Coloniae, in eorum domo poni sigique curabant; aliis tabulis similibus sibi reservatis, quas vel in archivis, vel publico in loco, vel in fanis reponerent. Id quoque diserte testatur praelaudata Tabula Hospitalis Musei Medicei, Ferentinorum Decreto insignis, quae, ut in fine scriptum est, *ad Augusti templum* posita fuit. Ita quoque Tabulas honestae Missionis Militum, & Etruscorum Eugubii, perforatas cernes. Tabula honestae Missionis data ab Imperatore Servio Galba Veteranis qui militaverunt in Legione Prima Adiutrice, fixa fuit Romae in Capitolio, in Ara Gentis Iuliae; quae vero data ab Imperatore Domitiano Augusto, fixa fuit Romae in muro post Templum Divi Augusti, ad Minervam; quas vide in Par. I. Inscript. Ant. Etruriae Urb. pag. 257. & 69. ibique item fixas alias Classiariis datas, quae a Grutero pag. DLXXIII. 1. & a Fabretto de Col. Traiani Cap. III. afferuntur. Columnae Decretis, & foederibus Urbium, ac Populorum inscriptae, in Deorum templis repositae, festo die quotannis legi, decemque antequam legerentur dies nunciari solebant; quod per Cosmos faciendum quotannis, in Hiperboiorum festo, cavetur in

Foedere inter Hierapytnienses, & Priansios Cretae populos inito, quod vide in serie Marmorum Oxoniensium n. LVII. pag. 116.

Pisanum Decretum, quod ad Caium Caesarem pertinet, non uno eodemque tempore totum exaratum fuisse, cum Pisis inspicerem, suspicatus sum; nam in fine aliquantulum variat character; idque facile, ni fallor, argui potest, quod Duumviri, vel Duumvirorum nomina in principio, ut in alio, non apponuntur, quae postea versus finem adnectuntur; huiusque rei statim initio causa a Pisanis affertur; quod scilicet propter contentiones Candidatorum Magistratus in Colonia non essent; neque Duumviri, neque Praefecti, neque quisquam iure dicundo praeesset; quare universi Decuriones, Colonique de annuis inferiis quotannis mittendis in honorem Caii Caesaris inter se consensere; eo tamen consilio, ut quae ipsis placuissent, quamprimum per Duumviros, per legem Coloniae creandos, referrentur in publicas Tabulas; data interea provincia T. Statuleno Iunco, Flamini Augustali, Pontifici minori Publicorum Populi Romani Sacrorum, ut libello reddito Imperatori Caesari Augusto cum Legatis, excusata praesenti Coloniae necessitate, hoc officium publicum, & voluntatem universorum indicaret.

Infra hanc Tabulam, in marmore, recenti manu scripto, haec leguntur, quae non omittenda censui.

COLONIA IVLIA PISANA AVDITA MORTE C. CAESARIS
AVGVSTI FILII CENSVIT VT A DIE QVO ILLIVS OBITVS
NVNCIATVS EST VSQVE AD EVM DIEM QVO OSSA
RELATA SVNT AB OMNI LAETITIAE GENERE
ABSTINERETVR VTQVE ILLI EODEM MODO QVO
L. FRATRI PARENTATVM FVERAT PARENTETVR
ARCVS INSVPER ET STATVAE PONERENTVR
POST VRBEM CONDITAM ANNO IDCCLVII.
CHRISTI VERO ANNO V.

Fra-

Tabula I. poſt pa

Tabula marmorea po
Coemeterii T

I



2

O. XIII. K
Q. PETI
3 Q. SERT
A. F. GV
QVOD. C.
6 L. CAESAR
TRIBVNIC
IVVENTV
9 CVM. SEN
HONORES. I

ſummum fractum eſt .
tium eſt capax , & ſ

Fragmentum marmoreae ingentis Tabulae in exteriore pariete eiusdem Basilicae.

PRONEPOTI
4 T. AELIO · HADRIANO
ANTONINO . AVG . PIO . PONT
MAX. TRIB. POTEST. III. COS. III. P.P.
INDVLGENTISSIMO

4. In MS. Fr. Iohannis Iucundi Veronensis penes spectatissimum Equitem Antonium Franciscum Marmium Florentinum, haec ipsa inscriptio integra affertur pag. 199. ibique haec notantur; *Tisis ad marmoreum parietem Maioris Ecclesiae*.

IMP . CAESARI . DIVI . HADRIANI
FIL. DIVI . TRAIANI . PARTH. NEP.
DIVI . NERVAE . PRONEPOTI
T . AELIO . HADRIANO
ANTONINO . AVG. PIO . PONT
MAX. TRIB. POTEST. III. COS. III. P.P.
INDVLGENTISSIMO
PRINCIPI



Integram quoque exhibet Apianus pag. 180. & Gruterus CCLIII. 8. ex Panvinio, & Manutio. Tertius Antonini Pii Imperatoris, optimi Principis, Consulatus incidit in annum U. C. 893. Chr. 140. In alio marmore apud Fabrettum pag. 681. n. 62. appellatur *Optimus maximusque Princeps, & cum summa benignitate iustissimus, ob insignem erga caeremonias publicas curam, ac religionem.*

Alia praegrandia marmoris fragmenta, ibidem.

5 AR . T. AE


6 TRA

7 MAE . MINORVM

5. 6. 7. Imperatorem Antoninum Pium, cuius nomen in his fragmentis penitus non obliteravit antiquitas, multis maximisque beneficiis, & honoribus Pisanos sibi devinxisse perspicuum est; quod ipsi devoti numini maiestatique eius, his monumentis testatum posteris voluerunt. Ea ex Thermarum ruinis in exteriorem parietem maioris Basilicae deportata suspicatur Noris in Cenotaph. Pisana Differt. III. Cap. 2. pag. 365. propterea quod nulla alia vetustiora monumenta Pisis supersint. Ne vacuum heic locum relinquamus, libet in laudem eximiae probitatis huius Imperatoris, Scriptorum afferre testimonia. Eutropius Lib. VIII. Hist. Rom. scribit. *Vixit ingenti honestate privatus; nulli acerbus, cunctis benignus: in re militari moderata gloria; defendere magis provincias, quam amplificare studens; viros iustissimos ad administrandam Rempublicam quaerens, bonis honorem habens, improbos sine aliqua acerbitate detestans.* Victor in Epitome Cap. XV. *tantae*, inquit, *bonitatis in principatu fuit*, *ut haud dubie sine exemplo vixerit*. Hinc merito in eius numis TEMPORVM FELICITAS expressa. Capitolinus Cap. II. *In cunctis postremo laudabilis*, & *qui merito Numae Pompilio ex bonorum sententia comparetur*. Idem Cap. VII. subdit, Provincias sub eo cunctas floruisse;

Co-

Columna milliaria marmorea, superius atque inferius fracta; eruta in Agro Pisano, Romam versus; nunc alta Roman. Ped. II. unc. XIII. semiclusa interiore pariete eiusdem Pisani Coemeterii.


8
CAES I AE
HADRIANVS ANTONINVS
AVG. PIVS. P. M. TR. P. VI. COS. III
IMP. II. P.P. VIAM. AEMILIAM
VETVSTATE DILAPSAM OPERIB
AMPLIATIS. RESTITVENDAM. CVR
A. ROMA. M. P. CLXXXVIII

8. Post ultimum versum huius milliariae columnae nonnullae minores literae cernuntur; sed vel abrasae, vel temporum iniuria consumtae. In marmorea basi, quae paucis ab hinc annis ei subiecta est, haec leguntur:

CENTESIMVS HIC SVPER OCTOGESIMVM
OCTAVVM AB VRBE LAPIS IN VIA AEMILIA
AD PISANVM MARE VERGENTE A CAESARE (T. AELIO)
HADRIANO ANTONINO PIO IMPERATORE
OLIM POSITVS EOQVE IN LOCO QVI VVLGO
RIMAZZANO NVNCVPATVR INVENTVS
HVC AD MEMORIAM ANTIQVITATIS TVENDAM
TRANSLATVS EST EQVITE IVLIO GAETANI
AEDILE. A. D. MDCCIV.

Primus versus facile ita suppletur. IMP. CAES. T. AEL.

Colum-

Columna milliaria marmorea in Porticu Ecclesiae S. Petri in Grado, *aliquantulum temporis iniuria labefactata.*

9 IMP. CAES. D. NRO
PIO. FELICI. SEMP. AVG
IMP. CAES. DN FL. GRATIANO
PIO. FEL. SEMP. AVG
DIVI VALENTINIANI AVG. FILIO
IMP. CAES. FL. VALENTINIANO
PIO. FELICI. SEMPER. AVG
DIVI VALENTINIANI AVG. FILIO

CIVIT. PISANA
M. P. IIII

Ex schedis autographis V. Cl. Chimentellii, in Bibliotheca Strozia MS. LH. 110.

9. In columnae huius Inscriptionem haec adnotavit eruditissimus Chimentellius de Honore Bisellii Cap. ult. quae heic non omittenda esse censui.

Prima linea explenda est, apponendumque nomen Fl. Valentis (IMP. CAES. D. NRO FL. VALENTI) *quod penitus abierat, nullo apparente vestigio, ac necesse tamen est ibi non defuisse. Hi tres imperii Romani gubernaculo una assederunt, Fl. Valens cum Gratiano, & Valentiniano filiis Valentiniani primi. Uterque heic nominantur, mortuo iam parente, quem* Divi *titulo ex more indicant. Multae exstant in Cod. Theodos. & Iustinianico trium* A. A. A. *constitutiones Valentiniani, Valentis, & Gratiani, ut & in Inscriptione Gruteriana* CLX. 5. *Sed non putem confundendos cum tribus hisce nostris. In iis namque legibus, & in veteri Inscriptione, Valentinianus ponitur primo loco, dein Valens, & Gratianus; at in columna nostra Valentinianus ultimo locatur, quoniam hic filius est illius Valentiniani iam defuncti, de quo in Codicibus, & saxo. Histo-*

Historia lux veritatis rem confirmat; quoniam Valentinianus I. nonnisi socium Gratianum adscivit filium natu maximum, ad habenas imperii, ex duobus alteris filiis, quorum utrique nomen paternum Valentinianus, nullum aut vocavit, aut vocare potuit in consortium regiminis; alter quippe trimulus intra fascium consularium stetit cancellos, obiitque vivo parente: alter, mortuo demum parente, cum Gratiano fratre praesedit reipublicae, etiam tum quadrimus A. U. C. MCXXVII. Ante hos fratres Valens Valentiniani senioris frater, & illorum patruus communione imperii lactabatur; qui altero post mense, quam Valentinianus frater summae rerum adesset, consortionem iniit regnandi: atque hi tres tunc numerabantur, quos in Codice legimus. Distinguendus pariter est hic Valentinianus regnans, de quo columna nostra, ab altero Valentiniano fratre, qui fato praereptus, ut diximus, ad imperium pervenire non potuit; & passim tamen ex duobus Valentinianis perperam, & confuse fit unus. Sed primus hunc errorem discussit doctiss. Valles. ad Ammiani lib. 31. *pag.* 412. *&* 433. *post eum Christoph. Adam. Rup. ad Synops. Besoldi pag.* 450. *vir tersissimi iudicii in rebus gestis, earumque temporibus adnotandis. In columna itaque hac Pisana Valentinianus Valentiniani filius erit ille, quem secundae cunae exceperunt, qui partim cum Valente, & Gratiano (ut hic exprimitur) imperium tenuit, partim deinceps cum Theodosio, & Arcadio; Abrogasti tandem perfidia occisus apud Viennam A. U. C. MCXLIV.*

Alia praeterea a Chimentellio observantur, quae minime contemnenda sunt. Nonnullis mendis respersam Sponius edidit in Miscell. pag. 175.

Pisis inventa sequens Inscriptio.

10

D . M . S
FELIX . HERCVLEO
EQ. P . AED. II. COS. I
PONT . PERP
REIP . PIS

Hoc

Hoc est: *Diis Manibus Sacrum. Felix Herculeo Equo publico, AEdilis iterum, Consul semel, Pontifex Perpetuus Reipublicae Pisanorum.*

EQ. P. In quamplurimis inscriptionibus additur, quod hic subintelligendum est; *donatus, ornatus, exornatus, honoratus*. Saepe etiam Imperatoris nomen ponitur, a quo hoc honore donabantur, vel Coloniarum, aut Civitatum, in quibus equestris ordinis gradu insigniti erant.

AED. II. Felicem hunc equo publico ab Imperatore ornatum iterum AEdilitatem gessisse dicit Cl. Noris Dissert. I. in Cenotaph. Cap. III. pag. 42. Verum quum hactenus in nullis vetustis saxis post hanc notam AED. numerales literas signatas viderim, ad indicandam aedilitatem *semel*, *vel iterum* gestam; sed solum ante hanc notam VIR. positas, ut II. VIR. III. VIR. IV. VIR. VI. VIR. ad indicandum *Duumviratus*, *Triumviratus*, *Quatuorviratus*, & *Seviratus* honorem, ac dignitatem; sculptum puto in marmore, quod Pisis exstat in Horto, in quo cerae dealbantur, AEDIL; ut in quamplurimis aliis inscriptionibus; scilicet *AEdilis*. Facili negotio, extrito crure, L, potuit I similis videri, quod saepissime a veterum monumentorum exscriptoribus factum; nec semel etiam in antiquissimo Virgilio Mediceo.

COS. I. De Consulibus Colonicis, & Municipalibus supra nonnulla diximus. Illud hic notandum utrumque & Consulis, & Pontificis munus gessisse L. Minicium Exoratum Flaminem Divi Augusti Vespasiani; ut Comense marmor ostendit in Gruteriano Thesauro CCCCXXXVIII. 7.

Ob honorem Pontificatus perpetui data magna pecuniae vis, & Circenses ludi editi leguntur in Lugdunensi marmore in Gruterianis CCCCXXXI. 1.

REIP. PIS. Id est; *Reipublicae Pisanae*. In aliis lapidibus Pisanorum, per singulares literas P. R. *Pisana Respublica*, non ut aliquis dixit, *Populus Romanus*, indicatur. Pisanorum Colonia honorifico Reipublicae, & Civitatis nomine insignita est, quod observat Cl. V. Val. Chimentellius in Marmor Pisanum de Honore Bisellii Cap. XLII. p. 231.

In

In AEdibus Nobb. Roncioniorum.

11 

11. Haec Ara marmorea, ornata in lateribus ſimpuvio, & patera, alta pedes Romanos tres, uncias undecim; lata pedem unum, uncias quindecim, illuſtris eſt eruditiſſimo Commentario Cl. V. Valerii Chimentellii Florentini, in Piſano Athenaeo humaniorum literarum Profeſſoris, qui ei *De Honore Biſellii* titulum fecit; necnon Obſervationibus magni Henrici Noris Diſſert. I. in Cenotaphia Piſana pag. 38. & 39. ad quos, ne aliorum ſcrinia expilare videar, lectorem libenter mitto. In eam non pauca quoque notavit Fabrettus Inſcr. Ant. Cap. III. pag. 227. 228.

Igitur Q. Largennius Chreſimus, qui ob honorem Biſellii ſeſtertia quinquaginta numûm Reipublicae Piſano-

rum dedit, aram hanc dedicavit Diis Manibus Q. Largennii Severi filii sui, Galeria Tribu censi, & AEdilis Pisis.

Marmoris fragmentum in Abbatia D. Zenonis.

12 ....ONIANO . OCTAVIO . P. F.
..........PRAEF. VRB. FERIAR. ET
.... LEG. LEG. PRIM. ITAL. COS. II.
ANTONIAN. VERIAN. LEG. AVG.
.....ORIS. PRAETORI. ETRVRIAE. V. PISIS
PVBLICE
D . D
.... PATRIAM. SVAM. BENEFICIA
....

12. Descripsi hoc marmor, quod intercidit, ex autographo Clariss. Senatoris Caroli Strozii. Edidit quoque Thomas Dempsterus de Etruria Regali Lib. V. Cap. I. pag. 257.

In Sarcophago marmoreo, ornato Geniis encarpia sustinentibus in angulis; super his figurae quaedam vetustate labefactatae, & tropaeum, sub quo captivi religatis post terga manibus; exstat in Pisano Coemeterio.

13 G. BELLICVS NATALIS TEBANIANVS COS
XV VIR FLAVIALIVM.

13. Rara admodum esse Sarcophaga Inscriptione ornata alibi, & hic quoque observavimus. Ex hoc vero discimus C. Bellicum Natalem Tebanianum, Consularem, Quindecemvirum Flavialium fuisse; qui in honorem Flaviae Gentis, ex qua Vespasianus, Titus, & Domitianus Imperatores, consecrati sunt. Quemadmodum enim, mortuo Augusto, & ut

&, ut ſtulte credebant, in Deorum numerum relato, inter cetera honorum genera, quae ei decreta ſunt, Sodalium Auguſtalium ſacerdotium novis caeremoniis, ut ſcribit Tacitus Annal. Lib. I. inſtitutum eſt, appellatique ſunt ex eius nomine Auguſtales; itemque, eodem Tacito teſte, inſtituti Cultores Auguſti, qui per omnes domos in modum Collegiorum habebantur; ita quoque in aliorum Caeſarum honorem conſecrati Sacerdotes, Sodales, Cultores, Flamines, Quindecemviri ſacris faciundis, & ex eorum nomine deſumtis appellationibus nuncupati *Flaviales*, *Traianales*, *Hadrianales*, *Antoniani*, *Marciani*, *Heluiani*, *Severiani*, *Alexandrini*. Qui inter hos Sacerdotes adlegebantur, ſorte ducti, e primoribus civitatis erant, quibus & ipſi Caeſares adiiciebantur, ut eodem in loco docet Tacitus, ac vetuſti lapides non pauci teſtantur. In Gruteriana Ara CCCLI. 1. memoratur L. Aradius Quindecemvir Sacris faciundis *Pontifex Flavialis*. His Flavialibus ſacerdotibus dati miniſtri, & apparitores, inter quos in Gruteriano Theſauro CCCIV. 9. recenſetur Q. Caecilius Ferox *Kalator Sacerdotii Titialium*, *Flavialium*. In eo quoque leguntur Sodales *Flavii*, & *Flaviales*. 7. CCXLIV. 11. CCCCXXVII. 2. MXXV.

[t] Bellica gens clara eſt ex quatuor Inſcriptionibus Gruterianis; quam nonnulli cum Bellicia confundunt. Qui vero fuerit hic C. Bellicus Natalis, vir conſularis dignitatis, diximus ad inſigne monumentum Muſei Andreinii Par. I. pag. 259. quod exhibet honeſtam Miſſionem, eamque omnium, quae editae ſunt, antiquiſſimam, a Servio Galba Imperatore Caeſare Auguſto datam Veteranis, qui militaverunt in Legione Prima Adiutrice, ante diem XI. Kalendas Ianuarias, C. Bellico Natale, P. Cornelio Scipione Conſulibus; qui non ordinarii, ſed ſuffecti fuere anno U. C. 821. Chr. 68. teſte Huberto Goltio in Conſulum Catalogo. Additur TEBANIANVS, quod nomen adoptionem ſignificat, ut alibi obſervavimus.

Pisis in antiquo marmore.

14

C. SATVRIVS. SATVRI. PICENTIS. P. P
FILIVS. FAB. SECVNDVS. EQVO. PVBLICO
EX. V. DECVRIS. PRAEF. COH. II. ASTYRVM
AVGVR. PATRONVS. COLONIAE. ASCVLANORVM
VIX. ANN. XIX. DIEBVS. XXVII.
PATER. FIL. PIENTISSIMO. FEC

14. Primus omnium Franciscus Robertellus Utinensis hanc Inscriptionem illustravit, ac protulit in Libro II. Annotationum Cap. XXI. ex eo postea Gruterus CCCCLXV. 10. In primo versu P.P. putat *Patris Patrati* per has notas significari; ego vero *Propraetoris*; cuius lectionis non pauca exempla suppeditant vetusti lapides.

EX. V. DECVRIS. Idest: *Ex quinque Decuriis*, quae quinque erant Equitum, quum quatuor ab Augusto constitutis unam adiecisset postea Caius Caesar, cuius rei insigne est Plinii testimonium lib. XXXII. Cap. 2. quod ibidem profert Robertellus. Opportune hoc in loco minime praetereundus L. Peregrinus Decurio Legionis XIII. item Decurio Pisis, & Quaestor ad AErarium, ut legitur in quodam lapide, qui Lucae exstat ad quemdam puteum, & descripsit Cyriacus Anconitanus.

THALIAE. COCCIAE
L. PEREGRINO
DECVRIONI. LEG. XIII
DECVRIONI. PISIS
QVAESTORI. AD. AERAR. II
HEREDES

PRAEF. COH. II. ASTYRVM. Putat Robertellus ita denomi-

nominatos, qui Hiſpanis, ab Aſturia regione, uterentur equis, de quibus Plinius meminit Lib. VIII. Cap. XLII. & Martialis Lib. XIV. Epigr. 199.

Venit ab auriferis gentibus Aſtur equus.

Niſi fortaſſe quis velit ab Aſtura, oppido Latii, nuncupatos Aſturas. Virgilius Aeneid. Lib. X. v. 179.

Hos parere iubent Alphea ab origine Piſae,
Urbs Etruſca ſolo; ſequitur pulcherrimus Aſtur,
Aſtur equo fidens, & verſicoloribus armis.

Promiſcue in Gruterianis legitur ASTYRVM, & ASTVRVM, Vide DLXII. CCCCXXXIX. 5. & CCCCLXV. 10. ubi ex Robertello hanc ipſam Inſcriptionem produxit.

Non abs re puto hoc in loco Patronum Piſanae Coloniae ex Octavia gente indicare, ex ſequenti Inſcriptione; quam ex ſchedis Vaticanis exhibuit Fabrettus pag. 411. n. 351. qui ſub Traiano contra Parthos militavit.

.... NEP. L. PRON
.... D. OCTAVIO. PRISCO
..DIVI. TRAIANI. PARTHICI. PRAEF
.... SEVIR. EQVIT. ROMAN
SEVIRO. QVINQ. II. PATRON. COLON
COL. PISANA

In Collectaneis Cl. Viri Iohannis Baptiſtae Donii allata Inſcriptio exſtare dicitur Lucae, apud Martinum Lilium, & haec alia ibidem ſubiicitur.

L. PAPIRIO L. L.........
MANDATO. CLVP..........
AVG. PISIS. ET. LVCAE...
L. PAPIRI...................
APELLI. PAT...............

In

In AEdibus Nobilium Roncioniorum.


15 

15. Ideft: *Viventes fecerunt. Q. Anquirinnius Secundus. Occia Agile Vxor Q. Anquirinnio Galeria* (Tribu) *Severo, Quincti Filio &c. Sibi & suis Libertis Posterisque eorum*. Reliquas figlas VI. D. S. E AN. D. XXV quid fignificent, aliis explicandas linquo. Contra marmoris fidem Noris Differt. I. in Cenotaph. Pifana Cap. I. pag. 16. & Fabrettus pag. 604. n. 44. exfcripferunt: Q. ANQVIRINIO GAL. SEVERO. F. M. D. S. F. SIBI. ET. SVIS. P. hoc eft: *Q. Anquirinio* (marmor habet Q. ANQVIRINNIO) *Galeria Severo Filio Monumentum de fuo fecerunt &c.* Reinefius Cl. XI. n. 109. edidit ex Octavio Boldonio Q. ANQVIRINIO GAL. SEVERO. F. VI. D. S. E. propius ad fidem marmoris, verum cum mendis, quae conferentibus patebunt. Mutilam dedit, feu potius indicavit Valerius Chimentellius de Honore Bifellii Cap. III. pag. 7.

Sculpta funt in hac marmorea Tabula feralis menfa in medio,

medio, epulis referta, sub qua arcula sepulcralis, hinc inde imagines Viri, & Feminae, & fasces ardentium cereorum, vittis religati, inferius acuminati, quasi in terram in parentalibus sacris defigerentur.

Praegrandis Tabula marmorea apud eosdem.

16 

D M

METTIA . IANVARIA . HIC . ADQ . CON I

B M

Q OBSEQVENTIVS SEVERINVS

AVG . PISIS . CVR . KAL . FLORENTINOR

SIBI . POSTERISQVE SVIS

16. Hoc est: *Diis Manibus Mettia Ianuaria hic adquiescit. Coniugi bene merenti Q. Obsequentius Severinus Augustalis* (vel *Augur*) *Pisis, Curator Kalendarii Florentinorum sibi posterisque suis.* A Colonia Pisana, quae *Iulia Obsequens* cognominata est, nomen suum accepisse videtur *Obsequentia* Familia, e qua hic Q. Obsequentius Severinus.

In Coloniis, & Municipiis Augustales sacrorum curam agebant; de quibus Reinesius ad Inscriptionem LXIII. Cl. VI. Kalendaria in Municipiis, in Coloniis, atque in Collegiis, erant libri rationum accepti, & expensi de pecunia publica, quae ne otiosa esset in arca, sub usuris solebat collocari, eique negotiationi praefici unus, qui Curator Kalendarii dicebatur; quae idem Reinesius ad XXIV. Classis I. adnotavit. Procuratorem Kalendarii Domus Augustae observo in sequenti Inscriptione; in qua praeterea sepulcrum defunctorum Heroum appellatur, maceria cinctum cum superficio, & in insulae modum constructum. Eam vulgavit inter marmora Felsinea Carolus Caesar Comes Malvasia pag. 522. & Romae exstare ait in AEdibus Massarinis. D . M

D . M
AVRELIVS . HERMAS . AVG . LIB
PROC . K . HEROVM
MACERIA
CINCTVM CVM CVPERFICIO
INSVLA CONPARAVIT
SIBI POSTERISQVE SVIS
IN FR . P. XII. IN AGR . P . XIIX

Sed in hunc Pisanum lapidem videnda quae Reinesius adnotavit Cl. I. n. 24. & Cl. XIV. n. 166. licet vitiose descriptum vulgaverit, quod & Gruterus fecit CCCCXLIV. 5. item Noris ad Cenotaph. Pisana Differt. I. Cap. III. pag. 37. & Chimentellius de Honore Bisellii Cap. VII.

Augustales in Pisana Colonia, ut in aliis, fuisse perspicuum quoque est ex alio marmore eruto Cascinae, prope Pisas, anno MDCXXVI. quod postea Florentiam translatum, in Hortis Nobb. Spigliatorum hodie cernitur; in quo Q. Caecilius Amandus Augustalis, ex Decuria Prima Cultorum Herculis Somnialis nominatur; quod vide in Parte I. pag. 291. Praeter hoc Sodalitium Cultorum Herculis Somnialis duo Pisis Collegia fuisse discimus ex sequenti lapide, qui olim Pisis exstabat, ibique descripsit Vir Cl. Vincentius Borghinius, cuius autographum vidi inter schedas doctissimi Petri Victorii, quas mecum perhumaniter communicavit Illustris. Franciscus Victorius, Vir Equestris Ordinis, quem honoris caussa nomino; sed apud Gruterum, qui inemendatum profert pag. MXXXI. 5. prope Ferrariam exstare dicitur. Pisana Collegia, quorum in hoc marmore fit mentio sunt *Fabrum Navalium stationis vetustissimae, & Fabrum Tignuariorum*.

D . M


D ⚒ M VENVLEIA PELAGIA HIC . ADQ. FIL. MATR. PIISS.	M. NAEVIVS . M . F. GAL . RESTITVTVS MIL . COH . X . PR . H . AQ. QVI RELIQ. TESTAM . COLL FABR . NAVAL . PIS . STATION' VETVSTISS . ET. PIISS . H-S. IIII. N . EX CVIVS REDITV . PA RENTAL. ET. ROSAR. QVOT ANN . AD SEPVLCHRVM SVVM . CELEBRENT . QVOT SI FACTVM . AB EIS . NON ESSET. TVNC. EA . IPSA . CON DICIONE . FABR . TIG . PIS ACCEPT. PRO . POENA . A FABR. NAV. H-S. IIII. N. IPSI CELEBRARE. DEBEBVNT

Pisanos ingenti rei navalis gloria floruisse, maritimique Etruscorum imperii partem fuisse maximam, testantur Appianus Lib. V. & Dio Lib. XLVIII. Hinc colligere possumus celeberrimum habuisse portum, classes innumeras, stationemque vetustissimam Fabrûm Navalium, qui naves aedificarent, & Collegium Tignuariorum, qui ligna praeberent. Nec praetereundum Strabonis testimonium, qui Lib. V. pag. 154. ait, Pisanam Urbem quondam floruisse, nec suo quoque tempore esse ignobilem, ob fertilitatem, lapidicinas, & navalem materiam, qua olim usi sunt ad maritima proelia. Eius verba attulit Dempsterus de Etruria Regali Lib. V. Cap. CXVIII. pag. 250. Id quoque Claudianus diserte testatur de Bello Gildonico, versus finem:

—— arripiunt naves, ipsique rudentes
Expediunt, & vela legunt, & cornua summis
Associant malis: quatitur Tyrrhena tumultu
Ora, nec Alpheae capiunt navalia Pisae.

Ara, sive Urna marmorea in AEdibus Nobb. Tortorum.

17



17. C. Virrius Iucundus annorum sex, mensium septem, dierumque decem supra novem spatio, gradum in militia fecit ex Tesserario, ac deinde ex Optione ad Vexillarium Cohortis Secundae Vigilum, Centuriae Viserti Latini; cum nomen militiae dedisset anno fere vigesimo aetatis suae. Is Aram cum base sua, testamento poni sibi iussit, arbitratu Luciliae Lacaenae, & C. Virrii Iucundi Filii.

Tesserarius miles is erat, qui tesserae per contubernia militum dandae, colligendaeque muneri praeficiebatur. Tesserae brevia erant sigilla, ut docet Polybius de Castra-

men-

mentatione, vel ligna characteribus notata, Deorumque nominibus, vel imaginibus interdum sculpta, quae cum per manus militum discurrerent, ipsi quid faciendum esset, an curanda corpora, an prandendum, an currendum ad arma, an excubiae agendae, intelligebant. De militaribus tesseris plura doctissimi viri Lipsius in Comment. ad Annal. Taciti Lib. XIII. Daniel Heinsius, aliique in Annotationibus in Silium Italicum Lib. VII. v. 447. Si quis vero legat non TESSERAR*ius*, sed TESSERAR*ii* OPTIO; quod scilicet hic C. Virrius Iucundus Optio, ideſt Adiutor Tesserarii fuerit, deinde Vexillarius, non repugno; suo quisque iudicio fruatur. Optionem Tesserarii affert Scaliger in Indice, ex Gruteriano lapide CCCCXLV. 10. Lazius vult legendum Signiferi Optionem. Videsis Fabrettum de Col. Traiani Cap. III. pag. 67. 68. & Reinesium ad 3. Cl. I. Vexillarius, ut notat Robortellus in hanc Inscriptionem Annotat. Lib. II. Cap. XVI. 8. est qui vexillo uni praeerat. Vexillum vero, ut docet Livius Lib. VII. primae Decados, continebat milites CLXXXIII.

Duobus in locis peccat Noris in Cenotaph. Pisana Dissert. III. Cap. IV. pag. 385. hanc afferens inscriptionem, quae olim in AEde S. Matthaei Pisis exstabat. In tertia linea VISERTI. LATINI. pro 7. VISERTI. LATINI. In sexta IN. EIS. TESSAR. OPTIO; pro IN. EIS. TESSERAR. OPTIO. Ceterum nonnullis item mendis infecta est apud Robortellum, in loco, quem praediximus, & apud Gruterum DLXIX. 1. & DLXX. 5. Multa erudite observat Gutherius de Iure Manium pag. 279. qui & ipse hanc Inscriptionem profert, & Noris loco supra scripto. Exstat apud Gruterum DLVIII. 10. alia inscriptio, quae Pisanum militem nobis exhibet; & quidem Galeria Tribu Pisanorum censum, qui in Cohorte VIIII. Praetoria, Centuria Salvii Bassi, annos quinque militavit, quam rursus in medium afferimus. In marmoreo laterculo Musei Medicei, pag. 31. n. LVI. in quo militum nomen, patria, ac non paucorum officium exprimitur, legitur: CLEMENS PISAS.


P. RANFANIVS
P. F. GAL
CYRINICVS
PISIS
VIX. ANN. XXIII
MIL. ANN. V. IN. COH
VIIII. PR. 7. SALVI
BASSI. H. S. E

Alium militem Pisanum, Cohortis IIII. Praetoriae, Centuria Flori, M. Aurelium Iustinianum habemus in sequenti lapide.

Apud Templum S. Zenonis.

18
M.AVR.IVSTINIANVS
MIL . COH . IIII . PR
7 . FLORI
VIX . ANN . XXXIII
MIL . ANN . XIII
SATVRNINA . IOVINA
CONIVNCX . CONIVGI
B . M . F

In arcula marmorea apud Nobb. e Tortis.

19


19. Ni quadratarii sphalma sit in secundo versu huius inscriptionis, quae ut oculate observavi habet AQ CALP. RVSTICVs, novum praenomen fortassis occurrit, cuius non meminit Fabrettus Inscr. Ant. Cap. I. pag. 22. qui etiam hunc lapidem edidit, sed mendis nonnullis respersum pag. 164. Verum eam notam AQ non indicare praenomen libentius crederem, sed potius explicandum. *Diis Manibus; adquiescit &c.* observato usitato marmorariorum Pisanorum genio, sepulcrales lapides inscribendi his singularibus, ADQ
hoc

hoc est *adquiescit*, quae in allatis superius Titulis, & infra afferendis occurrunt.

VIX. ANN. P. M. LX. &c. Hoc est: *Vixit annis plus minus* LX. *Calpurnius Photinus Libertus Patrono merenti*. Evocati, quos Graeci ἀνακλήτους dicunt, ii erant, ut diserte docet Dio Lib. LXV. qui militiae laboribus defuncti, emeritis stipendiis, missionem honestam consequuti, virtutis caussa, ab Imperatoribus rursus in bellum evocabantur. Hic Calpurnius Rusticus fortassis ex numero fuit Evocatorum, quos Imperator Galba in Hispania instituit, ut narrat Suetonius, in eius vita c. 10. *Delegit & Equestris Ordinis iuvenes, qui manente anulorum aureorum usu, Evocati appellarentur, excubiasque circa cubiculum suum vice militum agerent*. C. Iulium Ingenuum, Pisanum civem, ut indicat Galeria Tribus, stipendia militaria XIX emeritum, in bellum duodecies evocatum, libet adnotare in sequenti lapide, quem Fabrettus protulit ex Schedis Barberinis pag. 136. n. 112.

C. IVLIVS. C. F. GAL. INGENVVS
MILITAVIT. COH. V. PR. SIGNIFER
STIPENDIA. MILITAR. XIX. EVOCAT. XII
VIXIT ANNIS LX

In Sarcophago marmoreo elegantissimo, in Pisano Coemeterio, sub dio, variis figuris ornato.

20

D M
L. IVLIVS. LARCIVS
SABINVS. TRIB. PLEB
V. ANNIS. XXIIII. DIEBVS III
....
....
....

Reliqui versus desperatae lectionis sunt.

In AEdibus Marci Antonii ab Acquapendente.


21

M. COSSVTIVS. M. L. DOR
L. VALERIVS. L. L. ANTIOS
MARMORARI
P F
D. D. L. M

21. M . COSSVTIVS . M . L . DOR . Forte DORVS , vel DORIO. ANTIOS. ideſt ANTIVS. Plautus ; *raſo capite calvos capiam pileum* . MARMORARI . Marmorarii , qui marmora caedunt , ſecant , expoliunt . Alium libertum marmorarium, L. Armodium Nicephorum, producit Fabrettus Inſcr. Ant. pag. 195. n. 463. Plures liberti non ſolum in Domo Auguſta , verum etiam in privatis familiis , peculiaribus artibus operam dabant ; erantque qui eas tum domi , tum rure in villis exercerent . In Tabula Antii reperta , quae exſtat in Muſeo Albano , inter Artifices recenſentur ; *Topiarii* , *Politores* , *Tectores* , *Speclarii* , *Sandaliarii* , *Pavimentarii* , *Tegularii* , *Pictores* .

In AEde D. Petri in Gradu , in urna , quae luſtrali aquae inſervit .

22


D M
SERGIA
P . AELIVS . DIOGENES
FECIT SIBI ET ATTIAE
IONIAE VXORI ET ATTIAE
MOSCHIDI FILIAE . LIBERTIS
LIBERTABVS POSTERISQVE
EORVM . H . M . H . N . S .

22. H . M . H . N . S . *Hoc monumentum heredes non ſequuntur*. vel *non ſequitur* . Simili formula cavetur & in Graeca inſcriptione inter marmora Oxonienſia pag. 272. n. CXXXVI. ΤΟΙΣ ΔΕ ΚΛΗΡΟΝΟΜΟΙΣ ΜΟΤ ΟΤΚ ΕΠΑΚΟΛΤΘΗΣΕΙ ΤΟΤΤΟ ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ.

In pereleganti Sarcophago marmoreo in Coemeterio Pisano.

23 D M
T. AELIVS . AVG.
LIB . LVCIFER
VIBVS . SIBI.
POSIIT

In alio ibidem:

25 T. CAMVREN
MYRONIS

In alio ibidem.

24 D . M
RAFIDIAE . P . LIB
CHRYSIDI . FECIT . SIBI

In sinistro latere:

IN . FR
P . VIIS
IN . AG
P . IIII

In Vico Pisano:

26 DIS . MANIB.
L. CALPVRNI L. L. TIBYCI
QVINTRIMATV . DECES

23. Idest: *Diis Manibus T. AElius Augusti Libertus Lucifer Vibus (Vivus) sibi (posuit)*. Viventes sibi sepulcrum condebant, ut securi posteritatis essent; quemadmodum fecit hic libertus Imperatoris T. AElii Antonini.

LVCIFER. Gr. φώσφορος. Adolescentes nitidi, venusti, & ornati Lucifero, seu Phosphoro comparantur; idest Veneris stellae lucidissimae. Virgilius AEneid. Lib. VIII. v. 587.

——— *ipse agmine Pallas*
In medio chlamyde, & pictis conspectus in armis:
Qualis, ubi Oceani perfusus Lucifer unda,

Quam

Quam Venus ante alios astrorum diligit ignis,
Extulit os sacrum caelo, tenebrasque resolvit.

Sumsit hanc Latinus Poeta maximus a Graeco maximo Poeta comparationem Iliad. XXII.

Οἷος δ' ἀςὴρ εἶσι μετ' ἀςράσι νυκτὸς ἀμολγῷ
Ἑσπερος ὃς κάλλιςος ἐν οὐρανῷ ἵςαται ἀςήρ.

Hìc de Hespero, qui noctu idem ac Phosphorus mane emicat, Plato in epigrammate a Laertio allato in eius vita:

Ἀςὴρ πρὶν μὲν ἔλαμπες ἐνὶ ζώοισιν ἑῷος;
Νῦν δὲ θανὼν λάμπεις ἕσπερος ἐν φθιμένοις.

Quod ita vertit doctissimus, ac piissimus Frater Ambrosius:

Iamdudum vivis lucebas Lucifer, at nunc
Extinctus lùces Hesperus Elysiis. (Salvinius adnot.)

VIBVS. Male Apianus, & ex eo Gruterus DCIIII. 6. descripsit VRBIVS, quasi alterum cognomen T. AElii Luciferi. Libertos Caesarum duplici cognomine appellatos nusquam hactenus legi, praeter quam cum adoptivum nomen tenent.

POSIIT. In pluribus saxis in Gruteriano Thesauro POSIT; ut in Scaligeriano Indice eorum, quae ad Grammaticam pertinent Cap. XIX. Ita in allatis Tabulis, Decretis Coloniae Pisanae insculptis, in honorem Lucii, & Caii Caesarum, legitur OBIT, pro OBIIT. In lapide Agri Atinatis allato a Grutero CL. 6. legitur POSEIVI, idest POSIVI. quod in usu apud veteres Latinos erat, pro POSVI. Plautus in Pseud. 5. 1. 35.

Commuto illico pallium, illud posivi.

Catullus in Carmine in honorem Dianae, XXXIV. v. 5.

O Latonia, maximi
Magna progenies Iovis,
Quam mater prope Deliam
Deposivit olivam.

25. T. CAMVREN. Idest: *T. Camureni*. Camurena familia nota ex aliis lapidibus Gruterianae Gazae CCCVIII. 3. MCXL. 11.

26. QVINTRIMATV DECES. Hoc est: *Qui in trimatu decessit.*

cessit. Trium annorum aetate. Utitur hac voce Plinius Lib. VIII. c. 42. Columella Lib. VIII. c. 5. quam nullibi, praeter quam in hoc marmore legisse memini. In Florentino Musei Strozii pag. 393. n. 162. M. CLODIVS MARO VIXIT. TRIMVS. τριετής. In alio eiusdem Musei pag. 421. n. 275. ΤΡΙϵΤϵΙΟΝ ΑΦϵΙΛΑΤΟ ΜΟΙΡΑ ΚΡΑΤϵΡ.. i. ΚΡΑΤΑΙΗ. *Quem mors rapuit robusta triennem*. Infantes mortuos diem ipsos abstulisse dicit Virgilius AEneid. Lib. VI. v. 426.

Continuo auditae voces, vagitus & ingens,
Infantumque animae stantes in limine primo:
Quos dulcis vitae exsortis, & ab ubere raptos,
Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.

Apud Nob. V. Reinerium Equitem del Torto, Urna marmorea semirotunda, ornata Viri, & Feminae imaginibus.

27 D M

ALBIAE IONICENI P. ALBIVS . ATHICIVS
CONIVGI. BENEMERENTI FECIT ET SIBI

In alia Arcula marmorea apud eumdem.

28

TI. CLAVDIO. AVG. L
SEVERO
VIXIT. ANNIS. XXXVII

In alia simili apud eumdem.

29

P. SVILLIO
CERYLO
VIX. ANN. LIII
Hic sculptum candelabrum accensum, quod utrinque Gryphes tenent.

Apud eumdem.

30

D M
FANIAE. C. F. CHARIS
VIXIT. ANNIS. XXX.
MENSIBVS. III. DIEBVS. IIII

27. Albiae Gentis Romanae familia in Decretis Pisanae Coloniae in honorem Lucii, & Caii Caesarum memoratur; nam A. Albius Gutta unus ex iis fuit, qui Pisis in Foro in Augusteo scribundo adfuerunt.

28. M. Ulpium Traiani Augusti Libertum Vernam, ab Epistulis Latinis, in Pisana marmorea Ara, dedimus in Parte I. pag. 11. n. VI. quae hodie exstat in Mediceo Museo.

Apud eumdem Urna marmorea quadrata, ornata capitibus arietinis, encarpo, aquilis, & monstro marino, supra quod Genius.

31

M. PVBLILIO
MOTALI
B. M. FEC. P. PVBLILIVS
DIO: PATER. ET
M. PERELIVS. EVPHEMVS
LIB. ET. FL. ARESCVSA. CON

In

In AEde S. Matthaei.

32

CAECINIAE . OPTVMAE
FEMINAE
C. CAECINIVS . THEODORVS
PATRONVS

In AEde S. Andreae.

33

A . NONIVS
VICTORINVS . HIC



33. HIC . . . . Forte HIC SITVS EST. vel HIC ADQVIESCIT; ut in aliis Pisanis Inscriptionibus.

In AEdibus Nobilium Roncioniorum.

34

PARTHENI . HAVE .
. BENE . BALEAS .
. QVI . ME . . SALVTAS .
. CVM . SOSSIA . FILIA . MEA .




34. Quemadmodum, ut docet Vitruvius de Architect. Lib. IIII. c. 8. si circum vias publicas essent aedificia Deorum, ita constituebantur, uti praetereuntes possent respicere, & in conspectu salutationes facere; ita Deorum Manium arae, sepulcra, & cippi, secus vias positi, ita collocabantur, ut praetereuntes titulum legerent, & mortuos salutarent; quod plures lapides testantur, & hic quoque Pisanus, in quo Parthenis a viatore salutatur; salutatoria voce HAVE, & ipsa salutantem bene valere dicit, cum Sossia sua filia superstite. Ultimus versus scalpro antiqua manu deletus. Notanda puncta in principio, & fine versuum, eaque conduplicata in tertio versu. QVI . ME . . SALVTAS.

 Lite-

Literae huius marmoreae Tabulae utrinque ſtriatis columnis ornatae, altae ſunt uncias V. & ſemis; ipſa vero Tabula alta ped. III. unc. V. long. ped. VII. unc. III. Non ſatis accurate deſcripſit Aldus, & ex eo Gruterus DCCCLXXXIII. 8.

Ibidem Cippus marmoreus.

35 

D M
T. MVRTIO
GLYCONI
MVRTIA
ADIECTA
CONIVNX
GLYCONIS
FILIA
B M

35. T. MVRTIO. Venus *Murtia*, a myrto Veneri dicata. Plinius Lib. XV. Cap. 29. Inemendatum producit Reineſius Cl. XIV. 165. Cippum hunc, ima ſui parte, in monumento, in terram defixum fuiſſe, perſpicuum eſt; quod hodie in Hebraeorum Sepulcretis extra moenia obſervatur. Saepe utraque facies Cippulorum inſcribebatur defunctorum nomine, ut videre eſt in Florentinis pag. 149. n. 61. p. 164. n. 14. p. 167. n. 130. Ita quoque Decretum Piſanorum ad honores Lucii Caeſaris pertinens, cum aliis Decretis, ſtatuitur, ut incidatur in Cippo grandi, SECVNDVM ARAM DEFIXSO. Cippi quoque, quo ad ordinem, in monumentis numerabantur; ac ne quis erraret, ſi eos reperire vellet, locus deſcribebatur; ut ex alio a Fabretto edito pag. 239. n. 639. colligitur.

Ibi-

Ibidem, Ara e candido marmore affabre facta:

36 

Ibidem, Arcula marmorea elegantissima, ornata utrimque columnis striatis, capitibus arietinis, & Gorgone anguibus crinita in medio, & Gryphibus in utroque latere. Sub titulo Satyrus & aries cornifcantes, adstantibus hinc inde Geniis, pedum dextra, corollam sinistra tenentibus.

D M
37 VMMIDIAE. CALE
FELICIO PATER
CALE & MATER
MYRTILVS TATA
ET EROS CONIVNX
FECER.
VIX. A. XVI. M. VIIII. DIEB. VIII.

37.

37. Edidit hanc Inſcriptionem doctiſſimus Petrus Victorius in Caſtigationibus in Ciceronem, & ex eo Gruterus DCLXII. 4.

Ibidem, Ara marmorea intus vacua, colligendis cineribus destinata.

38


Urna marmorea in AEdibus Bartholomaei de Tigno.

39

DIS MANIBVS
SALLVSTIA . HOMILIA
QVAE . ET . CAECILIA . VIX
ANN. XXXV. CAECILIVS
DIVS . CONIVGI . B. M. F

Alia Urna marmorea apud eumdem.

40

L. AQVILIVS
EPAPHRODITVS
FL. MAGNIAE
HERIDI
CONIVGI

38. Edidit Reinesius Cl. XII. n. 110.

40. Apianus, & ex eo Gruterus MAGIAE HERIDI. pag. DCCLVI. 11. HERIDI. Forte ἀπὸ τῆς ἥρας, *ab Iunone*, ideoque cum densa aspiratione. Ceterum ἔρις, *discordia*, leni spiritu effertur; & nomen esset male ominatum, quod contra rationem imponendorum nominum est. Ceterum sicut ἐλπὶς, φιλουμένη, i. spiritu leni apud Graecos prolata in Inscriptionibus Latinis cum aspero spiritu constanter scribitur, ita poterat HERIDI accidere; sed hoc non convenit ut id nominis feminae inuratur, nisi quis cum Hesiodo, qui duas discordias facit, non malam, sed bonam hoc loco interpretetur, de qua ille:

— ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσιν.

— *Lis haec mortalibus aequa.*

Bonam aemulationem intelligit, qua quis in rebus honestis alius alium superare nititur. (Salvinius haec adnotavit.)

Ad S. Zenonis.

41 D M
GALERIA. FELICISSIMA
FECIT. SIBI. ET. DECIAE. RESTITVTAE
ET. L. CALPVRNIO. ABASCANTO
PARENTIBVS
ITEM. LIBERIS. SVIS. ET
VOLVSIO. SECVLARI
CONIVGI. ET. CALPVRNIO
FILIO. FELICISIMO
ET. NICIAE. ET. MARCO
FRATRIBVS. ITEM. LIBERTIS
LIBERTABVSQ. POSTERISQVE
EORVM
H. M. H. E. N. S

41.

41. GALERIA. Sumto nomine a Tribu Galeria, in qua Pisani suffragia ferebant. H. M. H. E. N. S. *Hoc monumentum heredes exteros non sequitur*. Reinesius ex Langermanno non paucis respersam mendis edidit Cl. XIII. n. 30.

Ibidem.

42 D M
IVLIAE. ISIADIS. CONIVGI
B. M
P. SEXTILIVS. VITALIS
P S
P. C. R
IN. F. P. CLX
IN. AG. P. L.

Ad D. Fabroniae.

43 D. M
M. VALERIO
GLYCONI
VIX. ANN. VI
M. XI. D. X
CALLIPPVS. FIL
DVLCISSIMO

42. P. S. P. C. R. Fortassis: *Pecunia sua ponendum curavit*. Exhibet Gruterus ex Apiano pag. DCCXCIII. 2. & in quarto versu habet, P. SEXTILIVS. TITIALIS.

Ibidem.

44 TI. CAMIDENVS. TI. F. GAL
NODVLVS FECIT
L. L. LYCHNIS
C. HERENNIO. C. F. FAB. VIRO
HERENNIAE. C. F. PRIMAE. FIL

Ex Collect. Cl. V. Ioh. Bapt. Donii P. Flor.

In AEde S. Silvestri.

45 DIS. MANIBVS
VITELLIAI. DIODOTAI

Tisis,

Pisis, ex Fabretto Inscr. Ant. Cap. III. pag. 186. *n.* 420.

46 D M
AVRIDIAE VICTORIAE
P. VETVRIVS
MARTIALIS
CVM QVA VIX
ANNIS XXV
MENSIB. X. DIEB. XV
HORIS VII
S O V

Apud Ioh. Mariam Baiardum, ex Schedis Vaticanis.

47
T. ALFI. ARISTON
SIBI. ET. SVIS
LIBERTIS
LIBERTABVS
L. Q. P. XVI

Pisis, ex Schedis Cl. V. Caroli Senatoris Strozii.

48
D M
L. VETTIVS. ZOSIMVS
CHRESTINI. CONTV
BERNALI. B. M. F


46. S O V i. *Sine offensa ulla*. In pluribus aliis Inscriptionibus in coniugum laudem ponitur, *sine querela*, ἀμεμπτοὺς vixisse. Eadem phrasi utitur S. Lucas Evangelista Cap. I. v. 6. loquens de sanctissimis Iohannis Baptistae parentibus: *Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini, sine querela.*

47. L. Q. P. XVI. Idest: *Locum quadratum*, vel *Locum* (dedit) *quadratis pedibus sexdecim*. Vide Fabrettum Cap. III. Inscr. Ant. pag. 179. n. 371. qui & hanc Inscriptionem affert.

48. CHRESTINI. χρηςίνη. *Ita* pro *eta*. sic NICENI, & similia sexcentis in locis.

Tifis, *ex Apiano dedit Gruterus pag*. *DCCLVIII*. 6.

49



49. Ideſt : *Aſclepiodote Stratonico*, *ſuaviſſimo viro*, *columnam*, (*ſeu cippum*) *de meo conſtruxi*, *qui vixit annis XXXV. Vale Viator*. ΤΗΝ. CΤΗΛΗΝ. Columnae erigi ſolebant ſuper mortuorum tumulos, eorumdemque nomine inſcribi. Propertius Lib. IV. Eleg. VII. v. 83.

Hoc carmen media dignum me ſcribe columna;
Sed breve, *quod currens vector ab urbe legat*.

In quodam Graeco Epigrammate apud Reineſium Cl. XVII. n. XXXVI. quod totidem elegantiſſimis Latinis verſibus reddidit Cl. Vir Antonius Maria Salvinius, legendum videtur in primo verſu ΕΠΙ ΣΤΑΛΑ, non ΕΠΙΣΤΑΜΑΙ, ut Reineſius ex Capacio Hiſtor. Neapol. Lib. I. c. 7. exſcripſit, quod hoc in loco emendatum afferre libet.

ΣΤΑΣ

ΣΤΑΣ ΞΕΝΕ (1) ΤΑΝΔ ΑΘΡΗΣΟΝ (2) ΕΠΙΣΤΑΜΑΙ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΝ
ΑΝ ΦΘΟΝΟΣ ΕΙΣ ΑΙΔΑΝ ΟΥ ΧΡΟΝΟΣ ΗΓΑΓΕΤΟ.
ΜΟΡΦΑΣ (3) Α ΠΡΩΤΕΙΟΝ ΕΧΕΙΝ ΔΩΡΗΣΑΤΟ ΚΥΠΡΙΣ
ΕΡΓΑ Δ ΑΘΑΝΑΙΑ ΤΕΡΠΝΑ ΣΑΟΦΡΟΣΥΝΑΣ.
ΜΟΥΣΑ ΔΕ ΚΑΙ ΣΟΦΙΑΝ ΚΑΙ ΠΑΚΤΙΔΑ ΤΑΝ ΦΙΛΕΡΑΣΤΟΝ
(4) ΣΥΜΦΩΝΙΑΝ ΕΡΑΤΟΙΣ ΜΕΙΞΑΜΕΝΑ ΜΕΛΕΣΙΝ.
ΚΑΙ ΓΝΟΥΣ ΩΣ (5) ΘΑΝΑΤΟΙΟ ΟΥΔΕΝ ΓΛΥΚΕΡΩΤΕΡΟΝ(6) ΑΥΓΑΣ
ΖΗΘΙ ΚΑΛΟΝ ΤΕΙΝΑΣ ΟΥΡΙΟΝ ΕΥΦΡΟΣΙΝΑΝ.
ΕΙ ΚΑΙ ΣΟΥ ΚΕΥΘΕΙ ΚΑΛΛΟΣ ΝΕΟΝ Ω ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ
ΤΥΜΒΟΣ ΚΑΙ ΦΡΟΥΔΟΝ ΣΩΜΑ ΛΕΛΟΓΧΕ ΚΟΝΙΣ.
ΑΛΛ ΑΡΕΤΑ ΒΙΟΤΑΣ ΑΙΕΝ ΖΩΟΙΣΙ ΜΕΤΕΣΤΙ
ΨΥΧΑΣ ΜΑΝΤΟΥΣ ΕΥΚΛΕΑ ΣΩΦΡΟΣΥΝΗΝ.

Stans ; Hospes , cippo Cleopatram conspice in isto ;
Orco illam haud Tempus , Parca maligna tulit .
Huic primos formae donavit Cypris honores ;
Atque opera huic , Pallas , grata pudicitiae .
Musa dedit sophiam , & laetis concentibus aureae
Permiscens una fila canora lyrae :
Noscens ut vitae nil luce suavius ipsa ,
Tu vive , & da vela omnia laetitiis .
Si tumulo hoc tegitur iuvenilis gratia formae ,
O Cleopatra , atque est corpus inane cinis .
At virtus vitae florens , & viva virescit ,
Ostentans nomen rite pudicitiae .

In prima linea (1) forte, ΤΑΝΔ. (2) lege, ΕΠΙ ΣΤΑΛΑ. (3) ΑΝ ΠΡΩΤΕΙΟΝ, (4) ΣΥΜΦΩΝΙΑΝ. (5) Forte, ΒΙΟΤΟΙΟ. (6) ΑΥΓΑΣ.

In aede D. Christophori.

50 DIS MANIB
Q. CAECILI CELERIS ET
NAEVIAE IADIS

In

In Sepulcro pervetusto.

51

BENE MERENTI. IN. PACE
SILVANA. QVAE. HIC. DORMIT
VIXIT. ANN. XXI. MENS. III
HOR. IV. SCRVPVLOS. VI
DEPOS. IX. KAL. IVLIAS........
QVI........... IN..........

51. In hanc Christianam Inscriptionem videndus Fabrettus, Cap. II. Inscr. Ant. pag. 96. n. 219. qui quota pars horae sit scrupulus erudite investigat. Fortassis, ni fallor, minutis nostris respondet. Hora siquidem in quatuor partes dividitur; quaelibet pars in minuta quindecim. Ultima linea QVI.....IN ....fortasis QVIESCIT IN PACE. Suprema veterum Christianorum acclamatio, in suorum funere; quae non solum amoris, verum etiam pietatis, sanctaeque fidei plena est. Hinc ADQVIETORIVM, pro monumento, in quo mortuorum corpora quiescunt.

Pisis.

52

M. MANLIVS. BLASTVS. SIBI
ET CISDIAE FORTVNATAE. CONIVGI
BENEMERENTI IN PACE. ET
FELICITATI DEI RATE. QVAE VIXIT *sic*
ANN. XVII. MEN. V. DIES. XVII. H. IIII
IN F. P. XV. IN. A. P. XV

Ex veteri MS. Gregorii Baiulivi Redii, Patricii Arretini, in quo dicitur exstare in Basilica Primitiali.

In


In quodam marmoreo Sarcophago, in quo ferunt Sanctorum Corpora quiescere.

HIC OLYMPI QVA
TVOR QVIESCVNT
AVVS PATER FILIVS NEPOS
IAM PLENVM EST
NON MOLESTER
AVTEM MALO MEO
ET MEORVM

Ex MS. Brunelleschi in Biblioth. Nobb. Gaddiorum Flor.

Duo sequentes Cippi reperti sunt in Agro Pisano, non longe ab Oppido Petrae Sanctae, Via Aurelia.

53



54



Pisis restituo has Inscriptiones, quibus inter Florentinas locum feceram in Parte I. huius Operis, pag. 465.

Caeci-

Caecinae, in Agro LVNENSI, *Ditionis Magni Ducis Etruriae, Tabula marmorea, alta Romanos pedes II. ac totidem uncias; lata vero uncias XIV. inventa in AEdibus Moreschiorum, ubi ad hoc tempus exstat.*

Dextra parte eiusdem Tabulae.

DIVAE. POPPAEAE. AVGVSTAE
IMP. NERONIS. CAESARIS. AVGVST
L. LICINIVS. L. F. GAL. GLAVCVS. LVCRETIANVS. FLAM. ROMAE
ET. AVG. II. VIR. IV. P. C. SEVIR. EQ. R. CVRIO. PRAEF. FABR. COS. TR. MILIT
LEG. XXII. PRIMIG. PRAEF. PROLEGAT. INSVLAR. BALIARVM. TR. MIL
LEG. VI. VICTRICIS. EX VOTO SVSCEPTO PRO SALVTE IMP. NERONIS
sic QVD BALIARIBVS VOVERAT ANNO A LICINIO NERVA COS. II VIR
A VFETO VEGETO ET Q. ABVRIO NEPOTE VBE VELLET PONERE. V. COMPOS
POSIT IOVI IVNONI MINERVAE FELICITATI ROMAE DIVO AVG.

Laeva parte eiusdem Tabulae:

IMP. NERONI. CLAVDIO. DIVI. CLAVDI. F. GERM
CAESARIS. N. TI. CAESARIS. AVG. PRO. N. DIVI. AVG. AB. N
CAESARI. AVG. GERM. P. M. TR. POT. XIII. IMP. XI. COS. IIII
L. LICINIVS. L. F. GAL. GLAVCVS. LVCRETIANVS. FLAM. ROMAE. ET. AVG. II. VIR
IIII. P. C. SEVIR. EQ. R. CVRIO. PRAEF. FABR. COS. TR. MIL. LEG. XXII. PRIMIG. PRAEF. PRELEG
INSVLARVM. BALIARVM. TR. MIL. LEG. VI. VICTRICIS. EX. VOTO SVSCEPTO PRO SALVTE
IMP. NERONIS. QVOD BALIARIBVS VOVERAT. ANNO. A. LICINIO NERVA COS II VIR A. VFETO
VEGETO. ET. Q. ABVRIO. NEPOTE. VBE. VELLET. PONERET. VOTO COMPOS POSIT IOVI
sic IVNONI MINERVE FELICITATI ROME DIVO AVGVSTO

Po-

Postremam huius Inscriptionis partem ita interpretor: *Imperatori Neroni Claudio, Divi Claudii Filio, Germanici Caesaris Nepoti, Tiberii Caesaris Augusti Pronepoti, Divi Augusti Abnepoti. Caesari, Augusto, Germanico, Pontifici Maximo, Tribuniciae Potestatis XIII, Imperatori XI, Consuli IIII, Lucius Licinius, Lucii Filius, Galeria (Tribu) Glaucus, Lucretianus, Flamen Romae, & Augusti, Duumvir (IIII. P. C.) Sevir, Equitum Romanorum Curio, Praefectus Fabrûm, Consularis, Tribunus Militum Legionis undevicesimae Primigeniae, Praefectus, Prolegatus Insularum Balearium, Tribunus Militum Legionis Sextae Victricis. Ex voto suscepto pro salute Imperatoris Neronis, quod Balearibus voverat, anno Aulo Licinio Nerva Consule, Duumviris Aulo Ufeto Vegeto, & Quincto Aburio Nepote, ubi vellet poneret, voti compos posiit Iovi, Iunoni, Minervae, Felicitati, Romae, Divo Augusto.*

Locupletiori commentario, non brevibus notis illustranda esset haec pereximia Tabula votiva, quae nunc primum in conspectum eruditorum prodit; quae mihi peramice communicata est a Moreschiis, ex ipso lapide diligenter, & accurate descripta. Ex ea discimus votum susceptum in Insulis Balearibus, quas laudat Romanae Historiae Princeps Livius, Lib. XXVIII. Consule A. Licinio Nerva; ac postea persolutum ab L. Licinio Glauco Lucretiano, ex Galeria Tribu Pisanorum, earumdem Insularum Praefecto, & Prolegato, ὑπὲρ σωτηρίας, pro salute, & incolumitate Neronis Claudii Caesaris Augusti, quartum Consulis; quo quidem tempore collegam habuit in consulatu Cossum Lentulum, Cossi filium; anno videlicet U.C. 813. Christi 60. quemadmodum etiam notatur in Fragmento Inscriptionis Collegii Fratrum Arvalium in Gruteriano Thesauro pag. CXVIII. 4. in quo legitur III. Nonas Ianuarias, Sulpicium Camerinum, Magistrum eiusdem Collegii, Fratrum Arvalium nomine, vota nuncupasse pro salute eiusdem Caesaris Neronis Claudii; qui tamen ut notatur in lapide, erat TRIB. POT. VII. IMP. VII. COS. IIII itemque pro Octavia, eius coniuge, quam cito aspernatus dimisit, relegavitque; ac tandem adulterii praetextu, iussit

iusſit occidi ; immolatis ſolenni ritu victimis in Capitolio in honorem Deorum, quae ſuperioris anni Magiſtri voverant.

Primo loco, velut digniori, ponitur in hac Tabula Poppaeae Sabinae Auguſtae coniugis nomen, quae etiam DIVAE titulo exornatur. Audiendus in hanc rem Tacitus Annal. Lib. XVI. qui haec ſcribit de Thraſea. *Quin, & illa obiectabat, principio anni, vitare Thraſeam ſolenne iuſiurandum*, NVNCVPATIONIBVS VOTORVM *non adeſſe; quamvis quindecemvirali ſacerdotio praeditum; numquam* PRO SALVTE PRINCIPIS, *aut caeleſti voce immolaſſe*. Et paullo poſt; *Eiuſdem animi eſt Poppaeam* DIVAM *non credere, cuius in acta Divi Auguſti, & Divi Iulii non credere*. Poppaeae Auguſtae, *Veneris* nomen attributum notat Fabrettus in quodam lapide, in Commentariis in Columnam Traiani Cap. VIII. p. 249.

L. Licinii votum adprobatum eſt a Duumviris Coloniae ſuae, ſcilicet ab A. Uſeto Vegeto, & a Q. Aburio Nepote, datumque eorum permiſsu, ut ubi vellet, poneret, donaria videlicet, ut auguror, in honorem Iovis, Iunonis, Minervae, Felicitatis, Romae, Divi Auguſti. Fortaſſis pro *Divo Auguſto*, ipſe Nero Claudius Caeſar voluit L. Licinius, adulationis cauſa, ut intelligeretur, nec tantum Auguſtus, cuius ipſe abnepos fuit.

Summa fuit veterum in Caeſares vel caritas, vel adulatio; adeo ut pro ſalute eorum, atque imperii aeternitate, ad Aras Numinum in Capitolio, vel in Templis victimas mactare, & quotannis eadem vota renovare non dubitaverint. Quin etiam ut gratiora tum Diis, tum Caeſaribus acciderent vota, quae iuramento conceperant, de quo adeundus Petrus Fabri in Comment. de Magiſtratibus Romanorum Cap. II. gladiatoria munera, ac ludos edere, ſtatuas Numinibus dicare, donaria Templis offerre, vel a ſolo ea erigere, vel reficere, epulum praebere conſuevere; ut ex pluribus vetuſtis inſcriptionibus colligere poſſumus, ac praeſertim ex Graeca Muſei Medicei, edita in Par. I. pag. 22. pro ſalute, & victoria, & incolumitate L. Septimii Seve-

Severi Caesaris, totiusque Domus Augustae, & ex Suetonio in Vita Augusti c. 8. & 57. & Caligulae c. 6. & 27. ubi haec narrantur. *Ut vero in adversam valetudinem incidit, pernoctantibus cunctis circa Palatium, non defuerunt, qui pugnaturos se armis pro salute aegri, quique capita sua, titulo proposito, voverent*. Solennibus votis, ac sacrificiis diem quoque prosecuti sunt quo imperium accepissent, vel quo nati essent; quae quidem non solum Romae, verum & in Provinciis, Municipiis, ac Coloniis Romanorum persolvebantur.

Quum vota facerent ad Orientem se convertebant, ut auctor est Clemens Alexandrinus Stromatum Lib. VII. quod etiam divinis rebus operantes, & orantes servabant, ut compertum est. Vota nuncupantes, ac persolventes stabant velato capite, ut narrat de Vespasiano Iosephus de Bello Lib. VI. c. 34. & dexteram manum ad caelum levabant, quo gestu in actione vota prosequebantur, ut ex Pausania Lib. V. p. 337. observavit Vir longe Clarissimus Philippus Senator Bonarrotius in Numismata maximi moduli pag. 195. Summo quoque mane orabant, vota suscipientes, & in argumentum sacrae festivitatis alba veste induebantur, ut sacra solennia peragerent, sine quibus nefas erat vota nuncupare. Tullius Philipp. III. *Neglectisque sacrificii solennibus, ante lucem, vota ea quae numquam solveret nuncupavit*. Et hoc de publicis votis; idem quoque factum in privatis. Persius Sat. II.

Ast ego nutrici non mando vota, negato
Iuppiter haec illi quamvis albata negarit.

Si quando contingeret, ut nocte persolvi deberent, coruscante templo luminum pompa id fiebat; quod in Capitolio noctu factum testatur Suetonius, aegrotante Caligula, c. 7. Quare ea omnia servabantur in votis suscipiendis persolvendisque, quae in sacrificiis servari mos erat. Vovebant etiam cum lampade, & cereis accensis; quod Graecis primum in usu fuisse innuit Seneca in Agamemnone:

Tibi votivam matres Graiae
Lampada iactant.

De lampadum, ac cereorum votivorum ſignificatione erudite Antonius Clarus Sylvius in Commentario ad Leges tum Regias, tum XII. Tabularum Cap. XX. pag. 454. 455. Qui vota faciebant, vel votivas aras Numinibus dicabant, ut populi amorem, & benevolentiam ſibi conciliarent, augerentque obſequium ſuum erga Caeſares, ſe ex monitu, iuſſu, imperiove Deorum vota ſolvere teſtabantur.

In principio quartae, vel quinctae lineae huius Inſcriptionis quid haec ſingularia ſignificent, IV. P. C. — IIII. P. C. ut ingenue fatear, neſcio. Fortaſſis ſcriptum in marmore IIII. L. C. hoc eſt, *Quatuorvir locorum coirandorum; vel Quartum Proconſul.*

Inſularum Balearium, quod addit huic marmori pretium, ſemel fit mentio in Gruteriana Gaza, pag. CCXCVIII. 3. in fragmento Faſtorum triumphalium, Romae effoſſo ad radices Eſquiliarum, in quo memoratur triumphus Q. Caecilii Metelli Proconſulis de Balearibus, quique Conſul fuit cum T. Quinctio, anno ſexcenteſimo trigeſimo, ut narrant Caſſiodorus, Eutropius Lib. IV. Oroſius Lib. V. Cap. XI. & Florus; quare cognominatus eſt Balearicus, teſte Strabone Lib. XIII. & Gruteriano marmore, in quo etiam ſcribitur BALIARIB. eodem modo ut in noſtra Tabula; & BALIARIC. i. *Baliaribus. Baliaricus.*

Q. CAECILIVS. Q. F. Q. N. METELLVS. A. DCX::::
BALIARIC. PRO. COS. DE. BALIARIB. PR.....

Noſter L. Licinius Glaucus Lucretianus fuit Flamen Romae, quam Romani colebant, de qua Martialis Lib. XII. Epigr. 9.


Terrarum Dea, Gentiumque ROMA,
Cui par eſt nihil, nihil ſecundum.

item Auguſti, ſive Auguſtorum, in quorum honorem, quum poſt mortem inter Deos relati eſſent, & conſecrati, Flamines inſtituti fuere, quorum originem narrat Tacitus Annalium Lib. I. Cetera ſummi honoris, & dignitatis officia eiuſdem L. Licinii, quae clara ſunt, expoſuimus.

Lunae

Lunae, Etruriae Urbe, Ara marmorea in eius ruderibus inventa.

56



Dedit Ioh. Baptistae Donio Patric. Flor. Franciscus Angelonius.

56. IVSTA N̄. Fortassis *Iunoni Iusta Nepos*. Quid alii sentiant de hac sigla N̄, melius exponent, dummodo probe exscriptum sit ex lapide. Interim hac occasione non abs re erit notare, Libertos vota Diis nuncupasse pro salute suorum Dominorum, ipsisque dona quaedam, & munera dedisse, quae in manumissione spoponderant, ut docet vetus Horatii Interpres in Epist. Lib. II. de qua celebritate alibi locupletius agam. Ex hac ara, & ex sequenti perspicuum est Iunonem, & Iovem cognomento *Sabazium*, [fortassis ab Etruscis primum ita denominatum] praecipuo honore cultos ab ipsis fuisse, quod etiam edita monumenta Etrusca testantur. Luna una e XII Etruriae Urbibus, portu maximo iuxta ac pulcherrimo nobilis, augurum, & aruspicum sedes, marmoribus insignis, quae etiam in vetustis Inscriptionibus laudantur. Vide Gruterum DXCIII. 5.

G 2 *Ibi-*

Ibidem, Ex MS. antiquo Redio.

57


Sergianae (Serzana) *in Agro Lunensi.*

58


D ❦ M . ANNIANVS . MA
FILIVS . FLAVIANVS . EX . SE
PALESTINA . ANTONIA . AG
CONIVGI . KARISSIMAE . VI
RELIQVIT . FILIOS . ET . NEPOTES

Descripsit Ioh. Petrus Stephanonius. Ex Collect. Cl. V. Donii P. Flor.

57. De Iove Sabazio, & de eius sacris diximus ad Florentinam Musei Suburbani Strozii Par. I. pag. 331. 332. Hanc affert Gruterus cum mendo, qui ait exstare Lucae, ex Apiano p. XXII. 4.

INSCRIPTIONES
ANTIQUAE
SENIS.

In Lapide Tiburtino, extra moenia, ad laevam Portae Romanae.

1

SILVANO. SAC.
C. VITRICIVS
MEMOR. VI. VIR
AVGVSTAL
VO. SOL

SENAS, Urbem Etruriae antiquiſſimam, putant viri docti Coloniam deductam fuiſſe ab Auguſto, una cum aliis viginti ſeptem, quarum Suetonius meminit his verbis cap. 46. *Ad hunc modum Urbe, urbaniſque rebus adminiſtratis, Italiam duodetriginta Coloniarum numero ab ſe deductarum frequentavit, operibuſque, ac vectigalibus publicis pluriſariam inſtruxit; etiam iure, ac dignatione Urbi quodammodo pro parte adaequavit: excogitato genere ſuffragiorum, quae de Magiſtratibus urbicis Decuriones Colonici in ſua quique Colonia ferrent, & ſub diem Comitiorum obſignata, Romam mitterent.* Huius Urbis antiquitatem, religionem, inſtituta, mores diſerte quoque teſtantur vetuſti lapides, vel Etruſcis, vel Romanis literis inſcul-

insculpti, qui in ea, iampridem eruti, exstant. De Etruscis monumentis nihil inpraesentiarum agendum, quum erudite satis, & luculenter illustrata fuerint, & addita praeclaro Operi Dempsteriano. Augustales, ac Seviros Augustales in honorem Augusti institutos, in Senensi Colonia fuisse, docet allatum marmor votivum, quod ibidem antiquitus effossum, ac parietinis affixum ad haec usque tempora eo, ut praediximus, loco conspicitur. Idem marmor C. Vitricius Memor, voti compos, fortassis ob susceptum a Decurionibus honorem, a quibus Sevir Augustalis creatus fuerat, Silvano Deo, Numini suo tutelari, ac domestico, in perenne grati animi monumentum sacravit. Quoties enim aliquod munus obeundum, vel aliquid agendum esset, ea fuit Gentium Ethnicae superstitioni addictarum religio, ut voto in honorem Deorum suscepto, iisdem praesentibus, ac propitiis se se obligarent. Eodem modo in Reinesiana Tabula Cl. I. 99. [paucis utar exemplis in re omnium exploratissima] L. Iunius Puteolanus, Decreto Decurionum Sevir Augustalis creatus, primus, & perpetuus, omnibusque honoribus exornatus, quos Libertini gerere potuerunt, epulo dato de sua pecunia, grati animi caussa, aram Neptuno Augusto dedicavit. In alia item penes Fabrettum pag. 405. n. 312. Q. Manilius, Palatina Tribu, Severianus, Sevir Augustalis, & Flamen Titialis factus, Neptuno reduci libens animo votum solvit.

Penes Augustales cura sacrorum, & ludorum erat, quibus honor Bisellii promiscuus, & ex aequo communis, quemadmodum auctoritate decreti Veientium Municipii ostendit Fabrettus pag. 170. & 227. De his pluribus in locis erudite disserit Reinesius Cl. I. n. 12. 92. 168. Cl. IV. n. 22. 41. 63. Henricus Noris in Caenotaphia Pisana Diss. I. Cap VI. Fabrettus Inscr. Ant. Cap. V. pag. 402. 403. quibus paucula addam, quae in vetustis lapidibus legendis adnotavi; atque illud primum, Seviros Augustales, quemadmodum Decuriones, apud quos summa auctoritas erat, aliquando ius habuisse decernendi loca, in quibus statuae

in

in honorem illuſtrium virorum dedicarentur ; itemque arcam habuiſse, in qua pecunia pro ſtatuis tuendis inferretur, verum permiſſu Caeſarum, ut ex Brixienſi lapide perſpicue colligitur, apud Gruterum CCCCXIX. Id totum diſerte docet Narbonenſis Tabula in Gruteriano Theſauro 12. CCCCXXIV. ex qua intelligimus, Liciniam Palladem ſtatuam dedicaſſe Q. Iulio Servando, Seviro Auguſtali Coloniae Narbonenſis, marito ſuo optimo, atque in tutionem eius ſtatuae, arcae Sevirorum certam pecuniae ſummam intuliſse, quorum decreto locus datus eſt, in quo eadem ſtatua honoris cauſſa poneretur. Hinc in duabus Gruterianis Inſcriptionibus CCCCLVII. 3. & CCCCLX. 9. Allifis, inter Auguſtales fuiſſe legimus, qui Quaeſtoris Auguſtalium munere fungebatur ; nam diſerte marmora habent, AVGVST · ALLIF . ET . AVGVSTALIVM QVAESTOR. Scilicet ; *Auguſtalis Allifis, & Auguſtalium Quaeſtor*. Quare perſpicuum eſt, communem arcam habuiſſe Auguſtales ad ſtipes colligendas, quam quoque habebant Collegia, Sodalitates, ac Corpora, & Virgines Veſtales, quemadmodum me legiſſe memini in antiquo lapide Gruteriani Theſauri.

Fuere praeterea in Municipiis, & in Coloniis Seviri Magiſtri Auguſtales, ſive Auguſtalium ; quorum nomina occurrunt quoque in Florentinis lapidibus editis Par. I. pag. 214. n. 2. pag. 290. n. 12. qui univerſum Collegium, ſeu Corpus Auguſtalium moderabantur. In Puteolano marmore a Reineſio allato Cl. VI. n. 22. primum recenſentur Decuriones, deinde Sodales Auguſtales, poſtremo vero Seviri Auguſtales, qui in pecuniae diſtributione pares ſunt Sodalibus Auguſtalibus, utrique vero Decurionibus inferiores ; quare quem ordinem in Coloniis, ac Municipiis haberent, vel quo in loco in eorum albo referrentur perſpectum habemus. Praeterea cum Seviris Auguſtalibus Flaviales coniunguntur, quorum fit mentio in Gruterianis 9. XIX. 10. XCVI. Vitricia gens plebeia, ex qua hic C. Vitricius Memor, cognita ex alio lapide penes Gruterum 2. DLXVIIII. Hanc Inſcriptionem reperi inter Collectanea

Cl.

Cl. V. Iohannis Baptistae Donii, qui ait Ugurgerio dedisse Fabium Chisium.

Tabula marmorea prope Balnea Avenionis, in Agro Senensi, in AEdibus Nobb. Amerighiorum.

2

NYMPHIS. SACR.
L. TREBONIVS. PATERNI
LIB. FORTVNATVS.
VOTO. POSVIT.
SIGNVM. CVM. BASIM
ET. AEDEM. F. CVR.

2. Idest: *Nymphis Sacrum. Lucius Trebonius Paterni Libertus Fortunatus, voto posuit signum cum basi marmorea, & aedem faciundam curavit.* Quum hoc marmor Nymphis sacrum, prope Balnea Avenionis in Agro Senensi, ut diximus, repertum fuerit; non de Nymphis Caelestibus, Terrestribus, seu Campestribus, Montensibus, & Nemorensibus, vel Hortis praesidentibus heic puto intelligendum, sed de Aquatilibus, ac Fontanis, scilicet Naiadibus, quae aquis, & fontibus praeesse credebantur, ac saepe cum Fontibus, & Lymphis coniunguntur. Aquas salubritate, medendisque corporibus nobiles experti veteres, vota Nymphis ceterisque tutelaribus Diis nuncupare, donaria pro gratiarum actione consecrare, sacrificia instituere, sacella, templa, aedes, aras, signa construere, ac dedicare consueverunt, vel si mortis periculo fuissent liberati; quod ex Gruterianis colligi potest 2. 9. XCIII. 2. XCIV. Nymphis vota quoque soluta ab Aquariis, & Aquilegibus reperimus 3. XCIV. & a Magistris Fontium, sive Fontanis, Genio Fontium, & Minervae, apud Fabrettum Inscr. Ant. pag. 24. n. 100. & pag.

332.

332. n. 495. quod horum Deorum ope, ac praesidio indigerent, ut rem suam bene gererent. Fontinalem Deum, qui aquis, & fontibus, cum Libero, qui vino praeerat, coniungit Plautinus Sagarinus in Sticho, Act. V. Sc. 4. v. 17. qui conservo suo dat optionem, an aquae, seu vino praeesse malit in convivio.

Speciosis vero cognominibus Nymphae appellantur in vetustis saxis, nempe, *Sanctissimae*, *Augustae*, *Novae*, *Salutiferae*, *Dulcissimae*, *Nutrices*, & *Dominae* in Hispalensi ara in Collectaneis Cl. Viri Iohannis Baptistae Donii, quae in lucem quamprimum proferam. Apud Hierapyntios, Latios, & Olontios, Cretae populos, tam reverendum fuit Nympharum numen, ut in foederibus sanciendis, per ipsas, ceterosque Deos iurare consueverint. Foedera, & iuramenta horum Populorum a Grutero pag DV. 2. & a Reinesio Cl. VII. 26. afferuntur: verum quum in his Nymphae post Curetas nominentur, non Nymphas aquarum praesides, sed Bacchi nutrices intelligendas esse censeo. AEdes, lucos, recessus Fontibus proximos, in honorem Nympharum veteres condidere, uti ex Pausania pluribus in locis constat. Quare L. Trebonium Fortunatum, Paterni Libertum, de domino suo optime meritum, utpote qui eius nomen posteris clarum esse voluerit, circa aliquem fluvium, vel fontem, seu potius circa antiqua balnea aedem Nymphis faciundam curasse facile crediderim. Praeterea expresse legitur in marmore ipsum voto posuisse Nymphis signum cum basi marmorea. Signum ex qua materia fuerit non indicatur. Signorum materia multiplex, aurum, argentum, aes, marmor, ebur. De his Aldus Manutius de Quaesitis per Epistolam Lib. II. n. V. ubi inquirit sit ne idem signum cum statua, an aliquid intersit. His adde lignum, cretam, & argillam. E ligno plura Deorum signa Pausanias recenset, quae etiam inaurari solebant, vel eximio aliquo colore pingi. Plinius fictilia quaedam simulacra memorat servata in Nymphaeo Lib. XXXV. Cap. 12. quem locum aliqui putant Nymphis dicatum fuisse, multiplici voluptatum, & deliciarum genere locupletem.

Signum voto positum a L. Trebonio Fortunato, cum basi marmorea, Nymphas exhibuisse puto, quamvis sciam Diis dedicari quandoque solita aliorum Deorum simulacra; quod ex Gruterianis colligo LXXVII. & LXXXII. 8. ubi signum Liberi Patris Panthei Fortunae Primigeniae, & Isidi signum Harpocratis dedicantur. Nympharum simulacra quomodo repraesentarentur ostendunt vetera anaglypha; in quibus vel palla virginea amictae exprimuntur, stantes, aquam ex hydria, vel ex marina concha fundentes, folium cuiusdam herbae aquaticae tenentes, quae fortassis ea herba est, quam *Nymphaeam* appellat Dioscorides, ab aquis stagnantibus Lib. III. Cap. 149. eoque modo sculptae visuntur apud Sponium in Miscellaneis Sect. II. Art. VII. vel seminudae, corpore inferius velato, ut in Mediceo marmore, inscriptione, & anaglyptico opere exornato, quod habes Par. I. pag. 47. n. LXXXVII. vel nudae, ut in alio apud Mazochium pag. CV. tum numero, tum habitu corporis omnino Gratiis similes, quarum sociae sunt; risu & ipsae amabiles, comtis comis, omnique cultu decentes. Perpulchra haec, & alia Nymphabus dicata monumenta exhibet Fabrettus Dissert. II. de Aquis, & Aquaed. in quibus rariorem solitariae Nymphae iacentis imaginem observavit.

Cum Nymphis sculpta quoque in votivis marmoribus alia numina, Diana venatrix, Silvanus, & Hercules, ut apud Sponium loco suprascripto pag. 31. item Mercurius, Hercules aquaticus, & Genius fontis, seu amnis apud Fabrettum Inscr. Ant. pag. 432. n. 5. Nymphas Musarum comites, ac socias facit Pausanias, qui in Libethrio monte vidit signa Musarum, & Nympharum cognomine Libethridum. De votivis sacris, quae quotannis fieri solebant in honorem Nympharum, Virgilius Ecl. V. v. 74.

Haec tibi semper erunt, & cum sollennia vota
Reddemus Nymphis, & cum lustrabimus agros.

De votis, quae Nymphis solvebantur, agit Tomasinus Cap. XXV. qui allatum lapidem Senensem illustrat, iampridem editum in Gruteri Thesauro XCIII. 10.

Non

Non paucas Senenſes antiquas Inſcriptiones collegit Sigiſmundus Titius, e Caſtilione Arretino oriundus, ſed civis Senenſis, in huius Urbis Hiſtoriis, quae ineditae ſunt; qui Tom. I. pag. 324. haec memorat, quae mecum omni humanitatis officio communicavit Vir Cl. Umbertus Benevolentius, Patricius Senenſis. *Lapis vero tempeſtate noſtra non longe a Talamone inventus eſt in aedificio amplo, atque collapſo, conteEtoque tellure; in quo huiuſmodi literae inciſae erant*: TERME [lege THERMAE] DIOCLETIANI. Titius Senas migravit paullo poſt annum 1480. vivebatque anno 1530.

In Tom. VIII. pag. 205. legitur. *Siquidem per hos dies fiſtulae, & cannae plumbeae apud Talamonis Senenſium portum conſpectae ſunt, ingenti numero advectae, ut venderentur. Deſtruxere quidem Florentini, & ſuperne demoliti ſunt nobilem aquaeductum, olim a ſuperioribus locis Tiburtinis in Urbem ad Campum Martium, & Pontem Mammolium a Domitiano Imperatore deductum per millia paſſuum viginti quinque, ut fiſtulas plumbeas longitudinis brachii unius, & quartae partis, ampliſſimi meatus, & craſſitudinis digitorum duorum, ut eruentes illas venditarent; nec puduit eos, lucri cauſa, tam priſca deſtruere, quae aliquando reſtituent. Quid enim putamus Domitianus egiſſet, ſi tunc futurorum conſcius fuiſſet. Senam pars non modica fiſtularum delata eſt, a mercatoribus coempta: ad eas viſendas vocati nos fuimus dolentes, & in duabus has literas deprehendimus, videlicet.*


ƆCXƆ. IMP. DOMITIANI AVGVSTI GERMANICI
CVRA POLLVDOVICIS L. PROC.
PHILIATVS LIB. FECIT

Fortaſſis legendum; CVRA POLYDEVCIS L. PROC. PHILETVS LIB. FECIT

Idem Titius Senenſium Hiſtoriarum Tom. VI. pag. 241. haec narrat: *Laurentio autem Mediceo caput Iovis aheneum, tenus pectore, arte fabricatum eximia, Senenſes dono impenderunt; nam dextra benigne, ſiniſtra vero parte irato, ac torvo oculo intuebatur: emptum enim fuerat a Dominico Callimacho, viro Antiquitatum amatore, ducatis ſeptuaginta.* H 2 *Mar-*

Marmoreae Tabulae fragmentum, repertum in Agro Senensi, in praedio S. Fidelis, Nobilium de Vecchis.

3



3. Ita fortassis supplenda, & interpretanda haec inscriptio. *Diis Manibus Auli Vicirii, Auli Filii, Arniensi* [Tribu] ...... *Tribuni Militum Legionis Quartae Scythicae, Praetoris Etruriae, Flaminis Romae, & Augustorum. Huic Decreto Decurionum funus publice datum ob merita.*

Singula breviter percurram, ne magis ingenio, quam veritati iudulsisse videar. Viciriae Gentis nomen cognitum ex alio lapide Gruteriani Thesauri 4. DCCXLVII. Vicirii cognomen, quod deest in marmore, aliis investigandum trado. In Gruterianis plures habemus Tribunos Legionis IV Scythicae, nempe P. Obsidium Rufum, in Patavino marmore 9. LXXII. C. Octavium Modestum, in Beneventano; & L. Octavium Rufum, in Suasiensi 5. 8. CCCCXLIV. praeter Centuriones, Veteranos, & Signiferos eiusdem Legionis; quos gradus, utpote inferioris conditionis, Vicirio nostro ratus sum haud convenire. Legio IV Scythica, alias

Mace-

Macedonica, ut ait Panvinius in Imper. Rom. ab Augusto in Syria lecta, in Germaniam superiorem a Claudio transportata est. Praetoris officium, ac dignitatem arbitratus sum gessisse A. Vicirium in Etruria, cum eius provinciae nomen scriptum in marmore inspexerim; exemplo Pisani lapidis, superius allati pag. 18. n. 12. qui diserte meminit Praetoris Etruriae. De Praetorum origine, processu, numero, ac varietate nihil dicam post praestantes doctrina viros Lipsium in Comment. in Lib. I. Annal. Taciti, Lazium in Comment. Reip. Romanae Lib. II. Cap. I. Pancirollum in Not. Imper. Orient. Cap. XCVIII. In Vulsiniensi lapide penes Gruterum CCCLXXXV. 1. laudatur L. Canuleius Praetor Etruriae XV Populorum; tot enim Etruriae Populos fuisse constat apud omnes, uti etiam notat Reinesius in 105. & 114. Class. VI. Ita quoque XV Umbriae Populi recensentur in lapide Fulginate in Sponii Miscellaneis pag. 183. De Flamine Romae, & Augustorum supra diximus pag. 50. n. 55. Reliqui versus cum Florentina Inscriptione pag. 213. n. 1. & cum ceteris iam editis consonant; quae videlicet funus publice datum, locum sepulturae, funeris impensam, laudationem, statuas, ornamenta, aliosque honores habitos post obitum summis viris, optime de republica meritis, exponunt.

Arniensem, sive Arnensem Tribum, ut testatur Carolus Sigonius Lib. I. de antiquo Iure Civium Romanorum, ab Arno Flumine appellatam, nemo dubitare poterit.

In Museo Nob. V. Hadriani Sani, Patricii Senensis.

4 IVLI. MARTIALI
OP. CHOR. IIII. PR
). VALENTIS Q. VIXI
AN. XXXIII. HER.
BENEMERENI.


Vetus tabula, olim inventa in aedibus Gigantum Hieronymi Victoris; hodie exstat in Valetudinario S. Mariae, Scalae *nuncupatae.*

5 C. GAVIVS. A. F
FAB. TVSCVS

4. Idest;

4. Ideſt; *Iulii Martialis*, vel *Iulio Martiali*, *Optioni Cohortis Quartae Praetoriae*, *Centuriae*, *ſive Centurionis Valentis*. *qui vixit annis triginta tribus*, *Heres benemerenti*. Ex alio lapide in Hortis Matthaeiis apud Fabrettum pag. 157. n. 269. habemus L. Sertorium Secundum, Optionem Cohortis Primae, Centuriae Rennii; & in alio pag. 31. n. LIX. Q. Iulium Donatianum, Optionem Centurionis Cohortis Tertiae. Optiones erant in militia adiutores, qui aegrorum, vel alias impeditorum munera ſubibant, quibus etiam interdum adiutores dabantur, qui Suboptiones dicebantur. Vide Reineſium in 3. Claſſis Primae, & Fabrettum in Traiani Columnam Cap. III. pag. 67. & 68. In nonnullis Legibus pro his accipiuntur, qui annonam militibus dividebant; uti Lege IX. C. de iure Fiſci l. IX. C. de exact. tribut. L. III. C. de Apoch. public. & Novel. Martiani de indul. rel. Novel. Iuſtiniani 129. De Optionibus integro capite agit Langlaeus J. C. Lib. VII. Otii Semeſtris pag. 312. Conſule Pareum in Lexico Plautino.

Apud Senalongam in lapide Tiburtino, ante Eccleſiam, ſive Paganicam.

6 

D M
C. VMBRICIO ...... CELERI
ARRETINO . EQVITI
...
...

6. Hoc modo fortaſſis ſupplendus lapis in primo verſu; C. VMBRICIO C. F. POM. CELERI. Pomptina Tribu; in qua ſuffragia ferebant Arretini. Umbricia Familia clara ex vetuſtis lapidibus, atque ex Florentino Muſei Medicei

pag.

pag. 28. n. L. quem invenit Vir longe doctissimus Petrus Victorius in AEdicula quadam iuxta Divi Cassiani, ac primus edidit Variarum Lectionum Lib. XXXVII. Cap. XI. Ea forte ex Umbria id nominis nacta est.

In Palatio Archiepiscopi.

7 D ɗ M
C. VIBIO. C. F. OVF
CLEMENTI
EQVO. PVBL
VIX. ANN. XVIII
ME. IIII. DIEB. XVIII
P................

In Domo Burghesiorum, Tabula marmorea.

8
P. AEL. THEOPHILETIS
COENONA. AD CLAR
P. AEL. THEOPHILETIS
STACTVM. AEL
P. AEL. THEOPHILETIS
P. AEL. THEOPHILETIS

7. OVF. *Ousentina Tribu*. EQVO. PVBL. *Equo publico*. Qui strenue operam suam in bello navassent, vel in suis Coloniis, & Municipiis gladiatoria munera, omnemque spectaculorum apparatum edidissent, ob merita, & plurimas liberalitates, militaribus ornamentis, armillis, torquibus, coronis, phaleris, hastis puris argenteis, & equo publico, qui scilicet publica pecunia alebatur, ab Imperatoribus donabantur. Quamvis enim quis esset ex ordine equestri, equo etiam publico honoris gratia exornabatur; ut observat vir longe eruditissimus Henricus Norius in Cenotaphia Pisana Dissert. I. Cap. 3. Equites annulo, & equo publico a Censoribus donabantur; quod si in censu agendo strigosum, aut male habitum equum ducerent, multabantur, & equo illo privabantur. Census hic *Transvectio*, vel *Equorum probatio* vocabatur, quae in Romano Kalendario, & in lapidibus, & nummis memoratur. Insignem locum Val. Maximi notavit Dempsterus in Notis ad Rosinum Lib. I. Cap. XVII. quem vide. In vetusto lapide apud Mazochium pag. XXIII. hominum quoque armigerorum *ostentationem* adnotavi, quae vulgo a nostris dicitur (*mostra, rassegna.*) *In*

In Museo Nobb. Saniorum.

9

DIS. MANIB. C. PERPERNÆ
C. F. SER. GEMINO. C. PERPER
AGATHOPVS. ET. SATVRNINA
ET. FORTVNATA. H
LIB. FEC. V. A. LXVIII

9. Perpernorum Gens diversa a Perpennis, quorum meminere complures vetusti lapides, verum cum altera saepius confusa. Causa Q. Roscii Comoedi acta est apud C. Pisonem iudicem a Praetore datum, cui M. Perperna vir Consularis in consilio adfuit, ut videre est in Oratione Ciceronis; in qua Hottomannus, & Turnebus, magni nominis viri, *M. Perpernam*, non *M. Perpennam* legendum censent.

SER. Idest; ex Tribu Sergia. H. LIB. FEC. *Heredes Liberti fecerunt*, ut puto. Liberti enim patronis, & patroni aeque libertis heredes erant, cum aut intestati, aut sine filiis obiissent. Ita mortuo Pompeio Vindullo, hereditas ad Magnum Pompeium pertinuit, teste Cicerone ad Atticum. Lib. VI. Epist. II.

Ibidem Urna marmorea.

10

C. TANVSI. C. F.
BALBINI
ANICI

10.

10. *Tamusia* Gens hactenus incognita, ex hac Urna in conspectum eruditorum prodit. Nullum profecto licet exiguum antiquitatis frustulum contemnendum videtur, ex quo novi aliquid semper disci potest; quicquid garriant sciтuli quidam in omni eruditione infantissimi pueri, quos inania, ac stulta quaedam in conspectu doctorum virorum interdum effutire minime pudet, ut rerum omnium, ne dicam antiquarum, ignorationem suam solennius testentur. Perperam edidit Gruterus DCCCLVII. 12. qui habet
CL. ANVSI. C. F. BALBINI ANVCI.

Ibidem Urna e Pario marmore, quae in Monte Alcino reperta est.

11

D . M .
Q. CAECILIO.
EVHELPISTO.
AVITIANO. Q.V.A.
XXXII. M. I. D. VIII.
CAECILIA . HELPI
DO . MATER
INFELICISSIMA.
FEC.

Ibidem.

12

D . M
M. VALERIO
IVSTO. VIXIT
ANN. XIIII.
M. XI. D. XIIII. F.
VAL. EVMOFVS. F
COMINIA . IVSTA
III . DVI.

In tegula reperta in quodam praedio Villae Lornanensis Clar. ac Nob. Viri Umberti Benevolentii.

13

L. N V M E R I
E X P E D I T I

I

12. Sextum versum ita legendum auguror ; VAL . EVMOLFVS (forte EVMOLPVS Ē ,) *et Cominia Iusta* . Literas in coronide sculptas , forte pro FIL . DVL . hoc est , *Filio dulcissimo* .

13. L . NVMERI . h. e. *Numerii* . Virgilius AEneid. Lib. I. v. 247.

Hic tamen ille urbem Patavi , sedesque locavit .

Frequenter veteres Poetae in huiusmodi genitivis geminantibus *ii* , alterum ex iis subtrahunt , ut decennes pueri norunt. In vetustis saxis idem factum observatur, licet non raro ubi cum uno tantum I scribendus esset, cum duobus genitivus repraesentetur ; ut DIVII , pro DIVI . HOMERII , pro HOMERI, ut in Titulo Columbarii edito n. CXXXIII.

In Villa Nobb. Bonsignoriorum in Agro Senensi .

14

T. MANLIVS

Ↄ. L. PRIMIO. AN. VII

MANLIA

PRISCA . AN . VI

In exteriore pariete Domus D. Canonici Buti .

15

DIS . MA.

SEX . PETILIO

PRIMIGENIO

IVSTA

PATRI

In quadam Urna reperta prope Senas ad [Camporsevoli]

16

L . FABRICIVS LVSCINI

L . AMPHIO CAPITO

Apud Augustum Mannium I. C. Urna marmorea .

17

L . ARRIVS

L . F . RESTIT

VTVS . VIXIT

ANNIS . OCTO

Ma-

Marmorea Tabula apud V. Cl. Celsum Cittadinium, effossa sub Altari AEdis S. Laurentii Sacrarum Virginum.

18 D . M
PVBLILIAE
MARCELLAE
QVAE. VIXIT
ANNIS. XXXVII
.................TEM

Alicubi, ex Schedis Bibliothecae Vaticanae in Collectaneis Cl. V. Donii Patr. Flor.

19 T. FL. MENECRATI
ANO
HELENA . CONIVGI
CARISSIMO. B. M. F

In Museo D. Canonici Benedicti Bandinellii, Patricii Senensis.

20

D M
M. CORNELIVS. HILARVS
CORNELIAE . FORTVNATAE . FILIAE
KARISSIMAE . FECIT. QVAE. VIXIT.
AN. XXII. M. V. ET. BVRSVLIAE . SECVN
DAE. CONIVGI. KARISSIM. ET SIBI FECIT

20. Eruditorum omnium virorum consensu, optime de Antiquitatis studio meriti sunt non ii tantum, qui in eo amplificando, atque illustrando sedulam navant operam, verum etiam qui vetera monumenta, omni ope qua possunt, undique sibi conquirunt. Sequentes inscriptos lapides Romae congestos a Nobili Viro Francisco Bandinio, sua impensa Senas asportari fecit Dionysius Marescottius, Vir Equestris Ordinis, Patricius Senensis; quo mortuo in

I 2 anti-

antiquariam supellectilem venere D. Benedicti Bandinellii, Canonici Senensis.

Solent viri, maeroris quadam formula in monumentis non raro adhibita, posteris testari, uxores suas celeri fato interceptas, nil aliud praeter dolorem reliquisse, ac de ipsis nihil dolere, nisi earum mortem. Verum quandoque votum maritorum elucet, quod fuit uxoribus supervivere, uti e contra uxorum maritis; ut supremos honores propter mutuum in se amorem, & benevolentiam persolverent. Id ex aliis pluribus, & ex hac Inscriptione eruitur in qua postremo in loco ET SIBI, conditum sepulcrum indicat M. Cornelius Hilarus, quasi supremum obire diem velit, praemortua uxore sua Bursulia Secunda. Votum maritorum supervivendi uxoribus, uti e contra uxorum maritis pluribus exemplis confirmat Pareus in Electis Plautinis. Praeterea id quoque notandum ex hoc Senensi lapide, veteres liberorum procreationem tam summum decus existimasse, ut pari appellatione, amoris caussa, tum filios, tum coniuges affecerint, filiosque ipsis coniugibus praeponere, & honoris ergo prius nominare non dubitaverint.

Hic M. Cornelius Hilarus, unus, ni fallor, fuit ex Ordine Corporatorum Lenunculariorum, Tabulariorum, Auxiliariorum Ostiensium; cuius meminit Romanus laterculus a Reinesio allatus Clas. X. 1. n. 165. qui floruit Imperatore Caesare Helvio Pertinace, iterum Consule, Anno U. 945. Chr. 193. Bursulia gens Grutero aliisque antiquariis hactenus incognita, ex hoc lapide optatam lucem sibi vindicat.

Ibidem.

21

Ɔ T ARRVNTIVS
FLORVS . H. S. EST
L. NOVIVS. DECEMBER
POSVIT

Ibidem.

22 D . M . S
FABIAE OENANTHIAE
CONIVGI
BENEMERENTI

Ibi-

Ibidem.

23

D . M
CEIONIO DIAGORAE
COIVGI BENEMERENTI
QVI VIXIT ANNIS LXIII
M. V. D. VIII CVIVS MATRI
MONIO VIXIT ANNIS XXX
D. VII
VATERNIA IVSTINA
COIVX

Ibidem.

24

D . M
OGVLNIAE
IANVARIAE
M. PLAVTIVS
ALEXANDER
CONI B M FEC
V. A XXXXV

23. Ceioniorum non pauca exſtant monumenta iam edita. Vide Henr. Noriſium in Epiſt. Conſul. p. 47. Perſaepe notantur in lapidibus uxorum, & virorum anni in matrimonio exacti, vel ſi in eo vixerint ſine lite, querela, aut controverſia; tunc ſiquidem ſe felices putabant, idque ſibi pro magna laude ponebant. Horatius Carm. Lib. I. Od. 13.

Felices ter, & amplius
Quos irrupta tenet copula: nec malis
Divulſus querimoniis
Suprema citius ſolvet amor die.

Quos verſus Graece ita mihi reddidit Vir Clariſſimus, meique amantiſſimus Antonius Maria Salvinius, noctu ſecum meditatos, cum morbo exagitatus, horas duceret inſomnes:

Ευολβοι γὲ τρὶς ὄλβιοι,
Ους ἄῤῥηκτον ἔχει τὸ ζυγόν. ὐ κακοῖς
Εξπασσεὶς τε λύπαις
Ομως τῆς μόιρας τάχιον λύσει ἔρως χρόνῳ.

Quod ſi mariti viverent cum odioſa uxore, Herculis labores ſe ſuſtinere arbitrabantur, ut apud Plautum teſtatur Periphanes, in Epid. 2. 1. v. 9.

Hercules ego fui, dum illa mecum fuit; neque ſexta AErumna
Acerbior Herculi, quàm illa mihi, obiecta 'ſt.

Tunc

Tunc siquidem infelices coniuges alter alteri mortem exoptat. Sic Megadorus ille de filia Euclionis in Plauti Aul. 2. 1. v. 32.

— Ut quidem emoriar, priusquam ducam.
Sed his legibus, si quam dare vis, ducam: quae
Cras veniat, perendie foras feratur.

24. Ogulnia gens, sive, ut Capitolini Fasti habent, *Oculnia*, variis Magistratibus insignis est, & ex numis cognita; cuius sepulcrum fuisse docet Fabrettus Inscr. Ant. pag. 67. 68. dextrorsum, 11. lapide Viae Appiae, in Vinea Brunona. Vide etiam pag. 99. Quincti Ogulnii nomen celebre est in Romana Historia, qui unus fuit e numero Legatorum, qui, cum triennio continuo pestilentia Roma vexaretur, ad Templum AEsculapii Epidauri missi sunt, ut aliquid ex eo salubre patriae accerserent; ubi anguis specie religiosa omnium admiratione conspectus, appetitae clarioris sedis alacritatem ferens, ad Romanam triremem perrexit; ac paventibus inusitato spectaculo nautis, eo conscendit, ubi Q. Ogulnii legati tabernaculum erat, quod ille locus dignior sibi visus esset; ut memorat Valerius Maximus Lib. I. de Mirac. Cap. IX.

Ibidem.

25
FVTIAE VITELLAE
ATHENODORVS
COIVGI. KARISSIMAE

Ibidem.


26
DOMITIA
CN. F. IRENA
VIX. ANN. XXVII

25. Futiae gentis fit mentio in tribus sepulcralibus Titulis apud Fabrettum, in quorum primo Cap. III. n. 587. C. Futius Onirus iterum Duumvir epulas, & profusiones, natali filiae suae Futiae Lollianae, quotannis celebrandas, ac confrequentandas a Decurionibus instituit; in altero Cap. VI. n. 161. Futia Longina ob dedicationem statuae L. Lollii Marciani filii sui, Decurionibus, Augustalibus epulan-

lantibus, & populo viritim divisiones dedit. Vide etiam Cap. IX. n. 204.

Ibidem.

27



Ibidem.

28



Ibidem.

29 M ANNIO VITALI
IVNIA POLYCARPI
A FILIO PIISSIMO
QVI VIXIT ANNIS
XII MENSES VIIII
DIES X

Ibidem.

30 D M
AEBVTIAE
FLORAE
V A. XXX. F.
AEBVTIVS
PRIMIGENIVS
CONIVGI. S
B M

28. Plaetoriam Familiam ex Sabinis originem duxisse coniicit Fabrettus cum Fulvio Ursino Inscr. Ant. pag. 709. In numo Musei Ricchardi ex una legitur CESTIANVS, cum Cybelis capite; ex altera, M. PLEAETORIVS AED. CVR EX. S. C. cum sella curuli. *Ibi-*

Ibidem.

31

D M

AELIA . AMPLIATA SE VI
VA . FECIT . SIBI . ET . AVREL
AVG . LIB . ARRIANO . COIV
GI . ET LIBERIS EORVM . LIB.
LIBERTABVSQVE . POSTERIS
QVE . EORVM . H . M . H . N . S

Ibidem.

32

D . M
C. SEPTIMIO . DECIANO
QVI VIXIT ANNIS
XXXIII MENSIBVS XI
DIEBVS XVII . H . X
RVFINA VXOR
COIVGI DVLCISSIMO
B . M . FECIT

Ibidem.

33

D . M
VETTIAE FELICITATI
QVAE VIX . ANN . XIIII
D . XXIX . FECERVNT
PARENTES

Ibidem.

34

DIS MANIBVS
sic AGATOPVS LACA
ENE CONSERVAE
PIENTISSIMA
E ET CARISSIMAE

In Urna marmorea, ibidem.

35

D M . C . LIVINEIO
TVRPILIANO
SOLANIA . C . F
NIGRINA . COIVGI
BENEMERENTI FECIT

31. Veteres ut securi posterorum essent, ut alias monuimus, viventes sibi sepulcrum parabant; quod a mulieribus quoque factum docet haec inscriptio, & sequens n. 39. quamquam ipsae praesertim mortem extimescant. Plautus in Rud. 3. 3. v. 23.

Sed


Sed muliebri animo ſum tamen ; miſerae ubi venit in mentem
Mihi mortis metus , membra occupat edepol .

Verum ut ait Horatius Carm. Lib. I. Od. 4.

Vitae ſumma brevis ſpem nos vetat incboare longam .

Ibidem .

36



36. Quid *νοθείας* redolere videtur hoc marmor , recentiori manu ,ut puto , confictum .

Ibidem .

37

D M
M VLPIVS
LYSIMACHVS
VLPIAE LYSIDIAE
DVLCISSIMAE
FILIAE FECIT

Ibidem .

38

ANTONIA . L . ET .). I .....
FECIT . SIBI . ET
L . ANTONIO. PHILI...
PATRONO . ET
FILIS ET FILIABVS....

38. Liberti, dominos ſuos , a quibus in manumiſſione libertatem conſecuti ſunt , *patronos* iure merito appellant ; quod eorum praeſidio ſerventur , ac defendantur . Perfrequenter etiam coniuges viros ſuos *patronos* , & *dominos* vocant , uti plures antiquae Inſcriptiones teſtantur : e contra viri pariter coniuges ſuas *patronas* , & *dominas* honoris gratia compellant , ut ex Florentina pag. 184. n. 225. diſcimus.

K *Ibi-*

Ibidem.

39

Hic protome mulieris
VI VA
FECIT SIBI
D M
CORNELIA
OLYMPIAS

Ibidem.

40

D M
C. NVMMIO. MECVRI
ALI. QVI. VIX. AN. X. M. IX
NONIA. CLYMENE. ET
VESVLLIVS HELIVS
PARENTES FILIO
DVLCISSIMO
FECERVNT

40. VESVLLIVS HELIVS. *Vesulliae* Gentis, hactenus antiquariis incognitae, nunc primum fit mentio in hoc lapide.

Ibidem Christiana Inscriptio.

41

MARSAE BON
E COMPAR LABOR
ONI BONE QVI M
ECV BIXISTI ANNO
S VIII DORMI IN PA
CE BENE FIL TVI TIBI FE
CERVT VINCENTIVS

SVANAE, *quae nunc est Urbs Etruriae, in ditione Senensi, marmorea tabula in exteriore pariete cuiusdam Domus in Via maiori.*

42

N V M
S A C
AL. ASSI
R I V S
I V S T V S
E X V O T O

41. Deletis soloecis ita interpretandam arbitror: *Marsae bonae, compari laboris, coniugi bonae, quae mecum vixisti annos octo. dormi in pace. bene filii tui fecerunt, Vincentius.*

Compares dicuntur Coniuges Σύζυγοι, Συζυγεῖς, Συζυγέντες; & quidem eiusdem laboris, qui in cura filiorum, & do-

& domus impendendus est. Plautus in Casina 4. 2. v. 18.

Sed eccom progreditur cum corona, & lampade,
Meus sociennus, compar, conmaritus villicus.

Horatius Carm. Lib. II. Od. 5. Amantes quoque ab eodem Plauto σύζυγοι *compares* appellantur.

DORMI IN PACE. Consueta funebris Christianorum acclamatio, quibus supremis verbis religiosissimis, pia defunctorum officia in die depositionis eorumdem prosequebantur.

42. Idest; *Nymphis Sacrum*. AL. forte, *Flavius Assyrius Iustus ex voto*.

Ibidem, in eadem Via maiori ad AEdem D. Mamiliani.

43

D M
CANINIO LIB
COMMVNI
CANINIVS
LEGITIMVS PATER
OPTIME DE SE
MERITO. F

In basi Urnae aquae lustralis in Ecclesia S. Mamiliani.

44

D M
VARIO. EVDAE
MONI. CONIVGI
BEN. MER
AGRIA. INGENVA
ET. VARII
INGENVVS. ET
EVDAEMON. FIL

44. Gruterus ex Cl. Cittadinio edidit pag. MCXLV. 9. VARII INGENVVS. ET EVDAEMON. FIL. i. *Filii*. Ne familiae nomen singulis qui nominantur ex eadem familia repeterent, unum ut singulos indicaret praeponere consueverunt. Ita apud Sponium in Miscell. pag. 72. aram Iovi dicarunt Cingii duo, idest Stabulo, & Aulus, ex Cingia Gente; non vero cognomen est Iovis *Cingidui*. In ara quoque Florentina, quam Dianae invictae dicarunt Volumnii duo, Verus, & Severus, legendum est Volumnius Verus, & Volumnius Severus; vide pag. 333. n. 2.

Dum haec fcribo, die XVII Menfis Decembris huius anni MDCCXXVIII. prope antiquum opidum *Montis Aperti*, in Villa huius nominis Nobilis Viri D. Iohannis Baptiftae Tommafi, quae a Senenfi Urbe IV millia pasfuum diftat, iuxta Arbiam, dum foffae quaedam fierent inventum eft Etrufcum Hypogaeum, quadrata forma in lapide exfcifum, duodecim circiter palmorum quoquoverfus latum, in quo pofitae quindecim arculae e lapide Tiburtino, literis Etrufcis in operculo infcriptae, praeter non paucas Urnulas fictiles, quarum etiam aliquae Etrufca Infcriptione ornatae. Oftii huius Hypogaei fuperliminaria Etrufcis literis infculptis valde infignia obfervata funt; quae omnia quamprimum in eruditorum manus venient, quum eximium decus addant Senenfi Urbi, eamque veteres Etrufcos incoluiffe perfpicue oftendant. Locus, ubi praeclara haec Etrufcae antiquitatis monumenta inventa funt, proximas habet Villas, quae vulgo appellantur *Pancole*, & *Dofana*; quarum prima a Senenfibus Hiftoricis interpretatur *Pan collis*, quafi *Panos* Dei *collis*; altera *duo Fana*, quae ibidem falfis Numinibus dedicavit Ethnicorum religio.



IN-

INSCRIPTIONES
ANTIQUAE
FAESULIS.

I



Ex Schedis L. Holstenii.

FAESULARUM antiquissimi, validissimique Etruriae Opidi, ac Municipii, priscis seculis, praeclarum fuit nomen, summae opes, insignis potentia; quae clarissimo veterum Scriptorum tum Graecorum, tum Latinorum testimonio memorantur. Reiecto Iohannis Villanii, Florentinae Historiae eximii Scriptoris, derididiculo nominis Faesulae etymo, quod patria nostra lingua sonat *fie sola*, videlicet, *fiat sola*; originem accuratius his verbis illustravit do-

doctiſſimus Politianus in Epiſtola ſecunda ad Petrum Medicem, quum de Colonia Florentinorum a Triumviris deducta diſſeruiſſet: *Faeſulae reſtant, quas ab Atlante illo caelifero conditas & vetus fama fert, & homo, ut illis temporibus, doctiſſimus Iohannes Boccaccius confirmat: quae ne diutius tamen vacillet auctoritas, Heſiodum citare poſſum vetuſtiſſimum Poetam, qui Faeſulam fuiſſe unam, ſed & primam Nympharum declarat, a quibus Hyadum, ſeu Latine Sucularum ſidus exprimitur; quarum ſcilicet poſitum Luna repraeſentat, quod adhuc inſigne Faeſulanis eſt: niſi potius ob id Lunam geſtant, quòd ultima erraticarum verticem ipſum Atlantis caelum fulcientis potiſſimum premit. Sed audi iam verſus Heſiodios, quos ex libro ipſius, cui titulus Aſtraea, partim gravis auctor Theon, partim Zezes ille Grammaticus repetit in Epiſtolarum ſuarum commentariis, incomparabilis memoriae vir, atque infinitae pene lectionis:*

Νύμφαι χαρίτεσσιν ὁμοῖαι
Φαισύλη ἠδὲ Κορονὶς, εὐςέφανός τε Κλέεια;
Φαιώθ' ἱμερόεσσα ϗ Εὐδώρη τανύπεπλος.
Νύμφαι ἃς ὑάδας καλέυσι φῦλ' ἀνθρώπων.

Vides ut Faeſulam nominat Heſiodus inter Hyadas potiſſimam, quod apud Euſtathium quoque reperias, quamvis in eo mendoſis codicibus AEſula *ſit. Sed & Ammonius Grammaticus Faeſulae meminit, ut unius e Bacchi nutricibus. Hyadas autem fuiſſe Atlantis filias, & eaſdem Bacchi nutrices, nullus credo paullo humanior ignorat.*

Verum haec, ut verbis utar T. Livii Romanarum Hiſtoriarum conditoris praeſtantiſſimi, poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum geſtarum monumentis traduntur; quae nec adfirmare, nec refellere in animo eſt. Haud tamen abnuerim Faeſulas, vel a Pelaſgis, vel ab aliquo ex Etruſcis Regibus, ſeu Praefectis, qui Lucumones appellabantur; ut originem, ita & nomen habere potuiſſe. Hanc meam opinionem Silii Italici fulcit auctoritas, qui Lib. VIII [cuius verba paullo inferius adducam] Etruriae recenſens populos, qui Cannenſi pugna in acie Romana ſteterunt, non tantum inter reliquas Etruriae urbes hanc connumerat, verum etiam prae ceteris praecipuam ei tribuit divinan-

nandi augurandique peritiam, quam Etruscorum fuisse propriam exploratissimum est. Id praeterea, allato Polybii textu ex Lib. II. diserte affirmat Philippus Cluverius Italiae Antiquae Lib. II. Cap. I. pag. 452. qui omnium eruditissime, & luculenter de Etruria disseruit. *At*, inquit, *praedicta tamen Urbs* Faesulae, *trans Arnum sita, semper Etruscorum fuit, postquam hac Etruriae parte Pelasgi illis cessere*. Quod si alia quis cupiat argumenta, quae idem probare possint, complura in Faesularum ruderibus afferam inventa Etrusca monumenta, inter quae illud insigne est ex arenario lapide, Faesulis, ut a maioribus acceptum est, repertum; quod servatur in AEdibus celeberrimi aeque ac clarissimi Senatoris Philippi Bonarrotii, cuius anaglyphum, Etrusca pariter Inscriptione exornatum, repraesentat militem aperto capite, solutis capillis, & super humeros defluentibus, rudiori vestitu, & armatura, ut antiquioribus temporibus mos erat, incedentem: nam milites vel nudi, vel angusto indumento, velut thorace & braccis, utebantur; quod editum est in praeclaro Dempsteri Opere de Etruria Regali Tab. LXXII. n. 2. & ab eodem Senatore illustratum in Explicationibus, & Coniecturis Operi Dempsteriano additis pag. 48. & 95. Alium militem delineatum vidi in autographo Caroli Strozii Senatoris Florentini, antiquarii insignis, in eius Bibliotheca; qui adnotavit se eum excepisse ex rudi quodam lapide, longa vetustate pene consumto, & inferius fracto, altitudinis fere palmorum quinque, qui anno MDCLIX. erutus est in praedio Nobilium de Carlinis, in Villa Casalis, non longe a Villa Mediceorum Principum, quae *Petraria* appellatur, quaeque a Faesulis parum distat. Hic miles in eo lapide ruditer sculptus, Bonarrotiano admodum similis est; recto videlicet statu, eodemque modo armatus, mucronatam hastam, quae fere eius staturam aequat sinistra manu, & brevem gladium dextra gerens; caput vero galea cristata munitum habet: quae crista, iniuria temporis detrita, fere nascentem lunam imitatur, cornibus deorsum inversam, eo prorsus modo, quo sculpti

sunt

ſunt Etruſci milites in pluribus monumentis, ac praeſertim apud Dempſterum Tab. LXXVIII.

Faeſulas in XII principum Etruriae Urbium numero fuiſſe plures viri docti ſcripſere, primuſque omnium Flavius Blondus in Etruria ſua pag. 300. operum editionis Frobenianae: quem ſecuti poſtea ſunt Carolus Sigonius de antiquo Iure Italiae Lib. I. Cap. 9. & noſter Vincentius Borghinius de Etruriae Urbibus differentes pag. 330. Ex eo numero Faeſulas expunxerunt praecellentiſſimi viri Cluverius, Holſtenius, & Iuſtus Fontaninus Archiepiſcopus Ancyranus, in eruditiſſimo opere de Antiquitatibus Hortae Lib. I. Cap. I. quem operaepretium facies ſi conſulas.

Non parum vero laudis, & gloriae Faeſulanis civibus accedit ex his quae ſubnectam. Conſtat enim in Etruria claros imprimis Augures fuiſſe, & prodigiorum per fulmina oſtentorum Interpretes, ſeu Haruſpices Fulguriatores, quorum his verbis meminit Cicero II. de Divinatione. *Nonne intelligis, eadem uti poſſe & aruſpices, & fulguratores, & interpretes oſtentorum?* Pro *fulguratores*, legendum forte *fulguriatores*, auctoritate vetuſtiſſimi lapidis Piſaurienſis, Latina & Etruſca Inſcriptione, quae ei raritatis laudem affert, exſculpti, in memoriam T. Atii Haruſpicis FVLGVRIATOR*is*, ex Stellatina Tribu, quae & Cortonenſium fuit, ut inferius oſtendam. Hic lapis accuratius quam a Fabretto editus ſit pag. 696. n. 171. eruditorum oculis ſubiicitur in praeclaro Dempſteri Opere de Etruria Regali Lib. III. Cap. 3. Ab Etruſcis ad Romanos allatam fuiſſe Augurum, & Haruſpicum veterem diſciplinam perſpicue docent tum Graeci, tum Latini Scriptores, e quorum illuſtri copia duos eligam Ciceronem, & Diodorum Siculum, quorum luculentiſſimum teſtimonium ſilentio minime praetereundum eſt. Primus igitur haec ſcribit Libro I. de Divinatione: *Etruria de caelo tacta ſcientiſſime animadvertit, eademque interpretatur quid quibuſque oſtendatur monſtris atque portentis.* Alterius vero haec ſunt verba ex Libro V. Γράμματά τε ϗ φυσιολογίαν ἐξεπόνησαν ἐπὶ πλεῖστον, ϗ τὰ περὶ τὴν κεραυνοσκοπίαν μάλιστα.

πάντων

πάντων ἀνθρώπων οἱ τῆς οἰκουμένης σχεδὸν ὅλης ἡγούμενοι θαυμάζουσί τε τοὺς ἄνδρας, καὶ κατὰ τὰς ἐν τοῖς κεραυνοῖς διοσημείας τούτοις ἐξηγηταῖς χρῶνται. Hoc eſt: *Literis vero & in primis naturae perſcrutationi plurimum ſtudii impenderunt; fulminum conſiderationi prae cunctis mortalibus ſummopere intenti. Quapropter hac etiam aetate totius prope orbis moderatores* [Romanos intelligit] *hos viros admirantur, & prodigiorum per fulmina oſtentorum interpretibus illis utuntur.*

Id veteri lege ſancitum erat, in haec verba: *Prodigia & portenta ad Etruſcos haruſpices, ſi Senatus iuſſerit, deferunto. Etruriaeque principes diſciplinam diſcunto, quibus Divis decreverint, procuranto, iiſdem fulgura & oſtenta pianto, auſpicia ſervanto, auguri parento.* Quanta vero Augurum dignitas fuerit oſtendit Alexander ab Alexandro Dierum genialium Libro V. Cap. XIX. cuius verba in medium proferre minime piget. *Hi ergo velut interpretes, internunciique Deorum, tantae dignationis habiti ſunt, ut eum qui haruſpicinam fecerat, in Senatum adſcribi, & inter Patres legi fas eſſe duceretur. Regibus quoque ſicut iura dare, & ſapere, ita divinare regium munus erat. Itaque a primo ortu Urbis, iidem reges & augures erant, qui futura praedicerent, & iura darent. Denique Romulus hoc ſacerdotio praeditus, optimus augur fuiſſe traditur; proditumque eſt, Romae optimatum filios ſex Etruriae populis, ut augurandi artem ediſcerent, ex decreto Senatus in diſciplinam tradi ſolitos, ut Romae augurandi ſcientia, & ars innoteſceret.*

Horum vero Haruſpicum, Augurumque, & fulminum Interpretum Faeſulis clariſſimam ſedem, & domicilium fuiſſe teſtatur idem Alexander ab Alexandro Genialium dierum Libro V. Cap. XIX. & aperte oſtendit Silius Italicus Libro VIII. v. 478. qui ait:

Adfuit & ſacris interpres fulminis alis
FAESULA —

Fulmini alas tribuit Silius, non ſolum ad eius velocitatem, & impetum indicandum, verum etiam quia Etruſci tum Deorum imaginibus, tum rebus ſacris alas tribuere conſuevere, veluti quaedam inſignia, ut auguſtiores haberentur. Aliud praeterea ex his verſibus liquet, ut id obi-

L ter

ter moneam ſcilicet FAESVLAS cum diphthongo ſcribendum eſſe, quod ſane habent omnes Graeci auctores, & antiqui lapides, quos inferius adducam; & inde, ut obſervat Cluverius, ea prima ſyllaba a Silio producitur: quod nomen poſtea imperiti tranſcriptores in prima ſyllaba fecere ſimplici vocali *Feſulae*, ut in plerìſque auctorum exemplaribus legitur.

Neque vero dum Faeſulas extollo, in aliis quoque Etruriae Urbibus praeclaros Augures, & in fulminum oſtentorum obſervatione ſcientiſſimos Haruſpices haudquaquam extitiſſe contendo, quum hanc laudem univerſae Etruriae tribuant inſignes auctores, ac diſerte teſtentur vetuſta marmora, praeſertim vero celebre illud Piſaurenſium, ſuperius laudatum; ſed id certum atque perſpectum eſſe affirmo, Faeſulanos in rerum naturae, fulminum, prodigiorum rerumque e caelo tactarum perſcrutatione, denique in Haruſpicinae diſciplina facile principes prae cunctis Etruriae populis fuiſſe; qui ſcilicet, fulgura, ſeu fulmina diurna, quae *dia* dicebantur, ab Iove Fulgeratore, & Fulminatore, vel nocturna a Deo Summano iaculata peritiſſime interpretabantur; monſtrabantque quid ſignificarent, quid intereſſet, ex qua parte veniſſent, quum caelum, ut docet Cicero Lib. II. de Divinatione, in ſexdecim partes Etruſci diviſiſſent. Hinc Aſcanius ubi laeva micare fulgur aſpexit, contra Mazentium pugnavit, & vicit. Virg. AEn. Lib. IX. v. 630.

Sed quum detur haec venia antiquitati, ut, miſcendo humana divinis, primordia urbium auguſtiora faciat; Livio auctore, Faeſularum antiquiſſimos colonos Aſtronomiae quoque conſultiſſimos fuiſſe coniicere facile poſſumus ex veteri fama, quae fert, ut ait Politianus, Faeſulas [fortaſſis quod praealto in monte conſtitutae ſunt] ab Atlante conditas fuiſſe, non qualem Poetae fingunt, ſed aſtronomo ſummo, ſiderumque ſpectatore inſigni; quem Plinius aſtrologiae, & ſphaerae inventorem fuiſſe tradit Libro VII. Cap. LVI. & Libro II. Cap. VIII.

Maxima vero omnium laudum quae huic Urbi tribui poſſit

ſit ea eſt, quam praeterire ſilentio nefas eſſet, totius etiam Italiae ſalutem referri acceptam Faeſulanis oportere; videlicet in quorum iugo, ut Politiano occinam, Radagaſius olim Gothorum rex immaniſſimus, cum ducentis hominum millibus orbem terrarum vaſtantibus, divinitus concluſus, exceptus trucidatuſque fuerit, quae clades a probatiſſimis ſcriptoribus Paullo Oroſio Lib. VII. Cap. XXXVIII. a Paullo Diacono Lib. XIII. a Procopio Gothicarum rerum Lib. II. aliiſque memorata eſt.

Antiquiſſima huiuſce munitiſſimi mediterranei opidi memoria (ita enim a Ptolemaeo appellatur) exſtabat; ut obſervat Cluverius Italiae antiquae Lib. II. Cap. II. pag. 509. apud Diodorum Lib. XX. in conſulatu Q. Fabii Maximi Rulliani, & C. Marcii Rutilii Cenſorini, anno Urbis Romae CCCCXLIIII. ſed nomen eius Φαίσολαν librarii corruperunt in Κασόλαν; quum Κασόλα urbs nulla umquam fuerit in Italia. Libet Diodori verba afferre, qui haec narrat de Q. Fabio Maximo: Μετὰ δὲ ταῦτα περὶ τ̀ καλυμένlω Περυσίαν δευτέρᾳ μάχῃ τῶν Τυῤῥlωνῶν κρατήσας, πολλὺς ἀνελὼν, κατεπλέξατο τὸ ἔθνος, πρῶτος Ῥωμαίων μετὰ δυνάμεως ἐμβεβληκὼς εἰς τὺς τόπυς. κ̀ πρὸς μὲν Ἀῤῥητίνυς κ̀ Κορτωνιάτας, ἔτι δὲ Περυσίνυς, ἀνοχάς ἐποιήσατο. πόλιν δὲ τlὼ ὀνομαζομένlω Κασόλαν ἐκπολιορκήσας, συlωάγκασε τὺς Τυῤῥlωὺς λῦσαι τlὼ τῦ Σατρίυ πολιορκίαν. Id eſt: *Poſt haec altero ad Peruſiam proelio Etruſcis ſuperatis, multiſque caeſis, gentem perterrefecit; primus Romanorum cum exercitu has oras ingreſſus: & Arretinis quidem ac Cortonenſibus Peruſiniſque inducias conceſſit; Caſtulam vero urbem dum expugnat, ad omittendam Sutrii obſidionem Etruſcos adegit.* Sed pro Κασόλαν legendumne ſit Καρσύλαν, ſeu Καρσύλας, quas illuſtrat idem Cluverius Libro II. pag. 683. & 638. hanc meam coniecturam expendant viri docti. Proxima hinc Faeſularum memoria exſtat apud Polybium Libro II. ubi res geſtas refert anno Urbis Romae DXXVIII. L. AEmilio Papo, & C. Atilio Regulo conſulibus; anno ante Chriſtum natum CCXXV. Poſt hunc Livius Libro XXII. ubi de Hannibalis ex Gallia Togata per Apenninum in Etruriam tranſitu narrat: *Regio*, inquit, *erat in pri-*

mis Italiae fertilis, Etrusci campi, qui Faesulas inter Arretiumque iacent. Et statim: *Quoquo pronior esset in vitia sua* [Flaminius consul] *agitare eum atque irritare Poenus parat. & Faesulis profectus; a laeva relicto hoste, Etruriae agros praedatum petens, quantum maximam vastitatem potest caedibus incendiisque consuli procul ostendit*.

Postea Colonia Romanorum facta est; quam L. Sulla dictator, parta civili victoria, deduxit una cum aliis in Etruria, quae ferme tota contra eum venerat, & arma strenue sumserat: quas quidem Colonias non enumeravit Velleius Paterculus, praefatus Libro I, *quod caussae, & auctores, & ipsarum praefulgerent nomina*. Eas vero fuisse praeter Faesulas, in qua Sullanorum militum robur constitutum est, Arretium, Cortonam, & Volaterras indicavit doctissimus Sigonius de antiquo Iure Italiae Libro III. Cap. IIII. Accedit praeterea disertissimum Ciceronis testimonium in Oratione III. in Catilinam; cuius verba dum heic afferuntur, Faesularum ceterarumque in Etruria Coloniarum quanta fuerit opulentia, luxus, fastus, & in aedificiis magnificentia perspicue patebit. *Hi sunt, inquit, homines ex iis coloniis, quas Faesulis Sulla constituit: quas ego universas civium esse optimorum, & fortissimorum virorum sentio: sed tamen hi sunt coloni, qui se insperatis repentinisque pecuniis sumtuosius insolentiusque iactarunt. hi dum aedificant tanquam beati; dum praediis, lecticis, familiis magnis, conviviis apparatis delectantur, in tantum aes alienum inciderunt, ut, si salvi esse velint, Sulla ab iis inferis sit excitandus*. Etruscorum luxus caussas soli praestantiae, & regionis fertilitati tribuit Diodorus Siculus Libro V. ac fusius de eo Athenaeus Libro XII. quibus auctoribus Ciceronis locus illustrari potest. Neque enim exigua, sed summa fuit Faesulanae Coloniae potentia, & in armis praestantia, quae Romanarum legionum victrices aquilas non solum terrere, verum etiam evertere ausa sit. Nec tanta profecto sibi promisisset L. Sergius Catilina, nefaria illa in patriam coniuratione, si fretus amicitia, opibus, viribusque Faesulanorum, summum in ea praesidium, sum-

summumque in armis robur, in militibus sociis, ad quos confugerat strenuam, bellandi peritiam haudquaquam esse comperisset: neque in agro Faesulano castra contra Rempublicam in Etruriae faucibus, ut ait Cicero, collocasset. Belli faciundi princeps fuit Caius Manlius, qui dextrae, Faesulanus quidam, cuius nomen Sallustio scriptori nobilissimo excidit, sinistrae exercitus alae praefectus est. Catilina vero cum libertis & calonibus propter aquilam adstitit, quam bello Cimbrico Caius Marius in exercitu habuisse dicebatur. Urbis excidium molitus, *ex omni copia, quam & ipse adduxerat, & Manlius habuerat, duas legiones instituit*, ut ait Sallustius Belli Catilinarii Cap. LVI. *cohortes pro numero militum complevit: deinde, ut quisque voluntarius, aut ex sociis in castra venerat, aequaliter distribuerat, ac brevi spatio legiones numero hominum expleverat; cum initio non amplius duobus milibus habuisset. Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa: ceteri, ut quemque casus armaverat, sparos, aut lanceas, alii praeacutas sudes portabant.* Quare Faesulanorum militum fortitudinem, & egregiam in pugnando virtutem eximio elogio ita commendat idem Sallustius ad finem belli Catilinarii. *Sed confecto proelio, tum vero cerneres quanta audacia, quantaque animi vis fuisset in exercitu Catilinae: nam fere quem quisque vivus pugnando locum ceperat, eum, amissa anima, corpore tegebat. pauci autem, quos medios cohors praetoria disiecerat, paullo diversius, sed omnes tamen adversis vulneribus conciderant.* Et paullo post: *Neque exercitus Populi Romani tam laetam, aut incruentam victoriam adeptus: nam strenuissumus quisque, aut occiderat in proelio, aut graviter vulneratus discesserat. Multi autem qui de castris, visundi, aut spoliandi gratia, processerant, volventes hostilia cadavera, amicum alii, pars hospitem, aut cognatum reperiebant. Fuere item qui inimicos suos cognoscerent: ita varie per omnem exercitum laetitia, maeror, luctus atque gaudia agitabantur.*

Perspicuum igitur est quam illustris, ac praepotens fuerit haec Sullanorum militum Colonia, quam antiquitus permulta opera, & aedificia tum publica, tum privata

exor-

exornasse credibile est. Nam Cicero etsi beatos praedicet colonos omnes a L. Sulla deductos in Etruriam, quod aedificiis, praediis, conviviis, lecticis, familiis magnis, omnique luxu, ac deliciis delectarentur, eius tamen oratio tota in eo fuit ut Faesulanorum praesertim mores, fastum, opulentiam, luxum, & in conviviis, & in aedificiis ingentes sumtus fieri solitos exagitando, virium eorumdem imbecillitatem, & exhaustum avitum robur Patribus conscriptis exponeret, ac declararet. Vincentius Borghinius, vir eruditissimus, differens de origine Faesulanae Urbis, memorat pag. 219. sua tempestate inventum in ea fuisse quoddam antiquum balineum, prope palatium Principum Mediceae Domus, infra AEdem D. Hieronymi, quod perpulchro, & operoso pavimento eleganter stratum erat; minime tamen constabat, nulla reperta inscriptione, a quonam dedicatum fuisset; verum statua in eo posita fuerat, & ex quadam tegula inter rudera reperta, sexto imperii Traiani Caesaris Augusti anno conditum fuisse perspectum est.

Tegula figlinariae seu doleariae officinae hanc notam ⋈ intimo in orbe praeferebat, ut ex Schedis eiusdem Borghinii didici, quas vidi in Bibliotheca Strozia, & in exteriori orbe hae literae obsignatae legebantur:

OPP DIONYS · DOMIT P F LVCIL

in interiore vero:

PAE Ṫ E APR CoS

Paetinus, & Apronianus qui heic nominantur, Consules fuere anno Urbis conditae 876. post Christum natum 123. qui in pluribus Figlinarum signis notati sunt paenes Fabrettum Inscriptionum antiquarum Cap. VII. pag. 503. 509. 513. 516. 519. qui non pauca in his erudite observavit.

Nunc vero haec Urbs tam antiqua, & potens armis, praeter Episcopalis sedis, & Ecclesiae insigne decus, nomen,

men, & dignitatem, quam divina aeternum victrix servavit Religio, quamque pastorali solicitudine, pietate, doctrina, morum candore, & integritate, omniumque virtutum exemplo illustrat ALOYSIUS MARIA STROZIUS eiusdem Urbis Episcopus, item praeter perpaucas sacras AEdes, Episcopium, Seminarium, & exiguas casas, quae in ea conspiciuntur, pene nil aliud quam immania saxa, & rudera undique ostentat. Quare Claudii Rutilii Numantiani hos versus, quibus Populonium Etruscorum urbem opulentissimam descripsit, suo tempore pene dirutam, de hac quoque proferre mihi liceat, qui mirifice eidem quadrant.

Agnosci nequeunt aevi monumenta prioris,
Grandia consumsit moenia tempus edax.
Sola manent interceptis vestigia muris:
Ruderibus latis tecta sepulta iacent.
Non indignemur mortalia corpora solvi,
Cernimus exemplis oppida pone mori.

Verùm Plinianum illud monitum occurrit, qui Epistolarum Lib. VIII. haec Maximo scribit: *Recordare quid quaeque civitas fuerit; non ut despicias, quod esse desierit.* & paullo superius: *Reverere gloriam veterem, & hanc ipsam senectutem, quae in homine venerabilis, in Urbibus sacra est.* Quamvis enim tempus edax, & saeva bellorum vis praeclara quamplurima huius Urbis monumenta attriverit, ac perdiderit, haec tamen, licet perpauca, quae heic afferuntur, non contemnenda omnino sunt; ex quibus, quod attinet ad eruditae vetustatis elegantiam, discimus, qui nam proprii communesve Dii fuerint Faesulanis, quos privatos ludos celebrare consueverint, quae Collegia, quive Magistratus huic Coloniae praefuerint, quae celebres in ea fuerint Familiae, nempe *Manlia*, *Magilia*, *Centonia*, *Pacuvia*, *Terentia*, *Novicia*, *Tettia*, *Messia*, *Baebia*, *Avillia*, *Iunia*, *Crispina*, quam ingenuam, & generosissimam fuisse memorat Plinius Libro VII. Cap. XIII. his laudibus: *In actis temporum Divi Augusti invenitur, XII Consulatu eius, Lucioque Sylla collega* (anno scilicet U. C. 749. & ante Chri-

sti

sti ortum sexto) *a. d. IIII. Idus Aprilis , C. Crispinum Hilarum , ex ingenua plebe Faesulana , cum liberis novem (in quo numero duae filiae fuerunt) nepotibus XXVII , pronepotibus XXIX , abnepotibus IX , praelata pompa , cum omnibus his in Capitolio immolasse* .

Ac primum quod attinet ad Deorum cultum , quos caeca invexit Ethnicorum superstitio , Faesulanorum peculiaris Dea , quam venerati sunt , fuit ANCHARIA , cuius diserte meminit allata ara . Huius Numinis imaginem seu vetustate , seu alio quovis casu collabsam privato sumtu restituit nobilis civis L. Magilius Paullinus Variscus , quum Triumviratus honore in eadem Colonia fungeretur. Eiusdem Anchariae Deae propriae, & localis Faesulanorum, quam celebre notumque omnibus fanum apud eos habuisse deprehendimus , expresse meminit Tertullianus Libro II. ad Nationes Cap. VIII. & in Apologetico Cap. XXIV. his verbis , quae paullo altius repetere libet : *Unicuique etiam provinciae & civitati suus Deus est , ut Syriae Atargatis , ut Arabiae Dusares , ut Noricis Belenus , ut Africae Caelestis , ut Mauritaniae Reguli sui , Romanas (ut opinor) provincias edidi , nec tamen Romanos Deos earum , quia Romae non magis coluntur , quam qui per ipsam quoque Italiam municipali consecratione censentur , Casiniensium Delventinus , Narniensium Visidianus , Faesulanorum* ANCHARIA , *Volsiniensium Nortia , Ocriculanorum Valentia , Sutrinorum Hostia , Faliscorum in honorem patris Curis , & accepit cognomen Iuno* . Librariorum incuria vexatissimum hunc Tertulliani locum ope , & auctoritate huius marmoris restituit antiquariorum lumen Reinesius , Classe I. n. XXIII. qui hanc Inscriptionem evulgavit : nam pro *Faesulanorum* , in codicibus perperam scriptum fuit *AEsculanorum* . Nonnulli , ut Rigaltius , legerunt *Asculanorum* , aliqui *AEsulanorum* . Huiusce emendationis rationem affert Reinesius , quod Tertullianus Deos recenseat a municipiis praesertim Etruriae adoptatos ; Asculani autem , & AEsculani Latii , Etruriae vero Faesulani erant , ut supra vidimus. Adsimilem lapsum , memoratu dignum , observavit vir eruditissi-

doctissimus, priscorumque patriae monumentorum consultissimus Salvinus Salvinius, Canonicus Florentinus, in Historia Canonicorum Florentinae Ecclesiae, quam ut in lucem edat, in dies luculentius exornat; qui lapsus scriptorum oscitantia irrepsit in Acta Concilii Oecumenici Florentini; in quo inter Patres conscriptos legitur *Bernotius Episcopus Esculanus*; cuius profecto Episcopi nulla fit mentio in Tabulis Ecclesiae Asculanae, seu ut aliqui dicunt Esculanae: pro quo reponendus est *Benotius Episcopus Faesulanus*, seu ut plures perperam scripsere *Fesulanus*, e nobilissima Federighiorum Familia Florentina ortus, qui revera Concilio Florentino, ut in autographo est, subscripsit: qua quidem Actuum restitutione difficultatum omnium ambages e medio tolluntur, in quas incidit R. P. Iulius Ambrosius Lucentius Abbas Cisterciensis, in Compendio Italiae Sacrae ab Cl. V. Ferdinando Ughellio illustratae pag. 364. in quo Asculanorum in Piceno Episcoporum seriem producit.

Sed ut redeam ad Anchariam Faesulanorum Deam, sacris municipalibus cultam, hoc nomine eam appellatam putat praestantissimus Turnebus Adversariorum Lib. XVII. Cap. 23. quod furorem erroremque immitteret in eos, quos suo numine afflaret; eaque de caussa eius cultores, ac ministri *Ancharii*, seu *Ancarii* vocarentur; quasi furiosi, & immisso ab ea errore perciti: quemadmodum, ut ipse notat, in antiquo Lexico *Bellonarius* vocatur Bellonae furore correptus; nam ut de furioso loqui videtur Lucilius, qui ita apud Nonium scribit:

Haec eadem rudet e rostris atque eiulitabit,
Concursans velut ancarius, clareque quiritans.

Quod si a verbo Graeco ἄγχειν Anchariae Deae nomen aliquis deducat, quod significat *strangulare*, iam priscum hoc Numen ultionem, & poenam praeferet appellatione sua: fortassis indicans Nemesin, sive Adrasteam, quae libro primo de Nuptiis Philologiae describitur a Martiano Capella, maleficiis, vel improbis ac noxiis hominibus, nimiaque felicitate elatis adversa: quam veteres putarunt

M poe-

poenam delinquentibus infligere, nec mala ab iis averruncare. Consule Gyraldum de Diis Gentium Syntagmate XVI. n. 50. Verum coniecturam propono, nihil statuo; libera omnibus iudicandi, ac differendi facultas esto. Ab hac Faesulanorum Dea, ut auguror, nomen habuit *Ancharia* mater Octaviae sororis Caesaris Augusti, de qua Plutarchus in Antonii vita. Ceterum & multis viris inditum *Ancharii* cognomen quilibet observabit, qui tantum habeat otii ut vetusta marmora percurrere velit legendo. Forte fortuna mihi occurrit P. Iubentius Ancharius Duumvir Municipii Cumani apud Reinesium Cl. I. n. 296.

Reliquum nunc esset ut aliqua de L. Magilio heic subtexerem, cuius nomen nullibi praeterquam in hoc saxo memoratum invenio. Perspicue tamen ex eo deprehendimus, mortuo Sulla, unum ex Triumviris fuisse rursus deducendae Coloniae Faesulanorum; nam Triumviri ad id munus creabantur. Ita in Patavino marmore penes Gruterum, CCCCXXXIII. 8. L. Manilius Acidinus Triumvir Aquileiae Coloniae deducendae creatus est. In Puteolano edito a Reinesio Cl. VI. n. 22. T. Catinius Titius Severus AEdilis & Triumvir in Colonia Auximate fuisse legitur; ni tamen heic, & in ara superius edita Anchariae sacra, pro III. VIR. legendum sit IIII. VIR. quod valde suspicor, multarumque inscriptionum auctoritate, & testimonio probare possum. A. Antonius Pelagianus Quatuorviratus honore exornatus fuit, cura, & patrocinio Reip. Petilinorum, ut observavi apud Fabrettum Inscr. Ant. Cap. III. n. 1. L. Suetonius Priscus IIII Vir iure dicundo, & patronus Municipii fuisse dicitur Cap. V. n. 263. At Cap. VI. n. 93. M. Menconius Leo Patronus Municipii, & IIII Vir Lege Cornelia nobis proponitur, de qua consule eumdem Fabrettum pag. 485. & inscriptionem ibi n. 159. ex qua intelligimus plures quam quatuor viros in lapide numerari, licet IIII Viri appellentur. Sed in marmore Interamnate Cap. IX. n. 160. licet IIII Viri appellentur, duo tamen viri T. Albius Pansa Caii Filius, & T. Albius Titi Filius re-

censen-

cenſentur. In eodem quoque Cap. XI. n. 113. C. Cavarius Apulus IIII Vir Iure dicundo, Pontifex & Patronus Municipii nuncupatur. Alia huiuſmodi exempla habes apud eumdem Fabrettum in ſupraſcripto Capite IX. n. 210. 260. 515. & 516. Neque omnino improbabile eſt L. Magilium Patronum fuiſse Faeſulanae Coloniae, rurſum poſt Sullam deductae; nam & Capua Sullae Coloniā, ſexies deducta eſt, praeter illas a Rullo, rurſuſque ab Antonio tentatas ἀποικίας, uti erudite oſtendit vir diſertiſsimus Alexius Symmachus Mazochius Cap. I. de Campanā Colonia.

Illud praeterea perſpicue haec ara oſtendit Romanos cives, Faeſulas deductos, Anchariam propriam eius municipii Deam coluiſse, ſacriſque municipalibus operatos eſse, non tamen deſertis Romani victoris gentium populi ſacris publicis, ludis, feſtiſque diebus; contra Sigonii ſententiam Lib. I. de antiquo Iure Italiae Cap. IV· quam refellit Noriſius in Cenotaphia Piſana Diſſert. I. Cap. V. Marmor, quod huic proxime ſubiicimus, docet Romanorum Numinum cultum in hanc militarem Coloniam delatum fuiſſe, inſtitutumque Collegium omnium Fabrùm, quod Romae ſummo in honore erat.

Locus ad ponendum Anchariae Deae ſignum, a L. Magilio Paullino Variſco proprio ſumtu reſtitutum, datus fuit decreto Decurionum, ideſt Senatorum Faeſulanorum. Decurionum in Municipiis, & Coloniis maximus erat magiſtratus; quorum ſingulis, teſte Plinio Lib. I. Epiſt. 19. ut eam dignitatem conſequerentur, centum milia numùm cenſus eſſe debebat. Ad eos quoque cura tribuendorum religioſorum locorum ſpectabat; quae in Curia convenientes decernebant adſignabantque. Quamvis id perſpicuum ſit, haud tamen inutile, & iniucundum erit ut praelaudati Plinii Secundi clariſſimo teſtimonio illuſtretur, qui Traiano Auguſto haec ſcribit Lib. X Epiſtolarum. *Cum divus pater tuus, Domine, & oratione pulcherrima, & honeſtiſſimo exemplō omneis civeis ad munificentiam eſſet cohortatus, petii ab eo ut*

statuas principum, quas in longinquis agris, per plures successiones traditas mihi, quales acceperam, custodiebam, permitteret in municipium transferre, adiecta sua statua, quodque ille mihi cum plenissimo testimonio indulserat, ego statim Decurionibus scripseram, ut adsignarent solum in quo templum pecunia mea extruerem: illi honore operis ipsius electionem loci mihi obtulerunt. Pliniana Villa, eiusque agri, qui Tusci appellabantur, fuere prope Tiberis ripam, supra Tifernum opidum; quem locum cum doctis viris Cluverius Ital. ant. Lib. II. Cap. III. pag. 590. censet fuisse Etruriae opidum, nunc Episcopalem Civitatem, vulgari appellatione *Borgo San Sepolcro*; de qua infra dicam cum veteres inscriptiones afferam, quae in ea reperiuntur.

Pro corollario huiusce lucubrationis, nam ad clepsydram non scribimus, non abs re erit adiicere non consuevisse veteres Deorum templa vel signa reficere, ac restituere, vel in melius, & in maius mutare, neque ex aliquo loco in alium tansferre, absque Haruspicum monitu, qui victimarum exta introspicientes, per ea monebant quid futurum faciendumve esset. Idem factum puto & in restitutione signi Anchariae Deae Faesulanorum, cuius consuetudinis testem alium non spondeo nisi ipsum Plinium, qui Cereris aedem refecturus in suis praediis, quae nuper laudavimus, haec scribit Mustio Architecto ad finem Libri IX Epistolarum. *Haruspicum monitu reficienda est mihi aedes Cereris in praediis, in melius & in maius. Vetus sane & angusta, cum sit alioqui stato die frequentissima. Nam Idibus Septembribus magnus e regione tota coit populus, multae res aguntur, multa vota suscipiuntur, multa redduntur: sed nullum in proximo suffugium aut imbris, aut solis. Videor ergo munifice simul, religioseque facturus, si aedi quampulcherrimam exstruxero, addidero porticus, illam ad usum Deae, has ad hominum. Velim ergo ut emas quatuor marmoreas columnas, cuius tibi videbitur generis: emas marmora, quibus solum, quibus parietes excolantur. Erit etiam vel faciendum, vel emendum ipsius Deae signum, quia antiquum illud e ligno quibusdam sui partibus vetustate truncatum est*. Alia quae Plinius mandat Architecto suo vide; haec, allato integro textu, sine piaculo mini-

minime praetermitti poterant, in quibus ad antiquitatis monumenta illustranda multa notatu digna sunt; quamvis sciam non defuturum aliquem sciolum, qui me, ut vulgus ait, Faesulana cavaria penetrasse effutiet.

Inventum in ruinis Faesularum.


2

M A V O R T I
M. CENTONIVS. SEX. F. POL. ANIQVO
IIIIII VIR. AVGVST. IIIIII. VIR
QVINQVEN. COLLEG. OMNI::::::::
F A B R V M
PROC. PECVN. PVBL::::::::
OB. MERITA. EIVS:::::::::::::::::
Q. PACVVIVS. Q. F. POL. VIRIVS
CALVINVS. IIIIII. VIR. AVG::::.:
II VIR. QVINQVENN::::::::::
A V G V R
SIGNVM. AIRE. DEDERONT
PON. N. LXXV

Ex Schedis Manutianis Bibliotb. Vatic. exscripsit Cl. Donius in Collectaneis.

2. Quantum lucis, & utilitatis afferant vetera monumenta ad Scriptorum loca illustranda, & ad Municipiorum Coloniarumque ritus & consuetudines observandas, non heri aut hodie apud omnes pervulgatum est. Neque enim aliunde scire potuissemus Faesulis celebre fuisse Anchariae Deae fanum, itemque Martis templum stulta veterum Ethnicorum superstitione dedicatum, si horum marmorum luce destituti fuissemus; quae quidem iamdiu omni-

omnino intercidiſſent, ni doctiſſimi viri, ac de antiquitate optime meriti Aldus Manutius, & Lucas Holſtenius ſua tempeſtate deſcripſiſſent, & ab interitu vindicaſſent. Igitur in Martis templo apud Faeſulanos ſignum aheneum ſtatuerunt M. Centonius Autiquus, & Q. Pacuvius Virius Calvinus, qui in Tribu Pollia, quae ex ruſticis fuit, in qua ingenui tantum conſcripti, cenſi fuere. Horum virorum geſtos magiſtratus, honores, & ſacerdotium paullo infra breviter exponam. Nunc vero illud primum animadvertendum eſt cur M. Centonius, & Q. Pacuvius in Tribu Pollia deſcripti ſint, quum tamen ex militaribus ſaxis, quae ſubiicio, conſtet Faeſulanos cum Florentinis in eadem Tribu Scaptia ſuffragia tuliſſe. Arula ſive Cippulus, qui primus heic affertur, Romae exſtare dicitur in aedibus Deſiderii Mangonii in Campo Martio, quem edidit Gruterus DXXV. 4. verum nonnullis mendis depravatum; alter vero producitur DXXXIII. 5. Moguntiae ab Apiano deſcriptus; quos accuratius exceptos vidi in Borghinii ſchedis, quamvis paullo aliter ediderit in ſuis Diſsertationibus pag. 217. & 289.



A. BAEBIVS
C. F. SCAP
CLEMES
FAES
MIL. LEG. XXII
AN. LX
STIP. XXIII
H. S. E
CRESCENS. L
F. C

Sed

Sed Faesulas, quum deducti sunt coloni ab Augusto, ex Tribu *Tollia* in *Scaptiam* transisse facile hinc conìicere possumus. Ita quoque, ut simili utar exemplo, Horta Colonia militaris, ab Augusto deducta, & in Tribu *Quirina* descripta, ad *Arniensem* Tribum, sive *Arnensem* antea pertinuit; quod auctoritate veterum lapidum, qui Hortae reperti sunt, nec aliunde in eam translati, diserte ostendit numquam satis laudatus Clarissimus Praesul Iustus Fontaninus de Antiquitatibus Hortae Libro I. Cap. II. & Cap. IX. Sed in Florentina insigni Tabula, quam locupletissimo commentario illustrare in votis habeo, differens de Natali die Principum, edita in Prima Parte pag. 316. n. 64. quum legam Duumviros, diversa Tribu censos, Coloniae Florentinae iure dicundo praefuisse; nam Cn. Acceius Rufus in Tribu *Arniensi* descriptus est, & T. Petillius in *Quirina*; non levi coniectura hinc assequor nobiles cives, qui Augusti imperio in Coloniis ab eo deductis magistratum gessere, Tribuum Coloniarum suarum, in quibus primitus descripti fuerant, nomen praeferre maluisse; quod accuratius alibi Deo favente expendam. In sequenti Cippulo militari, ex lapide Tiburtino, Romae reperto iuxta B. Mariae de Anima, ex Schedis Manutianis Bibliothecae Vaticanae descripto a Viro Clariss. Iohanne Baptista Donio, legimus P. Iunium Arvusium, militem Legionis undecimae Claudiae, Piae, Felicis, patria Faesulis (licet ut in praelaudato lapide Gruteriano pag. DXXV. 4. mendose scriptum sit FERSVLIS pro FAESVLIS) ex Tribu POPILIA fuisse, ni tamen & hic mendum cubet, & pro POPILIA, scriptum sit in lapide POLLIA. His Faesulanis militibus alius addendus erat, si temporum iniuria eius nomen haud intercidisset in Florentino Militum Cohortium Praetorianarum laterculo, quod supra in Parte I. allatum est pag. 132. in quo hae tantum literae in extrema ora supersunt :: AESVL FISC; ideft; FAESVL*is* FISC*i* *Curator*; qui Fisci curam egit, & cum aliis Municipiorum, & Coloniarum militibus descriptus fuit secundo, & tertio L. Septimii Severi Imperatoris Augusti consulatu.

P. IV-

P. IVNIVS. P. F. PVBLILIA
ARVVSIVS
FERSVLIS. MIL
CENTVR. FABRICI
LEX. XI. CLAVD. P. F.
MILITAVIT. ANNIS. IX
VIX. ANN. XLIX
M. IIII. D. XI
H . S . E
IN FR. P. IIII. IN. AGR. P. IIX

Igitur ut ad honores veniam qui in lapide recensentur, M. Centonius in Faesulana Colonia fuit Sevir Augustalis, item Sevir Quinquennalis Collegii omnium Fabrùm, Procurator pecuniae publicae. Q. vero Pacuvius Sevir Augustalis fuit, Duumvir Quinquennalis, & Augur; qui Martis signum ex aere dedicarunt, PON. N. LXXV, forte *pondo librarum numero septuaginta quinque*. Solet enim in votivis tabulis frequenter enunciari cuius ponderis aurea sive argentea aereave signa Diis donata fuerint. Singulos honores, quibus hi praestantes viri functi sunt, non moror, quum non pauca superius disseruerim. Ad Quinquennales venio, qui in Coloniis, ut observat Norisius in Cenotaphia Pisana Dissertatione I. Cap. V. iidem ac Romae Censores fuere, qui singulis lustris creabantur. Binos creari solitos in singulis civitatibus colligit ex Ciceronis Verrina quarta, & ex antiquo marmore Gruteriani Thesauri DCLXVI. itemque a Pontificibus distinctos ex alia inscriptione CCCCLXXIX. 8. Verum non semper hunc numerum observatum fuisse colligo ex pluribus Inscriptionibus, quae a Reinesio afferuntur: nam praeter Duumviros Quinquennales, recen-

sentur

ſentur etiam Triumviri Quinquennales in ara Aſculana Veneri Caeleſti ſacra, Claſſe I. n. 287. item Quatuorviri Quinquennales in Oſtienſi Tabula Cl. I. n. 33. ac demum Sexviri Quinquennales, ut in ara Genio Municipii Hiſpelli dicata Claſſe I. n. 297. Hi in quinquennalitate ſua ludos edere ſolebant, quod a L. Cornelio factum docet Tabula Surrentina apud Sponium in Miſcell. pag. 108. 6. Sacrorum, & Ludorum curam Quinquennales egiſſe oſtendit Reineſius ad 63. Claſſis VI. Illud praeterea notandum eſt Quinquennales non tantum in Municipiis, & Coloniis fuiſſe, verum etiam in Collegiis. Nam in allato Faeſulano lapide M. Centonius Sevir Quinquennalis fuit Collegii omnium Fabrùm, at Q. Pacuvius Duumvir Quinquennalis fuit & Augur Coloniae Faeſulanae. Hanc diverſitatem virorum qui Quinquennalicia poteſtate fungebantur vel in Coloniis, vel in Collegiis, obſervavi in pluribus inſcriptionibus a Reineſio relatis Claſſe I. n. 255. 283. & ibidem n. 167. A. Tuccius Quinquennalis iterum fuiſse dicitur Collegii Tibicinum Romanorum. Apud Gruterum CCCLVIII. 1. laudatur L. Antonius Peculiaris Sevir Auguſtalis Quinquennalis Collegii Fabrùm Oſtienſium, Luſtri XXV. nam ad quinquennium eo munere fungebantur. Qui ceteris Quinquennalibus praeerat, & Collegii inſtituta ordinabat Magiſter Quinquennalis Collegii dicebatur, qualis fuit L. Aquilius Modeſtus apud Oſtienſes, ut in Gruteriana CCCLX. 2. Alia huiuſmodi exempla, ne lectorum aures onerem, habentur apud Reineſium Cl. VI. 35. apud Fabrettum Cap. V. n. 303. 308. 322. 323. 344.

Fabrorum Collegia in Coloniis, ac Municipiis qua de cauſa eſsent inſtituta docet Plinius Libro X. in Epiſtola ad Traianum Auguſtum; in qua, ob incendium vaſtiſſimum Nicomediae factum, conſtituendum eſse monet Collegium Fabrorum in ea urbe, his verbis, quae ſubdit: *Alioqui nullus uſquam in publico ſipho, nulla hama, nullum denique inſtrumentum ad incendia compeſcenda, & haec quidem, ut iam praecepi, parabantur. Tu domine diſpice, an inſtituendum putes Collegium*

 Fabro-

Fabrorum, dumtaxat hominum CL. ego attendam ne quis, nisi Faber, recipiatur; neve iure concesso in aliud utatur: nec erit difficile custodire tam paucos. Ceterum quum ex allato marmore conſtet Faeſulis conſtitutum fuiſse Collegium omnium Fabrùm, praeter eos qui ferrum, & aes in varios uſus, ac praeſertim arcendorum incendiorum cauſſa arte diſponere poterant, puto in eo etiam cooptatos fuiſſe Fabros Argentarios, Flaturarios, Sigillariarios, Tignuarios, Materiarios, Balneatores, Centonarios, Dendrophoros, alioſque, qui in Scaligeriano Indice Cap. IX. penes Gruterum recenſentur. Haec vero Collegia nonniſi ex Senatus conſulto, vel Caeſaris auctoritate inſtitui poterant, ne in factionem eo praetextu coirent, uti auctores ſunt veteres Iuriſconſulti Martianus & Calliſtratus de Iure immunitatis.

M. Centonius Procurator pecuniae publicae Faeſulanorum fuit; cuius officii aliud exemplum depromit Fabrettus Cap. X. n. 28. in Nonio Tettio Rufo ex Galeria Tribu, qui Curator fuit pecuniae publicae, cui Cultores Iovis aram & ſtatuam poſuere; quare hinc deducitur quanto in honore fuerint huius generis viri, qui aes publicum curabant, adminiſtrabant reditus, & obventiones ex iis colligebant, & publicis neceſſitatibus impendebant.

Quod attinet ad Q. Pacuvium ex ea gente ortum, quam M. Pacuvius Poeta Tragicus, aliique clariſſimi viri nobilitarunt, inter quos Marcus, & Quinctus Pacuvii fratres, qui in M. AEmilium Scaurum ſubſcripſerunt, defendente illum Cicerone, ut auctor eſt Aſconius Pedianus; hic praeter Seviratus Auguſtalitatem, & Duumviratus Quinquennalitatem, qua functus eſt in Faeſulana Colonia, Augur quoque in eadem fuit; cuius dignitatis inſigne decus quum Plinius Caecilius Secundus a Traiano Imperatore conſecutus eſset, his verbis extollit, quae adnotavi in Epiſtol. 8. Lib. IV. ad Arrianum. *Gratularis mihi, quod acceperim auguratum; iure gratularis: primum quod graviſſimi principis iudicium in minoribus etiam rebus conſequi pulchrum eſt: deinde quod ſacerdotium ipſum cum priſcum & religioſum, tum hoc quoque ſacrum plane, & inſigne eſt;*

quod

quod non adimitur viventi. Nam cetera, quanquam dignitate propemodum paria, ut tribuuntur, sic auferuntur; in hoc fortunae licet, ut dari possit. De Augurum dignitate, auctoritate, atque amplitudine dixi paullo superius: de eorumdem numero, habitu, & de auspiciorum differentia qui plura cupit consulat doctissimos viros Norisium in Cenotaphia Pisana Dissertatione II. Cap. VII. Antonium Clarum Sylvium in Commentariis ad Leges tum Regias, tum XII. Tabularum Cap. I. Non enim ingenui animi est aliorum scrinia expilare, & quae ab aliis labore observata sunt pro suis recudere, ac venditare.

Privatus quisque, ut sacrificia domestica rite perageret, suos privatos augures, & interpretes consulebat: qui tamen minoris erant dignitatis, nec Sacerdotio insigniti; e quorum numero quilibet ex infima plebe esse poterat, non vero augur publicus, qui ingenuo sanguine natus esse debebat. Vide veterem Titulum editum in Parte I. Inscriptionum Etruriae Urbium pag. 122. n. 5. Caesares habuisse suos Libertos augures observavi in antiquo lapide penes Fabrettum Cap. X. n. 423. in quo M. Aurelii Imperatoris augur fuisse dicitur M. Aurelius Saturus. Privatos Interpretes qui haruspicinam exercebant in Domo Augusta observavit ingenio, & eruditione praestantissimus Cuperus pag. 273. in Explicationibus veterum monumentorum.

Publici Augures in Coloniis lege Triumvirali constituti, ex decreto Decurionum creabantur, uti Gruteriana Tabula testatur CLXXII. 1. Praeterea erant & in Collegiis Augures, qui, ut sacrificia Deorum rite ac solemniter fierent, auspicia praemittebant. An vero Q. Pacuvius in Faesulana Colonia fuerit Augur publicus, vel Collegii omnium Fabrûm, quod facilius crederem, alii expendant. Illud igitur certo constat ex allato inscripto marmore, Martis Templum Faesulis fuisse, in quo signum eiusdem ex aere conflatum praestantes cives M. Centonius, & Q. Pacuvius suis impensis dicarunt. Sed an hoc Templum Martis publicum fuerit, seu proprium, ac peculiare Collegii omnium Fabrûm (nam Collegia Templum habuisse, & privata Sacra


ſuorum Numinum, in quorum tutelam ſe ſe receperant, ſupra diximus ad Florentinum marmor Herculi Somniali dicatum in Parte I. pag. 292.) plane mihi incompertum eſſe fateor. Memoriae proditum eſt Florentinos quoque, Faeſulanis fere ad tria milia paſsuum proximos, praeter Nortiam Deam, cuius meminit vetuſtum marmor Florentiae antiquitus erutum in fundamentis AEdis D. Reparatae, quod inter Florentina edidi pag. 329. n. 85. Romanorum exemplo, Martem quoque coluiſſe; cuius celeberrimum fuit Florentiae Templum, & ſimulacrum, quae oſtendunt veteres Florentinae Hiſtoriae Scriptores, teſtanturque illud idem Templum eſse quod nunc cernitur, revera ſplendidum, & magnificum, D. Iohanni Baptiſtae Florentinorum Patrono dicatum: ſed an id verum ſit, ſeu a maioribus noſtris primitus pro ſacro Baptiſterio dicatum atque conſtructum fuerit, alibi, faciente Deo, erit optatus dicendi locus.

Spurium lapidem heic proferre in animo mihi eſt, nulla nota inſignem, niſi quod in adulationem nobiliſſimae Altovitarum Florentinae Familiae a clariſſimo auctore producitur, nempe ab AEnea Sylvio in Libro I. Comment. qui prope Faeſulas inventus dicitur in MS. Bibliothecae Stroziae.


FVRIVS. CAMILLVS. ALT
OVITA. MAGNI. FVRII
CAMILLI. PRONEP. QVOD
ME. AVITA. VIRTVS Ē BE
NEMERITA IN. PATRIAM. RO
Q. POP. ILLVSTRABANT. CIVI
VM. INVIDIA. AETRVRIAE. PO
PVLOS. IN. EXILIVM. PVLSVS
DVM. AD. TEMPL. MARTIS. VOTO. ME
OB. RECVPERATAM. VALETVD
CONTVLISSEM. APVD NO
VAM. INFELIX. COLONIAM
PROPE FESVLAS. OCCVBVI
RELICTIS. VII. LIBERIS
VALE. SOBOLES. PIENTISSIMA
O QVAM FAVSTVM
FELIX. Q. FATVM POSTERIS

Quam


Quam mire ineptum, & ridiculum puri putique figmenti exemplum! Certe impudentissimum aliquem impostorem [nam his semper aliqui perdite credunt] maxime redolet. Neque alium nisi huius generis auctorem agnoscere possumus in sequentibus inscriptionibus, quas nuper vidi in Villa spectabilis Viri Iohannis Petri de Paulis, prope Pontem Rifredium, a quo tria circiter milia passuum Faesulae distant. Mecum ipse diu animo haesitavi ederem nec ne; quum probe sciam fictos lapides sinceris monumentis vel officere, vel eorumdem messem, veluti lolium & stirpes faciunt inter laetas segetes, non parum inquinare: producendas tamen censui, Gruteri exemplo, eaque ratione, quod suppositítiis inscriptionibus animadversis, facilius quae sincerae notae sunt dignoscantur. Igitur ita se se habent.



In praelongo nitidissimo marmore, utrinque emblematico opere sculpto, cum hoc titulo in medio.



In alio simili:



Neque in his pauca sunt νοθείας indicia; genus marmoris, uti in primo, subcaerulei & variegati; nimis affecta-

ta literarum elegantia; ductuum vel parum vel nimis profunde caelatorum inaequalitas, & inconstantia; duo simul puncta sculpta, quod rarissimum, imo inusitatum in Romanis inscriptionibus, quamvis in Etruscis non solum unum, sed etiam duo puncta unum super alio sculpta conspiciantur. Praeterea haec vox INFOELICISSIMA imperitissime scripta cum diphthongo OE, quod plures & hodie faciunt, qui nec Romanos lapides legerunt, neque an usquam gentium reperiantur didicerunt. In ea tamen Villa praeter aliqua veterum anaglyphorum fragmenta sincerum sepulcralem Cippulum observavi, Diis Manibus Hostiliae Zoes a coniuge dedicatum, quem paullo superius pag. 45. n. 53. alicubi in Agro Pisano exstare credebam. Ab eo iam edito in hoc tantum differt, quod post pectinem, & speculum ornatoria muliebria instrumenta, non guttulus, sive ampulla unguentaria sculpta est, sed, ut puto, discerniculum, seu calamistrum ad crispandos vibrandosque crines, nam utriusque instrumenti figuram referre videtur. Alter vero Cippulus, omnino huic similis, supra relatus pag. 45. n. 54. ibidem non exstat.

Mira quaedam, sed eiusdem generis supposititia de Faesulanis confixit, veterumque scriptorum nulla auctoritate firmata in lucem edidit Petrus Leo Casella Cap. II. de primis Italiae Colonis, & Tuscorum origine, editionis Lugdunensis, anno MDCVI. quae ea de caussa heic tango, ut omnes reiicienda esse censeant. Ait enim, de origine Faesulanorum disserens, quosdam viros, improbata Fescenninorum lascivia, & procaci locutione, occasionem hinc arripuisse, ut ab ipsis deficientes, melioribus auspiciis Faesulas castiores conderent; ubi pro Fescennino, quod reiecerant, seculare Carmen instituere in honorem Dianae, cuius tutelae se se manciparunt; quod pueri integri ingenuaeque puellae alternatim in honorem Dianae decantare consueverunt. Ad hunc cultum, & hoc amplius, ut ipse ait, ad sacras caerimonias peragendas servandasque valde conferebat Faesularum situs, virentes montes, nemora, fontes, fluvius;


quem

quem Munionem, lacus quem Album appellant; quibus *montium custos, nemorumque Virgo* Diana summopere delectatur. Lectissimos illos pueros virginesque puellas in quoddam Collegium cooptatas commentus est; in quo seculare Carmen, quod stato tempore canere debebant, ediscerent. Praetereo alia quamplura putidissimo atramento scripta; ac fortassis ea quae attulimus silentii tenebris potius damnanda erant, quam expromenda: verum ne quis commentitio scriptori credat, ea hoc loci indicanda censuimus.

Neque vero inficias ibo Faesulanos Dianae cultores esse potuisse; nam & alios Deos coluisse probabile est, nondum allata Evangelii luce a D. ROMULO, primo Faesularum Episcopo, a D. PETRO misso, qui eas fide, & sanguine suo consecravit: verùm Dianae cultum nulla scriptorum vel veterum monumentorum, quae ad aetatem nostram venerint, auctoritate probare possumus. AEneum donarium paucis ab hinc annis vidi apud D. Henricum Comitem Vatzdorfium, apud Italiae Principes Ministrum, quum Florentiae moraretur, quod duo capita arietina referebat, insertis argenteis oculis exornata; Mercurio, ut auguror, cui aries sacer est, fortasse in eius Templo Faesulis dicatum: nam ibidem a quodam rustico in vineis effodiendis, cum aliis hinc inde collectis tum argenteis tum aereis numis inventum constabat. Aliud ex chalcedonio perparvum donarium Faesulanorum servat Vir pereximius Benedictus Brescianius, Palatinae Bibliothecae Magni Ducis Etruriae post celeberrimum Antonium Magliabechium Praefectus, in quo, ut puto, Nymphae caelatae sunt. Non pauca item numismata, & sacrificiorum instrumenta ex aere Faesulis reperta in suis praediis mihi ostendit Dominicus Lerius Civis Florentinus.

Sed ut perditam operam in referendis Petri Leonis Casellae nugis compensem, eximium & vetustissimum proferam anaglyphum, imperita tamen, ac rudi manu exsculptum in Faesulano lapide arenario, qui a nobis dicitur *pietra serena*, quo Faesulae abundant, ibidem inventum an-

anno MDCCXXII. quod olim exstabat in Villa Nobb. de Baldesis, e qua postea dono sibi datum Florentiam in avitas AEdes transtulit vir illustrandae atque amplificandae antiquitatis studio natus Philippus Senator Bonarrotius; qui etiam ut de eo dissereret multa notatu digna veterum scriptorum loca in suis Adversariis observavit, quae inferius ostendam. Altitudine, adiectis sex unciis, Romanos pedes tres aequat; latitudine vero pedem unum, & uncias quinque; crassitie, quum sit fractum, uncias novem.



Hunc lapidem, antiquitus quadrata forma exscisum, unum ex antepagmentis, seu parastatis alicuius AEdis Faesulanorum, fortassis Baccho sacrae, fuisse coniicimus; quae aereis anulis, seu laminis per parietes adfixae fuere; nam hic

hic profundo item foramine laeva antica parte terebratus conſpicitur ſupra caput viri.

In eo igitur cernitur vir nudus perſonatus, calvitio, barba, paſſis capillis, ſuper humeros defluentibus, ludibundo corporis motu ac geſtu ad riſum excitandum mirifice conformatus: nam retrorſum collapſus terram natibus percuſſit, atque haec agens lyrae fidibus canit. Pone hunc ludentem poſitus eſt uter inflatus, vino plenus, ſuperne religatus. Lapis inferius Tuſcanicum ſtylobatam imitatur; ſuperne vero hinc inde, ornatus gratia, additae ſunt columnae ordinis Ionici, cum epyſtilio, aſtragulis, & cymatiis; quaſi theatrum referant in quo hic ludus ſpectatoribus dabatur: quem tamen Virgilius, in rem meam paullo infra adducendus, inm ollibus pratis edere conſueviſſe affirmat, ne ſcilicet cadentes laederentur, ut notat Servius. In laevo capite eminent Etruſco diagrammate caelata ornamenta quaedam, quibus admodum ſimilia ſunt quae obſervavi Florentiae in AEdibus ampliſſimi Senatoris Ferrantis Capponii in quodam perpulchro ſpectandae molis antiquo fragmento ex marmore porphyretico, quod praeſtanti artificis manu ſculptum exhibet leonem horrentibus iubis, & rictu frementem; quibus parergis, quove opere valde delectatos eſſe veteres Etruſcos obſervatum eſt.

Auſpice igitur hoc inſigni monumento, quod non Faeſulanorum tantum, verum etiam Graecorum certamina, feſta, ac celebres ludos mirifice illuſtrat, Faeſulanos antiquitus Liberi patris cultores fuiſſe, & eius ſacra ſtato tempore his ludis celebraſſe, quovis pignore certaturus, adfirmo. Nam praeterquamquod id clare teſtatur quidam locus prope Faeſulas, qui ad haec uſque tempora appellatur *la Torre di Baccano*, ex quo Bacchanaliorum feſtorum celebritas facile argui poteſt. In hoc vero anaglypho vetus ſaltatio ſuper utres oleo unctos, ſeu lixivia, ut ait Servius, ac vino plenos exhibetur in honorem eiuſdem Numinis, quod vinum inveniſſe veteres finxere. In hoc ludo victores ii cenſebantur, qui ita ſe dextere gerebant, ut uno pede calca-

to utre, lubricitatem ipsam eluderent, & humi haudquaquam caderent; qui, victoriae praemium, utrem ipsum vino plenum ferebant: qui vero, id quod accidere frequentius solebat, cadentes (quod signato verbo dicebatur *cernuare*) terram natibus percutiebant, non sine magna voluptate spectatoribus risum movebant. Hos ludos atque haec certamina Athenienses instituere, quae ἀσκώλια appellarunt; in quibus, ut diximus, utres ex caprinis pellibus confecti atque inflati, ac vino pleni saltibus calcabantur in caprorum contemtum, qui vitibus adeo infesti esse creduntur, teste Phornuto de Natura Deorum, de Baccho Cap. XXX. & de Hirco. De his ludis ita Virgilius Georg. Libro II. v. 380.

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Caeditur, & veteres ineunt proscaenia ludi:
Praemiaque ingentis pagos & compita circum
Thesidae posuere, atque inter pocula laeti
Mollibus in pratis unctos saliere per utres.

Veteres auctores, qui hunc Graecorum ludum celebrant, clarissimi sunt, videlicet Plato in Convivio; ubi Aristophanes Amoris originem lepidissime exponit, Iulius Pollux Libro II. Cap. XIV. & Libro IX. Cap. VII. Eustathius ad Odysseam Libro κ. v. 19. Hesychius, Etymologici magni auctor, Aristophanis Scholiastes in Plautum, cuius verba affert Suidas in voce ἀσκὸς, a quibus Eubulus Poeta Comicus citatur, qui ita ait:

——— ϗ πρός γε τȣτοις ἀσκὺς εἰς μέσον
Καταθέντες, ἐνάλλεσθε, ϗ καγχάζετε
Ἐπὶ τοῖς καταῤῥέυσιν, ἀπὸ κελεύσματος.

hoc est: — *& praeterea utribus in medio positis*
Super eos saltate, & ridete
Eos qui in terram decidunt, dato plausu.

Titulus Comoediae Eubuli Δαμαλία fuisse dicitur a Suida; quem tamen titulum omisit Aristophanis Scholiastes; ni vero fuerit, ut erudite observavit V. C. Salvinius, Ἀμαλθεία, quae Eubuli Comoedia recensetur ab Athenaeo Deipnosophi-

phistarum Libro II. nusquam vero ab eo Δαμαλια nominatur.

Sed illud notatu dignum in hoc anaglypho, quod vir ille in terram delapsus, non solum lyram pulsat, verum etiam, si quis ipsam sculpturam probe inspiciat, intento in caelum vultu, & ore semihiante, eo modo repraesentatur, ut procul dubio canere videatur. Ex quo intelligimus veteres in hoc ludicro certamine, Baccho sacro, saltare consuevisse ad lyrae modos, & ad quasdam cantilenas, seu carmina, quae ab his ludis forsitan ἀσκώλια appellata sunt, quorum meminit Pollux Libro IV. Cap. VII. quamvis alii ex Proclo apud Photium legant σκόλια, scilicet *convivalia*. Saltatorum exemplo utitur Aristoteles in Libro I. de Arte Poetica, qui per rhythmos figuratos imitabantur & mores, & affectus, & actiones; ad quem locum vide longe doctissimi Viri Petri Victorii Senatoris Florentini Commentaria pag. 10. Quod vero ad lyrae concentum Dionysia festa celebrarentur, id quoque perspicue testantur sarcophagorum anaglypha, in quibus Genii Dionysia dum celebrant, lyram barbito pulsantes inducuntur, ut supra vidimus in sarcophago Musei Marchionis Riccardii. Eodem Polluce teste Libro II. Cap. XIV. aliisque auctoribus, quos supra indicavimus, ἀσκωλιάζειν dixere veteres altero pede saltare; qui saltandi modus ad hunc diem a nostris rusticis servatur in ludicris choreis; in quibus illi ceteris praestare videntur, qui cum puellis saltantes, longiori mora uno pede saltant, sublato alternatim pede altero, variis cum gesticulationibus.

In supersaliendis utribus, saltatores sinistra parte, utpote faciliori, saltasse, & a dextera motum, a qua naturaliter oritur, sumsisse ostendit hoc anaglyphum, quod mirifice Aristoteles, uti observo, illustrat his verbis in Libro de Animalium ingressu §. IV. pag. 130. editionis Vechelianae Francofurti MDLXXXV. ubi horum Ascoliorum ludorum exemplo utitur ad suam sententiam declarandam: Ὅτι δὲ ἐκ τῶν δεξιῶν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως ἐστι, σημεῖον καὶ τὸ φέρειν τὰ φορτία πάντας

ἐπὶ τοῖς ἀριστεροῖς. οὕτως γὰρ ἐνδέχεται κινεῖσθαι τὸ φέρον, λελυμένου τοῦ κινήσοντος. διὸ καὶ ἀσκωλιάζουσι ῥᾷον ἐπὶ τοῖς ἀριστεροῖς. κινεῖν γὰρ πέφυκε τὸ δεξιὸν, κινεῖσθαι δὲ τὸ ἀριστερόν. ὥστε καὶ τὸ φορτίον οὐκ ἐπὶ τῷ κινήσοντι, ἀλλ' ἐπὶ τῷ κινησομένῳ δεῖ ἐπικεῖσθαι. οὗ δὲ ἐπὶ τῷ κινοῦντι καὶ τῇ ἀρχῇ τῆς κινήσεως ἐπιτεθῇ, ἢ ὅλως οὐ κινήσεται, ἢ χαλεπώτερον. Hoc est; *Quod autem a dextris motus est initium, argumento sunt omnes, qui sinistra solent onera baiulare; ita enim gerulus soluto eo quod moturus est, ac disiuncto facile moveri potest: quocirca & facilius a parte sinistra saltant super utres; quoniam dextra natura sua movet, sinistra movetur. quapropter onus non in eo quod movere debet, sed in altero quod movendum est insidere oportet: si enim in ipso movente; & motionis principio imponatur, aut omnino non movebitur, aut difficilius.*

Illud praeterea observandum est in his ludis, saltatores oscilla, & personas Faunorum, vel Satyrorum, vel Silenorum induere consuevisse; quod ex eo coniicio, quia vir ille, qui in hoc Faesulano anaglypho saltator idemque lyristes inducitur, effigie, & habitu corporis non obscure Silenum recalvastrum repraesentat. Nemo id improbabit, qui legerit Romanos Etruscorum, & Graecorum more, produxisse homines ludentes, ac saltantes Silenorum, & Satyrorum instar personatos; quod ex Dionysio Halicarnassensi veterum rituum, & consuetudinum peritissimo colligitur, qui de armata saltatione agens, ita ait versus finem Libri VII. Σκευαὶ δὲ αὐτοῖς ἦσαν, τοῖς μὲν εἰς Σιληνοὺς εἰκασθεῖσι, μαλλωτοὶ χιτῶνες, οὓς ἔνιοι χορταίους καλοῦσι, καὶ περιβόλαια ἐκ παντὸς ἄνθους· τοῖς δὲ εἰς Σατύρους, περιζώματα καὶ δοραὶ τράγων, καὶ ὀρθότριχες ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς φόβαι, καὶ ὅσα τούτοις ὅμοια. Id est; *Apparatus autem erant, illis quidem qui Silenos repraesentabant, tunicae villosae, quas nonnulli* χορταίους *vocant, & amicula ex variis floribus contexta; illis vero qui Satyros repraesentabant, erant subligacula, & hircinae pelles, & setae in capite horrentes, & erectae, aliaque his similia.* Hunc locum mihi indicavit Philippus Venutus Patricius Cortonensis, priscarum omnium elegantiarum egregius cultor, qui de hoc Faesulanorum monumento erudite disserere moliebatur.

Sed in his ludis in Faesulano anaglypho designatis, per·

spi-

ſpicuum eſt haudquaquam in uſu fuiſſe ſubligacula, quae uti obſervat Caſaubonus Cap. IV. de Poeſi Satyr. ex hircinis pellibus conficiebantur: nam ſaltator ſculptus eſt nudo corpore, eo prorſus modo uti exhibetur in fictili lucerna apud Licetum Lib. VI. Cap 82. qui in his ludis viciſſe videtur: nam, ut in numis Coloniarum apud Vaillantium, laetus dextram in altum attolit, & graditur utrem in laevo humero ferens; quem tamen Licetus praeter rem putat Curſorem phaleratum, ſeu Tabularium, & utrem eſſe peram.



Libet heic quoque exponere aliud exemplum ex veteri marmoreo anaglypho, quod exſtat Florentiae in AEdibus Nobilium Gaddiorum, altum Romanos pedes plus minus

tres,

tres, ac duos circiter latum. Cernitur in eo Faunus sub pinu, vinum ex utre, quem super humeros defert, in quoddam vas vinarium effundens; ac fortassis aliquem victorem repraesentat, qui in hac ludicra saltatione, accepto praemio, nempe utre vini pleno, laetus pro victoria, Libero Patri, qui in his ludis colebatur, libationem instituit; qui plane nudus, & absque subligaculis cernitur.

Laudat hos Liberales ludos Eustathius, ut diximus, in Odysseam, & vindemiarum diebus fieri solitos apud Graecos affirmat; quos a Romanis quoque in Vinalibus celebratos fuisse auguror ex antiquo pereleganti sarcophago edito a V. C. Iusto Fontanino Archiepiscopo Ancyrano in praeclaro Opere de Antiquitatibus Hortae Libro II. Cap. I. pag. 6. in quo Vinaliorum festum exhibetur, atque inter ceteros Genios Dionysios, qui in eo sculpti sunt, duo prope sarcophagi angulos conspiciuntur, pedum in manibus, & utrem in humeris ferentes: fortassis ut non solum vindemiarum laetitiam, verum etiam hanc ludicram saltationem super utres designent, in honorem Bacchi autumni tempore institutam; quam & Faesulanis in usu fuisse hactenus ostendimus.

Idem Eustathius docet valde celebrem Ascoliorum ludum fuisse praesertim apud complures Syriae urbes, & colonias; quod quidem earumdem numismata testantur, quae mihi idem amicus meus Philippus Venutus indicavit apud Clarissimum Iohannem Vaillantium de Coloniis, praesertim in Tyriorum numo in honorem Elagabali percusso pag. 137. & in alio Coloniae Beryti pag. 111. atque in alio Coloniae Damasci Metropoleos in honorem Marciae Otaciliae Severae pag. 259. in quibus horum ludorum, ut puto, victores exhibentur, Silenorum personam induti, qui dextram attollunt, & hircinum utrem in humeris gestant, Baccho debitas grates, & sacrificia, ut solebant, vel in eius templo reddituri. Plura si quis cupiat adeat doctissimum Meursium Graeciae Feriatae Lib. I. in Α'σκώλια, & de Ludis Graecorum in Α'σκωλιάσμος, item Mercurialem de arte Gymn. Lib. II. Cap. 2. & Commentaria in allatum Virgilii locum.

Me-

Memoriae posterorum non abs re mihi videtur tradere adsimile ludicrum spectaculum, quod Florentiae olim exhibebatur, atque hoc plane modo fuerat institutum. Homines proceri, ac praevalidi, exertis brachiis, & aperto capite, in lineis saccis pectore tenus religatis inclusi, ad cursum mittebantur; proposito praemio illi qui ceteros cursu tam difficili, & impedito anteisset: quo in certamine quum quisque in terram ridiculo lapsu caderet, maximum in spectatoribus risum creabat. Praetereo pugilum edita in plateis spectacula, equestres decursiones, quas maiores nostri *giostre*, *tornei*, *armeggiamenti* appellarunt, aliaque festiva, ac ludicra certamina, quae ad tibiarum modos in nuptiis nobilissimorum virorum, & optimatum, vel in honorem clarissimorum hospitum celebrabantur, quorum identidem meminere nostri scriptores. Nulla enim Italiae Urbs spectaculorum & certaminum omnis generis studiosior Florentia, quae gymnicos omnes ludos, Atheniensium exemplo, exercere nobiles adolescentes voluit, quo facilius ad ignaviam depellendam, & ad virtutem sudore parandam excitarentur. Petrus Victorius optimarum literarum, & Florentinae togae decus, in Commentariis in Librum VIII. Aristotelis de Republica pag. 664. rem gymnasticam veterum commendans, Florentiae haec tam utilia exercitia sua tempestate paene desuevisse dolet, his verbis: *Restant adhuc in nostra civitate vestigia quaedam huius artis, ac fortaße plura, quam in alia ulla Italiae urbe: in qua tamen & ipsa cotidie magis dediscuntur, & inertia luxuriaque huc invecta, communi vitio huius temporis, negliguntur.*

His observatis, de ipso lapide, anaglyptico opere exsculpto, dicendum aliquid superest; quod plane Etruscum esse, & Etrusci artificis manum redolere non levi coniectura adsequor, & suadere videntur maeandra, & vortices, quibus ornatur dextrum eiusdem latus; quae, si diligenter observavi, in nullis tum Graecis tum Latinis caelaturis occurrunt; frequenter tamen adhibentur ad ornatum Etruscarum paterarum, uti in pluribus editis facile quisque obser-

vare

vare poterit. Praeterea ipsa anaglyphi huiusce rudis sculptura admodum similis est duobus aliis lapidibus anaglypho, & Etrusca inscriptione ornatis, qui in lucem editi sunt in Opere Dempsteriano Tab. LXXII. n. 2. & 3. quorum primus, ut diximus, Faesulis inventus, hodie visitur in AEdibus praelaudati V. C. Philippi Senatoris Bonarrotii, alter Volaterris apud Nobb. de Maffeis. Neque etiam, quod hic Bonarrotianus lapis repraesentat, nempe ludicram super utres saltationem, si veterum Etruscorum Historiam spectemus, institutis, & moribus eorumdem adversatur: nam certum est saltatores in Etruria praestantissimos fuisse, & magno in pretio habitos. Ludiones memorat Livius initio Libri VII. Decad. I. ad tibicinis modos saltantes ex Etruria Romam accitos fuisse, C. Sulpicio Petico, C. Licinio Stolone consulibus, nempe anno Urbis conditae CCCXCI. Etruscam saltationem exhibent plura monumenta in Dempsteri Opere de Etruria Regali, ac praesertim Tabula XIV. XIX. & LXIV. Lyrae quoque concentum Etrusci adhibuere non solum in sacrificiis, verum etiam in ludis, uti observavit oculatissimus Senator Bonarrotius §. IX. qui de Bacchi cultu penes Etruscos eruditissime disseruit: ex quibus omnibus colligere possumus saltationem super utres in honorem Bacchi in usu apud Etruscos fuisse.

Hactenus de tutelaribus Diis, aris, templis, sacrificiis, magistratibus, & ludis Faesulanorum; nunc venio ad funera, & sepulcrales memorias, quarum profecto uberiorem cumulum proferre possem, ni maiorum incuria, quae in antiquis monumentis vel negligendis, vel perdendis maxima, ac plane pudenda fuit, intercidissent. Vincentius Borghinius de Faesulana civitate disserens pag. 220. narrat sua tempestate frequenter Faesulis, vel in proximis agris, & villis erui solita vetera sepulcra, & urnas cinerarias, seu ossuarias, quas procul dubio, more maiorum, sepulcrali titulo inscriptas fuisse nullus dubitat, quae hodie vel non exstant, vel alio translatae fuere; exstarent tamen si antiquita-

quitatis studiosi viri, qui eo tempore florebant, literis consignatas posteris reliquissent. Iohannes Nardius, in Pisano Athenaeo Medicinae Professor, ad Lucretii Librum VI. in Animadversione XLIX. in qua erudite agit de funeribus Atheniensium, memorat pag. 620. in quodam loculo sepulcrali eruto inter parietinas, atque rudera antiquissimae Faesularum Urbis, sua tempestate inventa fuisse duo vitrea vascula lacrymatoria, una cum fictili lucerna, ornata oscillo, sive larva cum hianti ore, ac terrifico vultu, itemque operto capite velo utrinque pendulo; quae singula quum in eius Museo asservarentur, curiosis communicavit aere incisa in Tabula VIII. Fig. IV. & V. quae si vacat videri possunt. Inscriptos lapides dedicatosque Diis Manibus, quotquot Faesulis reperire potui, heic primus in lucem proferam.

In Lapide Faesulano, Faesulis eruto, anno MDCCXIV.

3

D M
L. TETTIO
PRIMITIVO
L. TETTIVS
ONESIMVS
ALVMNO

3. *Alumnus*, ut observant viri docti, sumitur active, & passive, tam pro eo qui alit, quam qui alitur. Consulendus doctissimus Taubmannus in Plauti Mercatorem 4. 5.

v. 7. Frequenter in antiquis titulis ſepulcrorum eo nomine veniunt tum filii, tum pueri ingenui, qui educati ſunt, ut notat Fabrettus Inſcr. Ant. Cap. V. pag. 351. quibus addo vernas, ſive ſervos domi natos, qui poſt filios honoris gratia nominabantur, & pari cum filiis iure ſepulturae donabantur ab heris educatoribus, ut docet praeter cetera monumenta vetuſtus lapis, quem Cl. Iohannes Baptiſta Donius in ſuiis Collectaneis excripſit ex Schedis Manutianis Bibliothecae Vaticanae, ac poſtmodum ex Schedis Barberinis eiuſdem Donii autographis edidit Fabrettus Cap. I. n. 281. Alumnos in filios adoptatos ab educatoribus facile agnoſcere poteris ſi educatorum ſuorum praenomen, & nomen familiae praeferant, uti in allato Faeſulano lapide, cuius titulum mecum communicavit praelaudatus Benedictus Breſcianius, monuitque paucis ab hinc annis intercidiſſe. Infantem alumnum indico apud Fabrettum Cap. III. n. 619. qui quarto aetatis ſuae anno, ſupra ſeptem menſes, praenomine, nomine, & cognomine donatus eſt, ex Gente Terentia; & per menſes novem frumentum publicum accepit. Alumnum item trimulum agnomine donatum habemus in Selectis Inſcriptionibus apud C. V. Vignolium pag. 253.

Qui Alumnos alumnaſque alebant vel *Paedagogi*, vel *Educatores*, vel *Nutricii*, ſeu *Nutritores* dicebantur; feminae vero *Nutrices*, & *Educatrices*. Vide eruditiſſimum Ioh. Iacobum Claudium in Diatriba de Nutricibus & Paedagogis; Fabrettum Inſcr. Ant. Cap. IV. n. 488. & n. 413. Cap. III. n. 153. 154. 155. 156. 157. &c. In nutriendis educandiſque liberis tum Graeci, tum Romani ſervorum, & ancillarum miniſterio uſi ſunt; & apud Graecos tenue admodum vileque munus fuit, ut notat omnigena doctrina, & eruditione excultiſſimus Petrus Victorius Var. Lect. Lib. XXVII. Cap. I. verum apud Romanos non parvo in pretio, quod Plinius in epiſtola 16. Lib. V. oſtendit; praeſertim ſi alumni admodum nobiles, & primi urbis eſsent; quod ex Suetonio in Nerone c. 50. colligi poteſt, qui ait, Neronis Claudii Cae-

ſaris

ſaris reliquias conditas gentili Domitiorum monumento ab Ecloge , & Alexandria nutricibus ; quod ſupremum officium propinquorum , & affinium erat , & ex hoc lapide Domeſtici Muſei Raphaelis Fabretti Cap. IV. n. VIII. colligi poteſt.

D . M . S	Θ . K
CRISPINAE . COIVGI	KATA . KEΛET
DIVINAE NVTRI	CIN . THC ΔECΠOI
CI SENATORVM	NHC . ΠPEICKIΛΛI
DVVM ALBVS	NH . ΘPEΠTH . ZH
COIVNX . C . Q . F	CACH . ETH : E̅ . MH
AN XVII . H VIX	NAC . Δ̅ . EME
AN XXX . M . II	PAC . IE
B . M . F	

Adiunctam alteram inſcriptionem Graecam , in ſepulcrali Cippulo caelatam , Romae exſtantem in vinea Maffeiorum , exhibeo ex Donianis Collectaneis ; quae exſcripta fuit ex Schedis Bibliothecae Vaticanae , antiquariis hactenus incognita ; quae haec ſignificat : *Diis Manibus . Iuſſu Dominae Priſcillinae Alumnae . quae vixit Annos V. Menſes IIII. Dies XV.* Ex quibus perſpicue liquet quanto amore , & honore nutrices , & nutritores alumnos ſuos proſecuti ſint , quos tum filios frequenter appellant , tum etiam Dominos , & veluti divinos exiſtimant ; nam ea formula ΚΑΤΑ ΚΕΛΕΥCIN. cui aliae ſimiles , ΚΑΤΑ ΠΡΟΣΤΑΓΜΑ . ΕΞ ΕΠΙΤΑΓΜΑΤΟΣ , *ex iuſſu , ex imperio , ex praecepto* , in votivis aris Deorum Dearumque frequentiſſime adhibentur .

Tettia Familia nota eſt ex pluribus antiquis monumentis. Paucos viros ex his indicabo , nempe L. Tettium Fuſcum Equitem Singularem , & L. Tettium Gratianum Veteranum Equitum , qui voto ſuſcepto aram Genio Coloniae Puteolanorum dedicavere , ut in Reineſiana Cl. I. 295.

 Item

Item L. Tettium Hermetem, qui ex iussu Iovis optimi maximi Defensoris, seu Depulsoris cum coniuge, & filiis suisque omnibus cantharum cum base sua dedicavit, ut legitur in Florentina Par. I. pag. 105. n. 74. Lucernam aeneam pensilem, bilychnem, Iovi dono datam a L. Tettio Alypo, exhibuit V. C. Causeus in Museo Romano Sect. IV. Tab. IV. cui similem protulit Fortunius Licetus Libro VI. Cap. 58. ni eadem sit, depravata inscriptione, vel alia. Tettii in clientela Claudiorum fuere, ut notat Iohannes Glandorpius in Onomastico Historiae Romanae. C. Tettius infans, matre Petronia natus, ab Augusto in bona patris, a quo facto testamento praeteritus erat, ire iussus est, auctore Val. Maximo Lib. VII. Cap. VII.

In Domo quadam Canonici Faesulani, sequentes lapides exstant, qui Faesulis eruti sunt.

4



4. Meram iuris distinctionem inter nomina *contubernii*, & *coniugii* notavit ex antiquis lapidibus Fabrettus Inscript.

Ant. Cap. IV. pag. 314. Nam coniuges etiam ingenui promiscue se se *contubernales* appellant, uti ex hoc quoque Faesulano Cippulo manifestum est. Feminas tum in virorum, tum in feminarum contubernio vixisse, & contubernales appellatos ingenuos filios, ac filias me adnotasse memini in Plinianis Epistolis, & praesertim in Lib. IV. Epistola XIX. in qua Plinius gratulatur sibi & Hispullae, quod uxorem habeat eius filiam Calphurniam, quae se dignam maioribus suis ostenderet; atque inter ceteras eius laudes has quoque reponit: *Non enim*, inquit, *aetatem meam aut corpus, quae paullatim occidunt, ac senescunt, sed gloriam diligit. Nec aliud decet tuis manibus educatam, tuis praeceptis institutam: quae nihil in contubernio tuo viderit, nisi sanctum honestumque: quae denique amare me ex tua praedicatione consueverit.*

Collegius Compitalicius, qui hunc Cippulum posuit Diis Manibus L. Terentii Fidi, & Noviciae contubernalis eius, a feriis Compitaliciis cognomen habuit, quae in honorem Deorum Larium celebrabantur, & ludi per urbem in compitis agitabantur, auctore Macrobio Saturnalium Libro I. Cap. VII. In his Compitaliciis festis celebrandis familiae omnes occupabantur IIII. Nonas Ianuarias; quare Cicero ne Pompei familiae Compitalicia celebranti molestus esset, Attico suo scribit, uti in epistola VII. Lib. VII. se nolle eo die in Albanum ire. Collegia Familia, quae inter alias Faesulanas memoranda est, iamdiu perspecta ex Gruterianis DCCCXC. 5. DCCCLV. 12. & ex Reinesianis Cl. XIV. 198.

De Diis Faesulanorum, & eorum templis cum supra dissererem, illud indicare praetermiseram in sinceris Actis Passionis D. ROMULI haberi mentionem Templi Iovis, ad quod Repertiani Praesidis iussu adductus est idem S. Martyr, ut falso numini divinos honores faceret. Faesulis item inventum Isidis sigillum, insculptum AEgyptiacis Hieroglyphicis supra exhibui, & explicavi in Prima Parte Tab. XVII. n. 1. pag. LXXX. quod exstat Florentiae in Museo Bonarrotio.

Ibi-

Ibidem.



Ibidem.



5. In his Cippulis haud notati sunt anni quibus unusquisque vixerit ; quod indicat viventibus positos fuisse, usitato more tum Ethnicis, tum Christianis viris, ac feminis, ut de supremis officiis certi, ac securi essent. Plinius id diserte testatur in epistola 10. ad Albinum ex Libro VI. in qua conqueritur, Virginii Rufi viri clarissimi post decimum mortis annum nondum absolutum sepulcrum, atque ita ait : *Tam rara in amicitiis fides, tam parata oblivio mortuorum, ut ipsi nobis debeamus etiam conditoria exstruere, omniaque heredum officia praesumere. Nam cui non est verendum, quod videmus accidisse Virginio ? cuius iniuriam, ut indigniorem, sic etiam notiorem ipsius claritas facit.* Hinc non raro legimus in antiquis inscriptis sepulcralibus Titulis aras Deorum Manium vetustate labefactatas sedulo sibi restituisse, & novam inscriptionem superinduxisse, priore iniuria temporis detrita, & consumta ; quod me apud Fabrettum in veteri lapide obser-

ſervaſſe memini. Putarunt enim inquietari poſt mortem animas defunctorum, ſi debito ſepulcri honore carerent; neque in Elyſiis beatam vitam agere, neque illis frui deliciis, quae in hoc Graeco Epigrammate Romano, Latinis verſibus elegantiſſimis converſo a Cl. V. Antonio Maria Salvinio, deſcribuntur; quod quidem abſque ulla verſione edidit Gruterus DCCIII. 1.

ΟΥΚ . ΕΘΑΝΕϹ . ΠΡΩΤΗ . ΜΕΤΕΒΗϹ
ΔΕϹ . ΑΜΙΝΟΝΑ . ΧΩΡΟΝ
ΚΑΙ . ΝΑΙΕΙϹ . ΜΑΚΑΡΩΝ . ΝΗϹΟΥϹ
ΘΑΛΙΗ . ΕΝΙ . ΠΟΛΛΗ
ΕΝΘΑ . ΚΑΤΗΛΥϹΙΩΝ . ΠΕΔΙΩΝ
ϹΚΙΡΤΩϹΑ . ΓΕΓΗΘΑϹ
ΑΝΘΕϹΙΝ . ΕΝ . ΜΑΛΑΚΟΙϹΙ . ΚΑΚΩΝ
ΕΚΤΟϹΘΕΝ . ΑΠΑΝΘΩΝ
ΟΥ . ΧΕΙΜΩΝ . ΑΫΚΕΙϹ . ΟΥ . ΚΑΥΜΑ
ΟΥ . ΝΟϹΟϹ . ΕΝΟΧΛΕΙ
ΟΥ . ΠΙΝΗϹ . ΟΥ . ΔΙΨΟϹ . ΕΧΕΙ Ϲ
ΑΛΛΟΥΔΕ . ΠΟΘΕΙΝΟϹ
ΑΝΘΡΩΠΩΝ . ΕΤΙ . ϹΟΙ . ΒΙΟΤΟϹ
ΖΩΕΙϹ . ΓΑΡ . ΑΜΕΜΠΤΩϹ
ΑΥΓΑΙϹ . ΕΝ . ΚΑΘΑΡΑΙϹ . ΕΝ . ΟΛΥΜ
ΠΟΥ . ΠΛΗϹΙΟΝ . ΟΝΤΩϹ
Π . ΑΙΛ . ΑΒΑϹΚΑΝΤΟϹ . ΑΙΜΑ
ΠΡΩΤΗ . ΘΥΓΑΤΡΙ . ΕΖΗϹΕΝ . ΕΤΗ
Ζ̅ . ΜΗΝΑϹ . ΙΑ̅ . ΗΜΕΡΑϹ . ΚΖ̅

Mortua non es, PRIMA. loca in meliora migraſti.
Teque beatorum dapibus tenet inſula feſtis.
Elyſia exultans paſſim per plana vagaris
Mollibus in pratis. cura & procul exulat omnis.
Non te laedit hyems, aeſtus, non denique morbus;
Non ſitis atque fames cepit, vitaeque prioris
Te deſiderium tenet: inculpabile namque
AEvum agitas felix, nitidaque in ſede refulges,

Pro-

Proxima qua sedes clarum contingit Olympum.

P. AElius Abascantus AEliae Protae Filiae
Vixit Annos VII. Menses XI. Dies XXVII.

In Cathedrali Ecclesia Faesulana, marmorea Tabula posita pro gradu Altaris Hypogei, quod Confessio dicitur.

7

MESSI HIC ROMVLI . CORPVS . LONGA . IN PACE QVI
ESCIT . QVI . XPI, CVM PRIMIS IVSSA SERVARET AB ANNIS
TVM LECTOR DOMINI ANNIS QVINDECIM IVSTVS ☧
CONTINVIS PROBATVSQ. FVIT MERITOQ. IVVATVS
AECCLESIAE SANCTAE DIACONII EST ORDINATVS HONORE
. . . . ENIS CORDE TENERET

Heic tres lineae penitus consumtae

: XACTIS N .: VEM MENSIBVS ANNO
: RELINQVENS
: CAELO HINC . ISSE PVTANDA EST
: CVM SANCTIS IVSTVS HABETVR


7. Sepulcrale elogium Messii Romuli continet haec Inscriptio, qui a D. ROMULO Etruriae, ac Faesularum Apostolo, accepto nomine, ut mos erat, in sacro Baptismate, exacta infantia, Lector Domini in Faesulana Ecclesia factus, & per annos quindecim sanctitate omniumque virtutum genere probatus, eiusdem sanctae Ecclesiae postea Diaconus ordinatus est, ac tandem plenus meritis cum Deo fuit caelo receptus. Lectorem non moror, quum multa in hunc lapidem erudite observaverit V. C. Philippus Senator Bonarrotius, qui edidit pag. 115. Observationum in Vasa Vitrea Coemeteriorum.

IN-

INSCRIPTIONES
ANTIQUAE
PISTORII ET PRATI.

Pistorii, in magna Aula Palatii Dominorum.

I



1. ILlustraturus reliquas Etruriae Urbes, vellem equidem uti, quae meae sunt partes, non inanibus verbis, sed vetustis anaglyphis, aris, & signis Deorum, inscriptisque lapidibus; quorum ope prisci ritus, instituta, mores, sacrificia, & magistratus Municipiorum Romanarumque Coloniarum in lucem clarissime proferuntur. Sunt enim vetera monumenta civitatum omnium praeclara decora; atque, ut apud omnes in confesso est, Romanae Historiae veluti praelucentes quaedam faces; quorum ductu, ac praesidio, multa notatu digna posterorum memoriae mandantur. Verum sive superioris aevi incuria, quae summa fuit, sive barbarorum Italiam igne, ac ferro vastantium teterrima clade id contigerit, perpauca sane,

aut fere nulla in aliquibus Etruriae Urbibus hodie supersunt veteris elegantiae, & magnificentiae vestigia, quae triste fatum minime subierint; cuius rei exemplum esse potest PISTORIUM Etruriae opidum perantiquum, & nobile, in quo id solum memorant, quod attinet ad vetustatis eruditas reliquias, olim inventum fuisse marmoreum signum, Etrusca inscriptione exornatum, quod, ut tradit R. P. Sanctes Marmocchinius, a Philippo Bonarrotio Senatore amplissimo citatus in Explicationibus, & Coniecturis Operi Dempsteriano additis §. XLIV. ad manus venit magnifici Laurentii Medices. Verum praeter allatum lapidem, & aliquot Caesarum Augustarumque numismata eruta in Agro Pistoriensi, nullum hoc tempore exstat saxum, antiquis literis inscriptum, quod ibidem repertum fuerit.

Positus vero fuit hic sepulcralis Titulus, ut legentibus liquet, Lucio Baebio, Publii Filio, ex Velina Tribu, Quatuorviro Iuri dicundo Pistorii. Ex quo intelligimus, uti adnotavit Valerius Chimentellius Cap. IV. in marmor Pisanum de Honore Bisellii, qui hunc ipsum lapidem in lucem edidit, Pistorii, veteri Romanorum Municipio, Quatuorviros iuri dicundo praefuisse; qui magistratus municipalis eximiae tum dignitatis tum auctoritatis fuit, utpote prope consulatui, aut praeturae compar, notante id Sigonio de antiquo Iure Italiae Libro II. Cap. IV. Velina Tribus una ex iis fuit Populi Romani in Sabinis, a lacu Velino denominata, de quo Plinius Libro II. Cap. LXII. & Libro XXXI. Cap. II. In hanc Tribum censi Pistorienses, Romanaque civitate donati, suffragia, ut auguror tulere; quod disertius assererem ni aliorum lapidum luce destituerer, ac praecipue militarium, in quibus militum nominibus frequenter patria, ac Tribus, & in Cohortibus, sive Legionibus officium adiungitur.

Post adscriptam Velinam Tribum L. Baebii cognomen additum non est, ut in aliis saxis; qui defectus cognominis antiquitatem nobilitatemque eiusdem L. Baebii Quatuorviri Pistoriensium, & iure dicundo praefecti perspicue de-

declarat, quemadmodum observat Fabrettus ad monumentum pervetustum L. Rusticelii ex Tribu Scaptia, Inscriptionum Antiquarum Cap. III. n. 639. & ad Inscriptionem Pontis Fabricii Cap. V. pag. 368. Siquidem consulares, ac summi viri antiquitus tamquam solo nomine, ac Tribu satis omnibus noti essent, cognomina omittere consuevere in publicis monumentis; quo item destituti C. Marius, itemque Q. Sertorius, qui Hispaniam obtinuit, & L. Mummius, a quo Corinthus deleta est, ut tradit Plutarchus initio vitae C. Marii; idque antiqua numismata factum a pluribus egregiis viris testantur. Plures viri ex Gente Baebia, (ut hos tantum memorem) in Gruterianis Inscriptionibus proprio cognomine carentes occurrunt, pag. C. 9. DCCLXIII. 5. DCCCLXI. 8. & in aliis non paucis vetustis lapidibus.

In tertio versu PISTOR. legendum puto PISTORIS pro *Pistoriis*. Quamvis enim a Plinio Libro III. Cap. V. *Pistorium* appelletur, tamen apud Ptolemaeum Πιστωρία, *Pistoria* a recto casu generis neutri pluralis numeri dicuntur. Quod vero *Pistoriis* legendum sit in allato lapide, non vero *Pistorii* confirmat vetustum laterculum, quod edidi inter Florentinas Inscriptiones pag. 132. n. 17. in quo L. Septimio Severo Imperatore iterum ac tertium Consule, Militum Cohortis Sextae Praetoriae nomina, & patria, & quorumdam militaria officia recensentur; in quo linea 14. habetur:

C. VERATIVS SEVERVS PISTORIS

Quare vetus Tabula Itineraria, in qua scriptum est PISTORIS, neque corrupta est, neque E in I mutata, quasi habuerit AD PISTORES, ut putat Cluverius Italiae Antiquae Libro II. Cap. I. sed procul dubio, ut supra diximus, scriptum est PISTORIS, pro PISTORIIS. Pervulgatum est enim veteres tum in antiquis inscriptis saxis, tum in codicibus alterum I, si aliud praecederet, subtrahere consuevisse; vel non raro etiam, fortassis ad maiorem sonum in pronunciatione exhibendum, addere in illis vocibus, in

 qui-

quibus manifeste redundare cognoscebant : ut in voce DIS pro DIIS, interdum scriptum DIIS vel DIIS. item PIIENTISSIMA, vel PIIENTISSIMA pro PIENTISSIMA. HOMERII pro HOMERI, ut diximus ad Titulum Sepulcri Libertorum, & Servorum Liviae Augustae, & in aliis his similibus, ac praesertim in genitivis casibus. Quare vehementer erraret qui in recto pronunciaret *Homerius*, quod genitivus habeat *Homerii*. Idem dicendum in aliis exemplis; nam si quis inveniret scriptum ZENODORII, APOLLODORII, ISIDORII, CASSIODORII &c. valde hallucinaretur si legendum scribendumque decerneret ZENODORIVS, APOLLODORIVS, ISIDORIVS, CASSIODORIVS &c.

In Antonini Itinerario videtur fuisse AD PISTORES. An vero *Pistores*, & *Pistorienses* appellati fuerint, quod panis optime conficiendi, & in mille figuras exstruendi artem primi in Etruria vel invenerint, vel amplificarint, alii expendant. Coniecturae, ut arbitror, favere potest Plautinus Hegio in Capteiveis Act. I. Sc. II. v. 55. qui convivatorem comparans cum Imperatore exercitus, populorum nomina ad esculenta per iocum transfert, ac Pistoriensium una cum aliis ita meminit:

Non pol mirandum est fugitare hanc provinciam;
Multis & multigeneribus opus est tibi
Militibus. primum dum opus est Pistoriensibus:
Eorum sunt genera aliquot Pistoriensium.
Opus Paniceis, opus Placentinis quoque.
Opus Turdetanis, opus est Ficedulensibus;
Iam maritumi omnes milites opus sunt tibi.

Iovi *Pistori* ara a Romanis posita est, teste Lactantio de falsa Religione Libro I. Cap. XX. quod eos in quiete monuisset, ut ex omni frumento quod haberent, panem conficerent, & in hostium castra iactarent; quo facto soluta est obsidio, desperantibus Gallis inopia subigi posse Romanos.

Antiquior Plauti testimonio nulla hactenus mentio Pistorii, ac Pistoriensium inventa est; qui floruit anno Urbis conditae quingentesimo quinquagesimo, circa finem secun-

cundi Belli Punici, & ante Christi Domini ortum ducentesimo primo. Plauto proximus est Sallustius, qui agri Pistoriensis meminit Cap. LVII. Belli Catilinarii, aitque L. Sergium Catilinam, abductis copiis in agrum Pistoriensem, uti per tramites occulte perfugeret in Galliam Transalpinam, a L. Antonio consule interemptum deletumque cum exercitu suo, eodemque in agro, cruentissimo utrinque praelio, perniciosissimi civis in patriam extinctam fuisse nefariam coniurationem. His alii addendi scriptores Plinius, Ptolemaeus, Iulius Obsequens de Prodigiis Cap. CXXII. Cassiodorus in Chronico, & Ammianus Marcellinus Libro XXVII. qui Correctorem, seu Praesidem Tusciae ius dixisse Pistorii tradit, cuius testimonium affert Dempsterus de Etruria Regali Lib. V. Cap. XII. qui multa ex Borghinio nostro excerpsit in Dissertatione de Etruria, eiusque Civitatibus.


Neque vero abnuerim Pistorium Romanorum Coloniam factam fuisse, deductis a L. Sulla militibus, quos magnis & muneribus & honoribus prosecutus est. Constat enim ex Ciceronis Orationibus in L. Catilinam non paucos eorum Faesulas, alios Arretium, & Volaterras, alios in alia opida Etruriae, & Latii deductos fuisse. Pistorienses vero non obscuri nominis fuisse tum multo antea, tum eo tempore ostendit Plauti allatum testimonium. Ab hac Urbe Pistorii familia Romana *Pistoria* nomen accepit, quae in vetusto lapide penes Fabrettum nominatur Cap. X. n. 380. & apud Gruterum LXXX. 1. ara votiva occurrit dicata Deae Nemesi, sive Fortunae a Pistorio Rugiano Viro Clarissimo, Legato Legionis XIII Geminae Gordianae.

Deest nomen eius viri, qui L. Baebio hunc feralem Cippulum supra cineres in terra defigendum dedicavit; nam in inferiori parte fractus est. Neque enim honorarium lapidem puto; nam figura ipsa, & in fastigii tympano foliacea sive myrtea corolla insculpta, quae sepulcris defunctorum apponi solet, id negat; quamvis, ut in aliis similibus, desit Diis Manibus monumenti dedicatio.

De Pistoriensium proprio, ac locali Deo, aliisque falsis

Nu-

Numinibus dicendi locus heic esset : sed quum nulla vetustorum marmorum lux ad hanc diem affulserit, de his mihi non constat. Iovem inferum, sive Plutonem; cognomento *Summanum*, quasi *Summum Manium*, uti eum appellat Martianus Cappella de Nuptiis Philologiae Libro II. quod in eius potestate sint Dii Manes, Pistorienses praecipuo honore coluisse coniicio ex nomine cuiusdam montis, qui circa Pistorium est, qui ad hoc tempus antiquam appellationem retinet, & *Mons Summanus* dicitur. Summano Deo, ut diximus, nocturna fulmina attribuebantur, diurna Iovi, auctore Plinio Libro II. Cap. LII. quorum scientia, & observatione peritissimi omnium Etrusci haruspices, & interpretes fuere. Est quoque hinc non longe alius mons ab Iove appellationem sortitus, qui & hodie *Mons Iovis* vocatur. Exploratum siquidem est priscos mortales primum in montibus sacra Diis facere solitos fuisse.



Herculis cultum proxima in regione indicat allata ara-


vo-

votiva euchariftica, quam non longe a Bifentio Etruriae opido exftare tradit Gruterus, qui edidit pag. MXII. 7. ex Fulvio Urfino. Nullum opidum in Etruria hoc nomine nuncupatum invenio, fed folum fluvium, qui decimo ab Florentia lapide, PRATUM, olim validiffimum opidum, ac Rempublicam, ut fcribit Dempfterus de Etruria Regali Libro VI. Cap. XV. iam dudum civitatis nomine donatum circumfluit.


De huius civitatis origine, ac progreffu, quafi Pratenfis Hiftoriae Prodromum, pereruditam Differtationem exornavit pietate, ac doctrina Clariffimus Vir Iohannes Baptifta Comes Cafottius, Ecclefiae Beatae Mariae Virginis Imprunetanae Praepofitus, quae Venetiis fuperiore anno edita eft. Ex proximo monte, qui *Iavellus* dicitur, veteres populi ad planitiem defcendentes, Pratum condidiffe oftendit; qui an fuerint ex reliquiis Sullanorum Colonorum circa Faefulas, an vero fequiori aevo ex primoribus ipfis Faefulanis potentibus, ac nobilibus viris, qui poft excidium, & everfionem Faefularum Urbis a Florentinis factam, Florentiam, vel in hanc, vel in alias proximas fedes migrarunt, incertum eft. Quod vero ex prifcis Faefularum Colonis effe potuerint, coniicere non levi argumento poffumus ex ipfis plurium Villarum, ac praediorum circa Pratum antiquis appellationibus, quae a praecipuis Colonorum Romanorum Civium familiis denominationem accepere. Ac primum Iavello monti proximum eft rus Albianum, deinde Vaianum, Baebianum, Popilianum, Arminianum, Pontianum, Cilianum, Secianum, Sabinianum, Caianum, ex Albia, Vaia, Baebia, Popilia, Arminia, Pontia, Cilia, Secia Gente, vel ex praenominibus, vel ex cognominibus eorumdem Colonorum, Caii videlicet, ac Sabiniani; quae praedia, feu rura hodie dicuntur *Albiano*, *Vaiano*, *Bibbiano*, *Popigliano*, *Armignano*, *Ponzano*, *Ciliano*, *Secciano*, *Caiano*, *Savignano*. His addam rus Fabium, Manlium, hodie *Fabio*, *Maglio*, e gente Fabia, & Manlia, quae inter Faefulanas princeps fuit, nam C. Manlius princeps Faefulanorum

rum a Salluſtio vocatur ; item Sifinianum in valle Biſentii, vulgari nuncupatione *Soſignano* , & *Soſiniano* pro Sifiniano ; a gente *Siſia* denominatum , de qua meminit vetuſtum hoc aheneum ſigillum , prominentibus inverſis literis expreſſum, quo veteres rem ſuam obſignabant , tuebanturque , quod eodem in praedio , ſeu Vico Sifiniano , admodum populoſo , inventum eſt ; qua de re me monitum voluit amicus meus Innocentius Bonamicus Canonicus Pratenſis , quem ſummopere diligo , tum propter eximiam in ſacris Litteris interpretandis peritiam , & eruditionem , & in antiquis monumentis colligendis praeclarum ſtudium , quibus antiquariam ſuam ſupellectilem exornavit , tum etiam propter morum candorem , & probitatem , quae quidem nobilis animi dotes iamdiu mihi probe perſpectae fuerunt. Sed en laudatum ſigillum , cui alterum ſubiicio item penes eumdem Bonamicum , quod nomen Fotidiae gentis inſcriptum praefert , in Pratenſi agro & ipſum repertum.

1



2



Eadem in Villa , ſeu praedio Sifiniano ; cui nomen fecit Sifia gens , e qua producta appellatione Sifinia orta eſt , quae in pluribus antiquis inſcriptionibus nominantur , non pauca habet antiqua aedificia nobilis Familia Bonamicorum Pratenſium , quae avitum domus ſplendorem oſtendunt. Plura item praelaudatus Bonamicus ſervat numiſmata inventa in ſuis praediis , quae mihi oſtendit , atque inter haec argenteum , in cuius antica cernitur virile caput cum epigraphe SABIN. quod apud praedium Sabinianum , nunc

Savi-

Savignano, eiusdem Familiae Bonamicorum, a quodam rustico inventum est.

Lares Deos domestica, ac familiaria Numina antiquarum gentium, quae Pratensem civitatem ante quam conderetur incoluere, exhibeo in his duobus aheneis sigillis, quae ibidem inventa sunt; quorum primum apud se servat Iohannes Baptista Casottius, alterum Innocentius Bonamicus.



Non omnino indigna eruditorum aspectu iudicavi, quamvis admodum rudi manu sculpta fuerint. Quin etiam praelaudatus Casottius alios huic similes Lares Deos mihi ostendit, quos una cum proxime allato, prope portas, & moenia civitatis Prati quidam rusticus egesta humo invenit. In his observandus est tutulus, quo eorum capita ornantur

tur, seu pileus, quasi indicetur Lares ex Asia ab AEnea in Italiam invectos fuisse. Nam pileus viatoribus convenit, hisque tribui solet ad arcendas imbrium, & frigoris iniurias; quod iampridem in AEsculapio, & in Ulysse, & in venatoribus ex vetustis anaglyphis erudite adnotatum est. Quod vero veterum Etruscorum Penates, ac Praestites Dii esse potuerint ex eo coniicio, quod Casottianum illud sigillum torque circa collum in plures radios distincta, & circa pectus strophio ornatur, quae ornamenta Etruscorum Numinibus, & Furiis adtributa cernuntur in pluribus antiquis Etruscis pateris, & monumentis Dempsteriano Operi summa cura, & studio additis, & illustratis. Si quis vero non torquem sive monile, sed vestem malit in collo fimbriis ornatam, quam etiam segmentum appellat Iuvenalis Sat. II. non repugno; certe ipse habitus, & ornatus capitis in his Familiaribus Diis ab aliis huius generis maxime differt. Exemplum subiicio in sequenti Tabula, in qua tres Dii Lares exhibentur ex prototypis ex aere, qui exstant in Museo Casottio, atque inventi fuere septimo circiter ab Urbe Florentia lapide, una cum quibusdam animalculorum, & serpenticulorum simulacris ex aere, quibus alibi Genios locorum praesides, & tutelas indicari asseruimus, quum fierent substructiones Ecclesiae Beatae MARIAE Virginis Impprunetae, cuius Historica Monumenta eruditissimo labore exornavit praelaudatus V. C. Casottius, qui quum in eo haec vetera Deorum sigilla aere incisa non exhibuisset, heic adiicienda curavit. Perspicue enim ostendunt locum illum in quo, caelo auspice, inventa est vetustissima, ac venerabilis Dei Genitricis Imago, quae tanto in honore est, ac tantopere ibidem colitur, primum Ethnicae superstitioni patuisse. Praeterea loci antiquum nomen *in Pineta*, *in Pruneta*, atque aliae ex his appellationes a vulgo corruptae, indicant, ut ferunt, fanum sive aediculam falso alicui Numini priscis seculis dedicatam ibidem fuisse, itemque lucum pinis undique consitum; circa quae, ut tradunt, fons aquae manabat, quo se se veteres perluebant, lustrabantque ut sacris Deorum rite operarentur. Igi-



Igitur in hac allata Tabula adnotare libet cultos Lares promiscui sexus, tum masculos tum feminas, atque inter se eo discrimine sculptos, ut aliqui vel sinistram, vel dexteram in bonum omen extendant, ac peculiari gestu ad opem ferendam se paratos exhibeant, quare *Praestites* appellati fuere. Alii admotis ad femora manibus eo habitu statuque corporis inducuntur, quem in AEgyptiorum simulacris cernimus, vel in Mensa Isiaca expressi apud Pignorium, vel in Faesulano Isidis sigillo superius edito in Prima Parte Tab. XVII. n. 1. alioque Tab. XVIII. n. 3. ex quo deducitur ab AEgyptiis exemplum eo modo fingendi horum Domesticorum ac Familiarium Numinum simulacra propagatum fuisse; ac fortassis cum AEgyptiorum Dii tutulum, vel calathum in capite praeferant ad augendam oris dignitatem maiestatemque, ut falsa, ac superstitiosa religione imbutae gentes credebant, hinc vetustis his quoque signis, quae praesertim in Etruria frequenter occurrunt, datum tutulum, & praealtum illum pileum acuminatum non vanus interpres coniicio. Ludiones, quos ex Etruria Romanos accersivisse constat, in antiquo musivo opere pictos exhibet antiquitatis optime meritus Petrus Sanctes Bartoli Tab. XVII. in eo libro qui inscribitur *Gli antichi sepolcri* &c. qui saltantes inducuntur, & capita habent eodem modo pileata; aliosque his similes observavi pro aposphragismate fictilis lucernae in Museo Florentino Nobb. DD. Comitum e Gherardesca.

Plurima his similia Deorum Larium sigilla superiori parte nuda sunt, quemadmodum Iupiter in vetustis monumentis repraesentatur, inferius vero velato corpore, instita pectore tenus religata, & ad talos defluente. Non pauca item in ima parte sub pedibus in mucronem desinunt, sive in acutum clavum, ut vel in suis basibus, vel humi, vel in aediculis figi, ac statui facile possent. Lares in mensis quoque veteres statuere consuevisse testatur Petronius Arbiter in Satyr. Cap. LX. qui haec scribit: *Inter haec tres pueri candidas succincti tunicas intraverunt: quorum duo Lares bullatos*

latos super mensam posuerunt ; unus pateram vini circumferens, Dii propitii, clamabat. Hunc morem Horatius quoque expressit in Ode 5. Lib. IV. in qua Augustum ita alloquitur:

Hinc ad vina redit laetus, & alteris
Te mensis adhibet Deum.
Te multa prece, te prosequitur mero
Diffuso pateris, & Laribus tuum
Miscet numen.

Sed Familiares, ac Praestites Dii, quos in allata Tabula exhibemus, sub pedibus globulum quemdam habent, cuius figura flammam ignis vel linguam referre videtur. Ignem Dei Laris symbolum esse docet Plinius Lib. XXXVI. Cap. 27. eidemque sacrum esse passim Poetarum praesertim testimonia clamant ; quod magna eius virtus sit, quam describit Lucianus in Prometheo. Plautus in Aulularia Act. II. Sc. VIII. v. 16.

Haec imponentur in foco nostro Lari,
Ut fortunatas faciat gnatae nuptias.

Mercurius, apud Lucianum, Prometheo exprobrat, quod ignem Deorum substantiam, & thesaurum praestantissimum subripuerit.

Primum privati Lares paupere cultu lignei fuere, ut docet Tibullus Lib. I. Eleg. XI. deinde ahenei, atque apud divites argentei, quorum fit mentio apud Petronium Cap. XXIX. & in antiquis lapidibus penes Gruterum CLXXIV. 7. & Sponium in Miscellaneis eruditae Antiquitatis pag. 114. qui in aediculis reponi solebant. Quaenam esset figura aedicularum supra vidimus in explicatione elegantis anaglyphi in AEdibus Florentinis DD. Salviatorum. AEdiculas quoque ex argento factas discimus ex Actibus Apostolorum Cap. XIX. v. 24. in quibus fit mentio Demetrii argentarii aliorumque opificum, qui argenteas aedes portatiles Magnae Dianae Ephesiorum faciebant.

Illud vero quod in maiori illo familiaris, ac domestici Dei sigillo in eadem Tabula designato n. 1. & in altero n. 3. observari potest, minime silentio praetereundum. Nam paene

paene clausis oculis ita sculpti sunt ut somnum capere videantur; quasi veluti *Somniales Dii* culti fuerint, quo cognomine appellatur Hercules in Florentino marmore Par. I. n. 291. de quo saepius meminimus; eo quod divina somnia, ut superstitiose credebant, immitterent, & quid futurum, faciendum fugiendumve esset per somnum consulentes admonerent. Putarunt enim somnia esse mirifica, & mira operari solere, ut auctor est Lucianus, qui dum somnium suum narrat, θαυματοποιοὶ γὰρ οἱ ὄνειροι inquit. Neque enim inconsulte ab artifice sculptos hoc modo Deos fuisse putandum est. Nam ex eorum infinita turba paene omnes apertis oculis exhibentur; qui interdum gemmeos oculos, vel argenteos ornatus cultusque gratia insertos habent; qui tamen caeci fuere, & duces caecorum. Hos igitur Averruncos Deos domestico cultu magno in honore habitos fuisse puto, quod malorum omnium vindices, expulsoresque per somnia, quae immittebant, haberentur. Bonum vero eventum somniorum indicare mihi videtur manus dextera, quam eo modo elatam ostentat; in sinistra vero vittam, sive diadema praefert, ut auguror.

Non indignam eruditorum aspectu inter Pratenses Deos Lares supra n. 111. pag. 129. exhibui ex Bonamici Cimeliis Gorgonam in argentea perparva lamella expressam, hianti, ac terrifico vultu, qua se munire veteres consuevere, quod crederent eidem inesse vim quamdam abigendi pericula, & praestandae securitatis: circa quam sculpti sunt exotici characteres, quos aliis interpretandos relinquo.

Post haec observanda duo emblemata ex aere eleganter sculpta, quae exhibentur in allata Tab. n. 4. & 5. ex Museo Casottio, in Pratensi Agro inventa, quae scyphum aliquem, vel aliquod vas Deliacum Herculi sacrum exornasse perspicuum est. Nam in altero n. 5. eminet ex ore adpositae Larvae, sive oscilli epistomium ad liquores fundendos; & in postica adeo curvantur, ut ad nullam aliam rem nisi ad aliquod vas ornandum inservisse videri possint. Haec vasculorum ornamenta, *emblemata*, *crustae*, & *sigilla* appellan-

lantur a Cicerone in Oratione IX. Libri IV. in Verrem. De his consulendus Plinius Libro XXXIII. Cap. 12. Horatius Sat. III. Iuvenalis Sat. V. Martialis Lib. II. Epigramm. XLIV. item DD. Lib. XXXIII. tit. 10. & Lib. XXXIV. tit. 2. & DD. de auro, & argento. Haec sigilla, crustae, emblemata, quae vel animalia Diis sacra, vel ipsorum Deorum imagines, & fortia facta illustrium Heroum referebant, ab ipsis vasibus avelli poterant, quod a Verre factum saepius inculcat Cicero.

Haec igitur emblemata, quae altitudine Romani pedis uncias quatuor supra dimidiam exaequant, quaeque Herculem referunt, capite leonina pelle circumtecto, quamvis coniicere aliquis possit ornasse aliquod vas Deliacum, sive Corinthium, quod athletis victoribus in certaminibus dari solebat; nam Hercules athletarum Genius, & tutelare Numen fuit, cui etiam athletica certamina sacra; idque Athletae nobilissimum signum ex marmore ostendit, quod exstat in regio Mediceo Museo, qui insigne vas gestat, & intuetur, suorum laborum praemium; ego tamen conserta eadem fuisse puto aheneo vasi, seu phialae, seu amphorae, quibus ad vinum fundendum in cyathos veteres in conviviis utebantur. Nam Hercules in his emblematis, sive crustis, sigillisve sculptus est sereno atque hilari admodum vultu, qualem convivas habere decet, virili aetate, & ad senium minime vergente, ad omnem animi laetitiam exprimendam creandamque composito; neque ea facie torva ac truci, curis ac laboribus confecta, qualem mira arte expressit praestantissimus Lysippus vel in Colosso, quod Florentiae visitur in regia AEde Magni Ducis Etruriae, vel in alio ex aere signo sequenti Graeco Epigrammate celebrato, quod ex antiquo marmore, hoc tempore exstante Venetiis in Palatio Erizzorum, in Anthologiam quoque Graecorum Epigrammatum antiquitus relatum est, editumque ex fide marmoris a Sponio in Miscellaneis eruditae Antiquitatis Sect. II. Art. X. pag. 51. totidem elegantissimis versibus Latinis redditum ab eximio viro

ro Antonio Maria Salvinio, quos subnectere libuit, propterea quod & Herculum Mediceum, Lysippi opus, ad vivum exprimant.

ΗΡΑΚΛΕΣ ΠΟΤ ΣΟΙ ΠΤΟΡΘΟΣ ΜΕΓΑΣ ΗΤΕ ΝΕΜΕΙΟΣ
ΧΛΑΙΝΑ ΚΑΙ Η ΤΟΞΩΝ ΕΝΠΛΕΟΣ ΙΟΔΟΚΗ
ΠΟΤ ΣΟΒΑΡΟΝ ΜΙΜΗΜΑ ΤΙΣ ΕΠΛΑΣΕΝ ΩΔΕ ΚΑΤΗΦΗ
ΛΥΣΙΠΠΟΣ ΧΑΛΚΩ Δ ΕΓΚΑΤΕΜΙΞΕ ΟΔΥΝΗΝ
ΑΧΘΗ ΓΥΜΝΩΘΕΙΣ ΟΠΛΩΝ ΣΕΟ ΤΙΣ ΔΕ Σ ΕΠΕΡΣΕΝ
Ο ΠΤΕΡΟΕΙΣ ΟΝΤΩΣ ΕΙΣ ΒΑΡΥΣ ΑΘΛΟΣ ΕΡΩΣ

Alcides, ubi clava ingens? ubi laena Nemea?
Torva ubi nam facies? plena ubi nam pharetra?
Effinxit quis te deiecto lumine tristem
Hic a Lysippo mixtus in aere dolor.
Armis nudatus maeres; quis te expoliavit?
Aliger, atque gravis, mi labor, acer Amor.

Epistomium, quod supra caput Herculis eminet in altero sigillo, fusum in mensis vinum ostendit. Pervulgatum siquidem est veteres in conviviis non solum libare vina in honorem Deorum consuevisse, verum etiam cum plausu, & cum odoribus in mensam effundere, cuius rei exemplum in Didonis convivio apud Virgilium, in fine libri primi, in omnium oculis est. Quod vero Hercules Deus convivalis haberetur, sive mensarum praeses, & Genius *Epitrapezius*, Papinius Statius Sylvarum Libro IV. disertissime ostendit. Nam ad cenam invitatus a Nonio Vindice veterum signorum, & tabularum studiosissimo spectatore, & conquisitore egregio, inter cetera artificum praestantissimorum opera, quae apud ipsum contemplatus est, laudat Herculis sigillum mensae adpositum, in cuius base Lysippi artificis nomen sculptum erat; quod etiam celebrat Martialis Libro IX. Epigramm. XLIV. & XLV. notatque antea in deliciis fuisse, ac mensis adhibitum ab Alexandro Macedonum rege, ab Annibale, & a Sulla Dictatore, a-

qui-

quibus postea ad Vindicem pervenit. Sed praestat ipsum Statium audire:

Haec inter, castae Genius tutelaque mensae
Amphitryoniades, multo mea cepit amore
Pectora, nec longo satiavit lumina visu:
Tantus honos operi, firmosque inclusa per artus
Maiestas. Deus ille Deus, seseque videndum
Indulsit. Lysippe tibi, parvusque videri,
Sentirique ingens: & cum mirabilis intra
Stet mensura pedem, tamen exclamare libebit
(Si visus per membra feras) hoc pectore pressus
Vastator Nemees, haec exitiale ferebant
Robur, & Argoos frangebant brachia remos.
Hoc spatio tam magna brevi mendacia formae.

Sed qua de caussa Hercules mensarum Genius, & tutela fuerit, eiusque simulacrum adpositum mensis, & in convivalibus vasculis exsculpta eiusdem imago, perspicue declarat Athenaeus Deipnosophistarum Libro XII. Cap. I. qui ait Herculem epulandi studiosissimum fuisse, omnisque laetitiae ac voluptatis; atque eam inolevisse apud homines, eius exemplo, consuetudinem, ut libantes nihil in calice vini relinquant; Praeterea quemadmodum Jupiter passim apud Lucianum aliosque veteres auctores *aversor tristium* dicitur, vel ut Bacchus *laetitiae dator*; ita Hercules ἀλεξίκακος, *malorum depulsor*, tristiumque curarum averruncus Deus fuisse passim perhibetur.

In conviviis vero laeta omnia esse debent, laeti convivae, curarumque omnium vel memoria penitus abigenda. Hinc quemadmodum Liberi Patri cantharus, ita scyphus Herculis poculum est. Idcirco veteres fictores scalptoresque gemmarum eximi non sine caussa cum poculo fecerunt, & nonnumquam quassabundum, & ebrium, ut ostendit Macrobius Saturnalium Lib. V. Cap. 21. non solum quod is heros bibax fuisse dicatur, sed etiam, quod antiqua historia est, Herculem poculo tamquam navigio (seu navigio cui *scyphus* nomen fuit) ventis immensa maria transisse


ſiſse, Multa in Herculem Bibacem, Admonis opus, Sardae inciſum Tabula I. adnotavit Vir Clariſſimus Philippus De Stoſch, qui praeclaram ſpartam egregie adornavit, collectis LXX Gemmis antiquis praeſtantiſſimorum Scalptorum nominibus inſignitis. Sed non ſcyphos tantum Herculi Heroi multibibo ſacravit antiquitas, quod primus his uſus fuerit, ut tradit Athenaeus Deipnoſoph. Lib. XI. verum etiam crateras, ut docent vetuſti lapides. In Gruteriano I. XLVIII. legitur cratera argyrocorinthia cum baſi ſua, & hypobaſi marmorea Herculi invicto dono data a L. Curtio Abaſcanto, & L. Curtio Gaudente eius filio, propter immunitatem annorum quatuor ſibi datam, ut puto, a Corpore Cuſtodiariorum. Item ex inſcriptione apud Sponium in Miſcellaneis pag. 50. conſtat Herculi Victori crateram marmoream cum baſi ſua dedicatam fuiſse a Cn. Domitio Cn. L. Polymneſto.

Si coniecturis indulgere liceat, alia afferri poſſunt pro explicatione horum emblematum, vel quod alicui vaſculo Herculi ſacro ornamento fuerint. Nam vaſa voti cauſſa Diis donari dedicarique ſolebant. Ita ſcyphos Veneri dicatos, cantharum Iovi, Herculi crateras non ſemel obſervavimus. Si quis vero pro vaſe accipiat, quo in ſacris Herculis uti conſueverint, recte id quoque convenire poteſt; cum nemo ignoret narrare veterum fabulas Herculem pene totum terrarum orbem peragraſſe, atque expulſis profligatiſque vitiorum monſtris Deorum cultum ubique reſtituiſſe. Neque eorum opinioni adverſabor, qui haec emblemata non vinario vaſi, & in ſacrificiis adhibito, ſed aquario inſerta fuiſſe fortaſſis putabit: nam in re perobſcura, & nobis incognita coniecturis uti cuique licet, dummodo in his aliqua veriſimilitudo, vel probabilitas ſit. Nemo enim ignorat ante ſacrificia, & diſcubitionem in tricliniis, aquam manibus ſumere veteres ſolitos fuiſſe, & pedes abluere ſi balneo loti, unctique prius non fuiſſent: Aquam in manus nivatam ex camella infuſam ab Alexandrinis pueris narrat Petronius Satyr. Cap. 31. antequam invita-

vitati accumberent in triclinio delicatiſſimi Trimalcionis. Aquis vero & ipſum Herculem cum Nymphis, & Mercurio, ceteriſque Diis praepoſitum oſtendunt vetuſta anaglypha, in quibus comes additus eſt, ut apud Fabrettum Inſcriptionum Antiquarum Cap. VI. pag. 432.

Obſervatis hiſce eruditae vetuſtatis reliquiis, quae vel in Civitate, vel in Agro Pratenſi reperta ſunt, ad ſepulcrales memorias exponendas gradum facio, quas Romae erutas, Pratum advehi iuſſit praelaudatus Caſottius, & in ſui Muſei ornamentum dedicavit.

Marmoreus Cippus, altitudine fere Romanos pedes duos colligens, latitudine vero unum ſupra dimidium.



3. Argaeus puer nondum in familiam Naeviam adſcitus, & praenomine, ac nomine domini ſui donatus, propriam appellationem ſortitus eſt ab Argaeo filio Apollinis, & Cyrenes. Immatura morte raptos pueros a Diis in caelum aſportari credidere, & miniſtros ſtatui Deorum menſae, quemadmodum colligi poteſt ex ſequenti Epigrammate

 Gre-

Graeco Smyrnae, caelato in basi marmoreae columnae, Latine reddito a V. C. Antonio Maria Salvinio, quod edidit Guil. Fleetvvood. in Sylloge antiquarum Inscriptionum pag. 245. 1. quod etiam clarissime docet veteres de animarum immortalitate minime dubitasse.

ΝΤΞ ΜΕΝ ΕΜΟΝ ΚΑΤΕΧΕΙ ΖΩΗΣ, ΦΑΟΣ ΥΠΝΟΔΟΤΕΙΡΗ
ΛΛΤΕΙΝΟΝ ΛΥΣΑΣΑ ΝΟΣΩΝ ΔΕΜΑΣ ΗΔΕΙ ΥΠΝΩ
ΛΗΘΗΣ ΔΩΡΑ ΦΕΡΟΥΣ ΕΠ ΕΜΟΙ ΠΡΟΣ ΤΕΡΜΑΣΙ ΜΟΙΡΗΣ
ΨΥΧΗ ΔΕ ΚΡΑΔΙΗΣ ΔΙΑ ΜΕΣΑΙΘΕΡΟΝ ΕΙΚΕΛΟΣ ΑΥΡΗΙ
ΚΟΥΦΟΝ ΕΠΑΙΩΡΟΥΣΑ ΔΡΟΜΟΥ ΠΤΕΡΟΝ ΠΕΡΙ ΠΟΛΛΩΙ
ΚΑΙ ΜΕ ΘΕΩΝ ΜΑΚΑΡΩΝ ΚΑΤΕΧΕΙ ΔΟΜΟΣ ΑΣΣΟΝ ΙΟΝΤΑ
ΟΥΡΑΝΙΟΙΣ ΤΕ ΔΟΜΟΙΣΙ ΒΛΕΠΩ ΦΑΟΣ ΗΡΙΓΕΝΕΙΗΣ
ΤΙΜΗ Δ ΕΚ ΔΙΟΣ ΕΣΤΙ ΣΥΝ ΑΘΑΝΑΤΟΙΣΙ ΘΕΟΙΣΙ
ΕΡΜΕΙΑΟ ΛΟΓΟΙΣ ΟΣ Μ ΟΥΡΑΝΟΝ ΗΓΑΓΕ ΧΕΙΡΩΝ
ΑΥΗΚΑ ΤΙΜΗΣΑΣ ΚΑΙ ΜΟΙ ΚΛΕΟΣ ΕΣΘΛΟΝ ΕΔΩΚΕΝ
ΟΙΚΕΙΝ ΕΝ ΜΑΚΑΡΕΣΣΙ ΚΑΙ ΟΥΡΑΝΟΝ ΑΣΤΕΡΟΕΝΤΑ
ΧΡΥΣΕΙΟΙΣΙ ΘΡΟΝΟΙΣΙ ΠΑΡΗΜΕΝΟΝ ΕΣ ΦΙΛΟΤΗΤΑ
ΚΑΙ ΜΕ ΠΑΡΑ ΤΡΙΠΟΔΕΣΣΙ ΚΑΙ ΑΜΒΡΟΣΙΗΣΙ ΤΡΑΠΕΖΑΙΣ
ΗΔΟΜΕΝΟΝ ΚΑΤΑ ΔΑΙΤΑ ΘΕΟΙ ΦΙΛΟΝ ΕΙΣΟΡΟΩΣΙΝ
ΚΡΑΤΟΣ ΑΠ ΑΘΑΝΑΤΟΙΟ ΠΑΤΡΗΣΙ ΜΕΙΔΙΟΩΝΤΕΣ
- - - - - - - - - ΠΡΟΣΧΑΙΣΙΝ ΕΠΙΣΠΕΝΔΩ ΜΑΚΑΡΕΣΣΙ

Somnifera en nostrae vitae iubar occulvit nox ;
Exsolvens morbis dulci anxia membra sopore ;
Ad Parcae fines mihi Lethes munera portans
Spiritus & cordis , velut aura per aethera pennas
Suspendit rapidas cursusque ad sidera fertur ,
Meque beatorum recipit domus alta Deorum .
Proximus ac domibus Auroram cerno supernis .
Est honor ab Iove cum immortalibus , & magnis Dis ;
Mercurii qui me ad caelum deduxit ab ore ,
Praebuit atque decus , pulchroque adfecit honore ;
Stelliferum ut caelum immortales inter haberem ,
Adsessor fieri gaudens in sedibus aureis .
Atque apud ambrosias mensas tripodasque renidens

Ac-

Accumbens epulis Divisque ego specter amicis.
Immortale Dei moveant caput arridentes
.... latices ego libo beatis.

Ibidem.

4 | D · M ·
C. Q. EVFEMVS. AELIAE. TYC
HENI. CONIVGI · BENEM
ERENTI · FECIT · Q. VIX
AN. XIV. ET. C. Q. HERMIAE
Q. VIXIT. AN · IIII · MENS
IIII · DIEB. VIII. BENEM ·
FECIT · QVINTIA. PARTHEN
OPE. NVTRIX. ET. P. FARSV
LEIVS. ISIDORVS TATA

4. Unicus hic sepulcralis Titulus duos defunctos complectitur, & notat conditos in uno eodemque monumento; nempe AEliam Tuchenem, quae vixit annis quatuordecim, cui maritus Caius Q. (forte *Quintius*, neque enim raro notatum familiae nomen, utpote admodum cognitae, per unicam initialem literam) hanc memoriam fecit; deinde ut puto, C. *Quintium* Hermiam quadrimulum eorumdem filium, quem tumularunt Quintia Parthenope Nutrix, & P. Farsuleius Isidorus Tata, scilicet *Nutritor*, vel *Nutricius*, nobis *il Balio*; non vero pater naturalis, ut observat Fabrettus Inscriptionum Ant. Cap. III. pag. 142. quem vide. Ita quoque Papiria Antigona Mamma appellatur, idest *Nutrix*, in sequenti Titulo, duplici ollae superposito columbarii Monumenti Gentis Papiriae Romae.

Ibi-

Ibidem.

5 VVVVVVVVVVVVVVVVVVVVVVVV

PAPIRIA	C. PAPIRIVS
ANTIGONA	C. F. COL
MAMMA	ROMANVS

ΛΛΛΛΛΛΛΛΛΛΛΛΛΛΛΛΛΛΛΛΛΛΛ

5. Blanditiarum caussa quemadmodum Nutricius dicitur *Tata*, & *Tatulus*, ita Nutrix saepe in antiquis lapidibus *Mamma*, & *Mammula* appellatur. Nam ab amore, quo se mutuo Nutrices, ac Nutritores, Alumni, & Alumnae complectebantur, ortae sunt blandae voces, quibus invicem se compellabant; quas tum apud Graecos, tum apud Latinos adnotavit Cl. V. Iohannes Iacobus Claudius in Dissertatione de Nutricibus, & Paedagogis Cap. V. Alias heic addam ex vetusto lapide Gruteriano pag. DCLXIII. 5. quem propter festivam elegantiam, ut in exemplum subiicerem, minime supervacuum esse putavi.

V. SALVIDIENA. Q. L. HILARA. SIBI. ET. SVAE
LIBERTAE. SALVIDIENAE. FAVSTILLAE
DELICIAE. SVAE. ERVDITAE. OMNIBVS
ARTIBVS. RELIQVISTI. MAMMAM. TVAM
GEMENTEM. PLANGENTEM. PLORANTEM
VIXIT. ANNIS. XV. MENSIB. III. DIEB. XI. HOR. VII

VIRGINEM. ERIPVIT. FATVS. MALVS. DESTITVISTI
VITILLA. MEA. MISERAM. MAMMAM. TVAM

Salvidienam Hilaram Libertam Q. Salvidieni, nutricem Libertae suae Salvidienae Faustillae notare possumus, quae alumnam *deliciam*, & *vitillam suam* peramanter appellat.

Ma-

Matres etiam sequioribus seculis, ut & hodie *mammae* appellantur, uti fratres, ac sorores *tatae*. In Romano epitaphio, quod edidit V. Cl. Montfauconius in Diario Italico Cap. X. pag. 147. & nonum circiter seculum praeferre putat, haec leguntur:

Hocce puellae iacet tumulo corpus Elisabet
Quod manet in sancta aula nunc Battistae Iohannis:
Ildibrandus eius genitor Theodoraque mamma. &c.

C. Papirius Romanus, ut in laeva Tituli parte notatur, in COL. idest *Collina* Tribu civis suffragium tulit.

Ibidem.

6

D · M
L. MVNILIO RHODONI
QVI. VIX. ANN. III.
DIE. XXXV. HYLAS. ET. MV *sic*
NILIA FILVMENE
PAR. FIL. DVLC. B. M. F.

Ibidem.

7


D · M
FELICISSIMVS.
AVG. LIB. MYRONI
COLLIBERTO. ET.
COLLEGE. BENE *sic*
MERENTI. FECIT

6. Munilia gens hactenus antiquariis incognita ab oblivione, ac tenebris ex hoc lapide vindicatur. PAR. FIL. DVLC. B. M. F. Hoc est: *Parentes filio dulcissimo bene merenti fecerunt*. Hylas pater, ut observo, solo suo cognomine contentus, praenomen, & nomen Muniliae gentis hic reliquit.

7. COLLIBERTO. ET. COLLEGE. Idest COLLEGAE: Eodem fere modo ut summi viri eos quos sibi adlectos habent in Magistratuum dignitate, & officio collegas vocant; ita quoque liberti eos quos in Domo Augusta aequali ministerio, & officio sibi adiunctos acceperant collegas appellant, honoris caussa; quod & in explicatione Cippi marmorei inventi in Monumento, sive Columbario Libertorum, ac

ac Servorum Liviae Auguſtae, & Caeſarum obſervavi pag. 227. Ita quoque milites in Legionibus ſocios appellant collegas, ut videre eſt in militari lapide apud Sponium in Miſcellaneis eruditae Antiquitatis Sect. V. pag. 162.


8 *Ibidem.*




9



10



11



12



9. ::TEPHANION. Lege STEPHANIONI, adoleſcentis nomen; cuius honore ſepulcralis titulus coronatur. STEPHANIVM puella introducitur a Plauto in Stycho.

11. OFFICIA. Fragmentum ſepulcralis Tituli, qui, ut ex his quae ſuperſunt colligitur, amorem & voluntatem erga defunctum aedificandi magnificentius ſepulcrum continebat, & ſuprema officia propenſius exhibendi; de quo alia exempla alibi notavimus, ac praeſertim in Prima Parte

te pag. 210. n. 51. Supremorum officiorum erga defunctos meminit hic lapis Romanus, nuper editus a V. Cl. Boldetto in Observat. ad Coemeteria SS. Lib. I. Cap. XXXIX. in Museum Albanum postea translatus; sed recognosci non potuit an in primo vel in secundo versu mendum irrepserit.

C. IVLIVS. AVG. LIBERTI.
LIBERTVS. EROS
PISTOR. CANDIDARIVS.
PER. ANNOS. QVOS. INTER
MORTALIS. FVIT. ANTE. EVM. DIEM
QVI. FVIT. VI. IDVS. MAI. VIXIT
ANNOS. L. HVIVS. SACRAVIT
IVLIA. GLAPHYRA. COLLIBERTA
ET. PRAESTITIT. OFFICIA.
M. ÆMILIO. LEPIDO. T. STATILIO
TAVRO COS.

Ars, & officium hactenus incognitum C. Iulii Erotis Liberti PISTORIS CANDIDARII, in eo fuisse mihi videtur ut candidum panem, omnium optimum, & probatissimum, ex molli siligine conficeret in usum mensae Augusti domini sui, quem ita laudat Iuvenalis Sat. V. v. 72.

Sed tener, & NIVEUS, mollique siligine factus
Servatur Domino —

Sed Augustum maxime appetivisse *secundarium panem*, vulgarem cibum, auctor est Suetonius in eius vita c. 76.

Pro coronide antiquarum Inscriptionum Musei Casottii en aereum collare Servi fugitivi, quod collo eiusdem videtur clausum fuisse, percussis clavulis, qui supersunt.

13

SVIIYTENEMENEFACIA:

 13. Cir-

13. Circuitu suo, ac longitudine Romanum pedem unum, ac dimidium aequat; altitudine vero unciam unam supra dimidiam. Literae, si postremis nonnullas ex superioribus scriptis adiicias, id significant:

TENE ME NE FVGIAM I (ITERVM) A TE

Ex hoc proculdubio pendere debuit aerea lamella, in qua erat expressum domini nomen, item via & locus omnibus notus, in quo ipse habitaret, ut servus fugitivus facili negotio revocari ad eum posset; quod ostendunt rotundae laminae, quas ex Donianis Collectaneis exhibuimus Classe II. n. 172. & 273. Vide & Sponium in Miscellaneis pag. 300. & Fabrettum Inscriptionum Antiquarum Cap. VII. pag. 522. Primum constat fugitivos inustis servilibus notis, & stigmatis in facie inscriptos fuisse, ac dominorum nomina praetulisse, ad quos revocarentur; quae Petronius *fugitivorum epigrammata*, *& argumentum* vocat; quare ut apud Plautum in Casina Act. II. Sc. VI. & Apuleium Lib. IX. Metamorph. servi *literati* appellabantur Ex hoc vero collare probe perspicitur quomodo literae per puncta in fronte primum scriberentur, quae postea ex ore, ne facies hominis ad divinae pulcritudinis imaginem expressa tantopere foedaretur, Constantini Augusti iussu, in collaria translatae sunt, servata interdum earumdem forma, ac scribendi ratione, quam exhibet hoc singulare monumentum. Has illustrant Plinii Secundi verba in Panegyrico ad Traianum: *neque*, ait, *ut antea exsanguem illam, & ferream frontem nequicquam convulnerandam praebeant* PVNCTIS, *& notas suas videant*. De huiusmodi puncturatis literis, & stigmatis vide Ioh. Rhodium C. V. in Scribonium Largum, & R. P. Theophilum Raynaudum Soc. Iesu Theologum perinsignem Sect. II. Cap. II. de Stigmatismo sacro, & profano. Sed quibus verbis utatur D. Paulus ut Onesimum servum fugitivum revocet in gratiam Philemonis, a quo fugerat, vide in Epistola ad eumdem.




IN-

INSCRIPTIONES ANTIQUAE VOLATERRIS.

Inventa in Agro Volaterrano, apud Montem viridem.

1



Ex Schedis Donianis, & ex Collectaneis Petri Tancredi MS. Cl. V. Uberti Benevolentii Patricii Senensis.

QUum inter omnes Etruriae Urbes VOLATERRAE sint antiquissimae, & nobilissimae, summorumque Scriptorum testimonio, ac laudibus celebratae, propositum mihi non est edita ab aliis longa verborum ambage rursum recudere, (id enim supervacaneum, ac doctis viris iniucundum esset) sed quae hactenus haud satis nota, & pervulgata sunt in medium afferre; declaratis an-

tiquis Inscriptionibus, aris, anaglyphis, & signis, quae in ipsis ad haec tempora conspiciuntur. Primum igitur, ut ex ordine procedam, de patriis, ac localibus Diis Volaterranorum, de Templis, ac publicis aedificiis, de statuis & monumentis Etruscorum, qui hanc opulentissimam Urbem condiderunt, differam: deinde de Magistratibus, de illustribus viris, qui in ea floruerunt, de optimis civibus, quorum egregia facta domi forisque tum auctorum, tum vetustorum lapidum insigni documento posteris commendata fuere.

Igitur inter reliquos communes Deos Etruscorum, Bellonam Volaterris praecipuo honore cultam fuisse indicat haec ara marmorea votiva, eidem sacra, quae a Donace Liberto Augusti Mensore dicata est. Scriptum MESOR pro MENSOR, praetermissa N, quod alibi non raro ab antiquis quadratariis factum notavimus. In arte, sive officio huius Liberti Mensoris in Domo Augusta nil opus est ut diutius verser, cum aliqua de Mensoribus, & de Decurionibus Mensorum, qui rei cibariae mensuris praeerant, dixerim ad Titulum XXVIII. Monumenti, sive Columbarii Libertorum, & Servorum Liviae Augustae. Mensoris aedificiorum, operumque publicorum meminit Plinius Secundus in Libro X. in epistula ad Traianum, cuius testimonium Gutherius de Officiis Domus Augustae, & de Mensoribus agens, minime observavit; ac pro eo accipitur qui metiendorum publicorum operum curam habet, & calculat impensas, & lites aestimat, quae in his non raro occurrunt. Sed en Plinii verba: *Quinctodecimo Kal. Octobres, Domine, provinciam* (scilicet Bithyniam) *intravi, quam in eo obsequio, in ea erga te fide, quam de genere humano mereris, inveni. Dispice, Domine, an necessarium putes mittere huc MENSOREM. videntur enim non mediocres pecuniae posse revocari a curatoribus operum, si mensurae fideliter agantur: ita certe prospicio ex ratione Prusiensium, quam cum Maximo tracto.*

Sed ut ad Bellonam Volaterranorum Deam revertar, quam veteres Martis sororem, vel etiam coniugem fuisse

fabu-

fabulantur, & cum eo bellorum curam gerere, & ad bellum necessaria arma, currus & equos parare, eam ab Etruscis cultam fuisse peculiari ritu, facile hinc credere possumus. Exstat in Gruteriano Thesauro MLXVIII. 4. alia inscriptio Bellonae sacra, in ruinis Lunae antiquissimi Etruriae opidi reperta, quam voti caussa libens merito consecravit Stephanus Imperatoris Vespasiani Libertus. In Etruscis anaglyphis, urnis, & sepulcris additis Dempsteriano Operi, pugnantibus viris interdum assistit femina, facem dextra gerens, ut Tabula XXI. interdum alata ut Tab. XXV. & armillis ornata in brachiis Tab. LXXI. n. 2. vel solutam corollam manibus praeferens, quasi ad pugnandum premio instigatura; vel tenens hastam, & clypeum Tab. LXVIII. n. 2. & LXX. Videant viri docti an hac imagine Bellona designata fuerit ab Etruscis, quae videlicet non solum bellis praeesset, & bella curaret, verum etiam furorem, roburque pugnantibus immitteret; quare a Graecis dicta est Enyo, quam Homerus, teste Pausania, Libro V. Cap. 30. una cum Pallade bellantibus ducem praefecit. Facem hinc Bellonae tributam puto, quam ita describit Silius Italicus Libro V. Punicorum v. 220.

Ipsa facem quatiens, ac flavam sanguine multo
Sparsa comam, medias acies Bellona pererrat.
Stridit Tartareae nigro sub pectore Divae
Lethiferum murmur, feralique horrida cantu
Buccina lymphatas agit in certamina mentes.

In aliis Etruscis anaglyphis, in quibus sculptae sunt feminae succinctae, armata facibus dextera vel sinistra manu, vel cum gladio, vel cum bipennibus, Tab. LII. LIII. LXXXIV. LXXXVI. recte Furiae intelligi possunt, ut observat Etruscarum Antiquitatum longe consultissimus Philippus Senator Bonarrotius; vel, si placet, Bellona quoque, cui aliqua Furiarum comes addita sit, ut indicat Petronius in Satyr. Cap. CXXIV. his versibus:

At contra, sedes Erebi qua rupta dehiscit,
Emergitque late Ditis chorus, horrida Erinnys,

Et

tiquis Inſcriptionibus, aris, anaglyphis, & ſignis, quae in ipſis ad haec tempora conſpiciuntur. Primum igitur, ut ex ordine procedam, de patriis, ac localibus Diis Volaterranorum, de Templis, ac publicis aedificiis, de ſtatuis & monumentis Etruſcorum, qui hanc opulentiſſimam Urbem condiderunt, diſſeram: deinde de Magiſtratibus, de illuſtribus viris, qui in ea floruerunt, de optimis civibus, quorum egregia facta domi foriſque tum auctorum, tum vetuſtorum lapidum inſigni documento poſteris commendata fuere.

Igitur inter reliquos communes Deos Etruſcorum, Bellonam Volaterris praecipuo honore cultam fuiſſe indicat haec ara marmorea votiva, eidem ſacra, quae a Donace Liberto Auguſti Menſore dicata eſt. Scriptum MESOR pro MENSOR, praetermiſſa N, quod alibi non raro ab antiquis quadratariis factum notavimus. In arte, ſive officio huius Liberti Menſoris in Domo Auguſta nil opus eſt ut diutius verſer, cum aliqua de Menſoribus, & de Decurionibus Menſorum, qui rei cibariae menſuris praeerant, dixerim ad Titulum XXVIII. Monumenti, ſive Columbarii Libertorum, & Servorum Liviae Auguſtae. Menſoris aedificiorum, operumque publicorum meminit Plinius Secundus in Libro X. in epiſtula ad Traianum, cuius teſtimonium Gutherius de Officiis Domus Auguſtae, & de Menſoribus agens, minime obſervavit; ac pro eo accipitur qui metiendorum publicorum operum curam habet, & calculat impenſas, & lites aeſtimat, quae in his non raro occurrunt. Sed en Plinii verba: *Quinctodecimo Kal. Octobres, Domine, provinciam* (ſcilicet Bithyniam) *intravi, quam in eo obſequio, in ea erga te fide, quam de genere humano mereris, inveni. Diſpice, Domine, an neceſſarium putes mittere huc MENSOREM. videntur enim non mediocres pecuniae poſſe revocari a curatoribus operum, ſi menſurae fideliter agantur: ita certe proſpicio ex ratione Pruſienſium, quam cum Maximo tracto.*

Sed ut ad Bellonam Volaterranorum Deam revertar, quam veteres Martis ſororem, vel etiam coniugem fuiſſe fabu-

fabulantur, & cum eo bellorum curam gerere, & ad bellum necessaria arma, currus & equos parare, eam ab Etruscis cultam fuisse peculiari ritu, facile hinc credere possumus. Exstat in Gruteriano Thesauro MLXVIII. 4. alia inscriptio Bellonae sacra, in ruinis Lunae antiquissimi Etruriae opidi reperta, quam voti caussa libens merito consecravit Stephanus Imperatoris Vespasiani Libertus. In Etruscis anaglyphis, urnis, & sepulcris additis Dempsteriano Operi, pugnantibus viris interdum assistit femina, facem dextra gerens, ut Tabula XXI. interdum alata ut Tab. XXV. & armillis ornata in brachiis Tab. LXXI. n. 2. vel solutam corollam manibus praeferens, quasi ad pugnandum premio instigatura; vel tenens hastam, & clypeum Tab. LXVIII. n. 2. & LXX. Videant viri docti an hac imagine Bellona designata fuerit ab Etruscis, quae videlicet non solum bellis praeesset, & bella curaret, verum etiam furorem, roburque pugnantibus immitteret; quare a Graecis dicta est Enyo, quam Homerus, teste Pausania, Libro V. Cap. 30. una cum Pallade bellantibus ducem praefecit. Facem hinc Bellonae tributam puto, quam ita describit Silius Italicus Libro V. Punicorum v. 220.

Ipsa facem quatiens, ac flavam sanguine multo
Sparsa comam, medias acies Bellona pererrat.
Stridit Tartareae nigro sub pectore Divae
Lethiferum murmur, feralique horrida cantu
Buccina lymphatas agit in certamina mentes.

In aliis Etruscis anaglyphis, in quibus sculptae sunt feminae succinctae, armata facibus dextera vel sinistra manu, vel cum gladio, vel cum bipennibus, Tab. LII. LIII. LXXXIV. LXXXVI. recte Furiae intelligi possunt, ut observat Etruscarum Antiquitatum longe consultissimus Philippus Senator Bonarrotius; vel, si placet, Bellona quoque, cui aliqua Furiarum comes addita sit, ut indicat Petronius in Satyr. Cap. CXXIV. his versibus:

At contra, sedes Erebi qua rupta dehiscit,
Emergitque late Ditis chorus, horrida Erinnys,

Et

Et Bellona minax, facibusque armata Megaera.

Bello Etrusco confecto Appius Claudius Caecus aedem Bellonae constituit Romae, in IX Regione, ante portam Carmentalem, non procul a Circo maximo, de qua Ovidius Fastorum Libro VI. Huius Deae Sacerdotes Bellonarii dicti sunt, qui se cultris ferientes, proprio sanguine numen placabant, furentesque vaticinabantur, qui & Fanatici ab aede Bellonae appellantur in Gruteriano lapide CCCXIII. 1. quare Iuvenalis Satir. IV. v. 124.

— sed ut fanaticus oestro
Percussus, Bellona, tuo, divinat, & ingens
Omen habet.—

Ex allatis igitur indicatisque monumentis, quae in Etruriae Urbibus eruta sunt, coniicimus Bellonae cultum, & sacra ab Etruscis manasse ad Romanos. Illud vero constat magno in honore fuisse hanc Deam apud Volaterranos & ipso Augusteo aevo; quae non solum aram in eorum Municipio & Colonia habuit, Decreto Decurionum publico in loco positam, verum & fortassis aedem, ut auguror, cuius tamen nulla prorsus exstat memoria.

Bellonae, aliud Numen nobis incognitum, a Volaterranis Etruscis cultum, addendum est, quod in Dempsterianis Monumentis Tabula XLII. ex archetypo delineatum cernitur. Id exhibet marmorea statua Mulieris, puellum in sinu sustinentis, literis Etruscis inscripta, quae, ut cives testantur, Volaterris inventa est, & apud Nobiles de Maffeis servatur. Fortunam, Nortiae Deae nomine ab Etruscis cultam, ut Scriptores indigitant, eam repraesentare modesta, sed erudita divinatione credit V. Cl. Senator Bonarrotius, apud Etruscos effingi solitam specie mulieris, puerum in ulnis gestantis; quemadmodum Fortunae Praenestinae simulacrum cum Iove puero describitur a Cicerone de Divinatione. Id quoque confirmant Praenestinae inscriptiones duae in Gruteriano Thesauro pag. LXXVI. 6. 7. quarum prima in basi statuae caelata, Fortunae Primigeniae Iovi puero dicata est; altera Fortunae Iovis pueri Primi-

geniae

geniae: quo ſigno veteres indicarunt fortunam, quam omnes homines natali ſuo conſequuntur. Idem numen, ut praelaudatus Senator obſervat, forte occurrit in anaglypho urnae marmoreae Cluſinae Tab. LXVIII. n. 1. in quo pugna repraeſentatur. Poteſt etiam hoc Etruſcum ſimulacrum, ne ab auctoris clariſſimi mente, & ab opinione eruditorum civium Volaterranorum diſcedam, referre Pacem, quam, ut notat Pauſanias, Cephiſodotus apud Athenienſes fecit infantem Plutum in ſinu habentem; ut hinc deduci poſſit Volaterranos praecipuo honore has Deas coluiſſe, quarum prima bellorum, altera pacis arbitra credita eſt. Huic ſtatuae perſimile aeneum ſigillum, altum fere uncias ſex, obſervavi in Regio Muſeo Mediceo, quod mulierem exhibet, fortaſſis Fortunam, Plutum infantem in ſinu gerentem, faſciis involutum, cui retro e cingulo pendet pera viatoria, ni ſit marſupium, quod pecuniam in eo ſervari indicet.

Verum quum Cl. V. Philippus Bonarrotius Etruſcos in haec Italiae loca ex AEgypto profectos fuiſſe non levibus, ſed doctis argumentis opinetur, & habitum, & formam Numinum AEgyptiorum imitatos fuiſſe, Fortunam eos repraeſentaſſe auguror eo modo quo Iſis apud AEgyptios colebatur effingebaturque, puerum Horum vel lactans, vel in ulnis geſtans, quae in Gruteriano lapide LXXXIII. 11. MYRIONIMA, & in Reineſiano Claſſe I. n. 213. MATER appellatur, atque una omnia eſſe dicitur, cum qua etiam plura numina credita convenire.

Cereris Frugiferae Templum Volaterris fuiſſe fortaſſis indicat hoc marmorei anaglyphi fragmentum, ibidem inventum, quod hoc tempore exſtat penes Nobilem Virum Iohannem Equitem Falconcinium. Cernitur in eo ſculptum bucranium baccis coronatum, e cuius cornibus pendent encarpia lemniſcis religata. Capiti inſidet locuſta, quae fruges depaſcitur; quod ſymbolum, ut puto, declarat Cererem Volaterranis aliquando opem tuliſſe, & eorum arva, ac fruges ab exorta vi locuſtarum, quibus interdum ille regionum tractus & noſtro ſeculo obnoxius

fuit,

fuit, opportune liberasse. Non tantum formicae, verumetiam locustae sculptae sunt in Gemmis, quae praeferunt imaginem Cereris, & Dei Panis, ut observavi in pluribus gemmis, quae studii gratia in suis Schedis delineavit praelaudatus Philippus Senator Bonarrotius; quare si quis Deo Pani aedem Volaterris fuisse constitutam ex hoc anaglypho suspicetur, non abnuam; liceat cuique erudite divinare.



Metapae huiusce altitudo, ac latitudo Pedem I. circiter Romanum aequat.

Habuerunt enim veteres in more ea animalia Numinibus appingere, & dedicare, quae vel in eorum tutela essent, vel tamquam noxia hominibus e regionibus abegissent. Hinc Hercules cultus & Conopius ab Oteis appellatus, teste Strabone, Libro XIII. quod eos a culicibus quos *conopas* vocant, a quibus vexabantur, liberasset. Apollo item a Rhodiis templo donatus, vocatusque Erythibius, quod agros a rubigine, quam *erythibiam* dicunt, tueretur. Idem Apollo Smintheus, & Panorpius cognominatus, quod mures, & culices ab Asiae populis abegisset, eodem Strabone teste.

In

In fronte vero templorum caelata fuisse animalia, quae in Deorum tutela erant, nemo ignorat. In capitulis quoque columnarum sculpta Deorum simulacra, quibus aedes sacra erat, ut in duobus Pisanis elegantibus capitulis pag. 2. superius adnotavimus. Effictum Pugilem victorem in flore capituli exhibet Fabrettus de Columna Traiani Cap. VIII. pag. 261. Zophorus inde dictus quod sculpta animalia in metopis referret, vel bubula capita festiva fronde, aut floribus coronata, intersculptis lancibus, & triglyphis, de quibus Philander in Vitruvium Libro III. Cap. VIII. Id quoque egregie illustratur sequenti inscriptione, quae in Gallia Cisalpina inventa est, anno MDCLXXXVI. quam profero ex Donianis Schedis.

M. IVNIVS. SABINVS
IIII VIR. AEDILICIAE. POTEST
ET LEGE IVLIA MVNICIPALI
PATRONVS
COLLEGI CENTONARIORVM
FRONTEM TEMPLI
VERVIS ET HERMIS
MARMOREIS PECVNIA SVA
ORNAVIT ET IN TVITION
DEDIT H-S
N. CCXXXXII

His Volaterranorum Diis addo Herculem, quem coluere, & de eius nomine Portam antiquitus appellarunt, quae postea pro *Porta Herculis*, *Porta ad Arcum* dicta est, ut putat Raphael Volaterranus Commentariorum Urbanorum Libro V. Herculem ab Etruscis praecipuo honore cultum indicant plures aeneae paterae Deorum sigillis caelatae, inter quos Hercules cernitur. V His

His observatis ad aedificia cum publica, tum privata Volaterranorum gradum facimus, qui, ut ait Plinius Lib. III. Cap. 5. cognomine *Hetrusci* appellati sunt, quod, ut arbitror, primum, teste Strabone, Lib. V. e Tyrrhenis plerique constiterint in hoc opido munitissimo, quod in planitie arduae, ac difficilis rupis constitutum est. Inter haec antiquum Theatrum occurrit, conditum extra moenia, quae Strabo libro suprascripto commendat. Quamvis aggesta humo penitus obrutum sit, eius tamen forma cernitur, ac vestigia supersunt in Prato Vallis Bonae, ut vulgo dicitur; quo in loco plures marmoreae columnae eximii operis, paucis ab hinc annis, inter rudera inventae sunt, ac praesertim iuxta viam, quae ducit ad Portam Pisanam; nam Pisis ad tricesimum circiter lapidem Volaterrae distant. De hoc Volaterranorum Theatro aliud agens disseruit vir pereruditus, ac diligens Vincentius Borghinius de Origine Urbis Florentiae pag. 183. ac certa eiusdem vestigia suo tempore apparere asseruit.

VADIS Volaterranis, Ciceroni in oratione pro P. Quintio, Plinio Libro III. Cap. 5. tribus Tabulis Itinerariis, & Rutilio Numantiano memoratis, contiguae sunt SALINAE; hisque proximum ostium fluminis, quod antiquum & ad haec tempora integrum nomen retinens, CAECINA dicitur: cuius item meminere Plinius loco suprascripto, & Mela Libro II. Cap. 4. de quo plura Cluverius Italiae antiquae Libro II. Cap. I. pag. 469. Supra Salinas ALBINI Viri Consularis fuit Villa, quae a praelaudato Rutilio Consulari Viro ita celebratur in suo Itinerario v. 453.

In Volaterranum vero Vada nomine tractum
Ingressus, dubii tramitis alta lego.
Despectat prorae custos, clavumque sequentem
Dirigit, & puppim voce movente regit.
Incertus gemina discriminat arbore fauces,
Defixasque offert limes uterque sudes.
Illis proceras mos est adnectere lauros,
Conspicuas remis & fruticante coma;

Ut

Ut praebente algam densi symplegade limi
Servet inoffensas semita dura notas.
Illic me rapidus consistere Corus adegit,
Qualis sylvarum frangere lustra solet.
Vix tuti domibus saevos tolenavimus imbres,
ALBINI patuit proxima VILLA mei.

Huius Albini Cl. Viri fit mentio in duabus aris marmoreis penes Gruterum, quarum prima pag. CCLXXXVI. 7. indicatur Romae in impluvio Palatii Archiepiscopi Ravennatis; declaratque Albinum Urbi Praefectum fuisse, imperantibus Honorio, & Theodosio Augustis, & operi cuidam splendidissimo iam a se facto novum adiecisse, & ornasse. Consules, qui in dextro latere leguntur, teste Grutero, procul dubio vel in alia ara, vel multo antea ita notati fuere:

DEDICATA. PRIDIAE *sic*
NONAS. NOVEMBREIS
RVST... II..... LINIO COS

Iunium Rusticum, & C. Vettium Aquilinum intelligo, qui Consules fuere anno V. C. 914. Christi Domini 162. ac proinde ita restituendos puto: RVSTICO ET AQVILINO COS. Hoc Consulum Collegium, si vere in dextro latere marmoris scriptum sit, & non ex alio lapide a descriptoribus, ut facile evenire potest, confarcinatum, facile crederem hanc aram alia inscriptione antea praetulisse, quae postea, ut huic sequioris temporis locum daret, deleta fuerit. Idem & huic alteri arae a Grutero relatae CCLXXXVII. 2. accidisse arbitror; nam teste C. V. Iohanne Baptista Donio, qui oculata manu Romae descripsit in Hortis Alexandri Massinii, & retulit in sua Collectanea, in lateribus sculptam habet pateram, & simpuvium; quae, ut ingenue fatear, non in aris votivis, vel honorariis Caesarum, sed Deorum tantum tum superum, tum inferorum conspiciuntur. Sed en ipsa ara uti ad Donio exscripta est.

 Fuit







Fuit igitur ALBINVS Vir Clarissimus Praefectus Urbis, vice sacra iudicans, summa tum familiaritate, tum benevolentia valde coniunctus Claudio Rutilio Numantiano Gallo, Viro Clarissimo, idemque Praefecto Urbis, qui eius Villam lustravit; cui subiecta salsa palus Volaterranorum, quae SALINAE dicebatur, ut ex sequentibus eiusdem versibus cognosci potest, qui laudes Albini continent:

Namque meus, quem Roma meo subiunxit honori,
Per quem iura meae continuata togae.
Non expectatos pensavit laudibus annos,
Vitae flore puer, sed gravitate senex.
Mutua germanos iunxit reverentia mores,
Et favor alternis crevit amicitiis.
Praetulit ille meas, cum vincere posset, habenas;
Praedecessoris maior amore fuit.

Subie-

Subiectas VILLAE *vacat adspectare* SALINAS;
Namque hoc censetur nomine salsa palus.

Fortassis hic Caecina Albinus ille ipse est, qui apud Macrobium Saturnalium Libro I. Cap. 2. cum ceteris convivis de doctis quaestionibus erudite colloquitur. Sequitur apud Rutilium longe elegantissima Salinarum Volaterranarum descriptio, quam, ut verbis utar V. C. Casparis Barthii, dubito utrum pari modo, & tam absolute aliam in omni antiquitate reperias. Sed de Albini patria, quae Volaterrae fuerunt, & de eius Villa supra Salinas condita, miror nihil dixisse Barthium, nihil Dempsterum, qui in Opere de Etruria Regali celebriores Villas in Etruria recenset; nihil Iosephum Castilionem, qui Albinum nostrum cum Rufio Volusiano Albini filio, quem supra in Itinerario laudat Rutilius v. 166. turpi lapsu confundit. Illud praeterea ex allatis versibus notandum est, Rutilium in officio Praefecti Urbi non successisse Albino, in quo errore fuit Felix Contelorius, Praefectos Urbi recensens Cap. VI. sed e contra illustrem honore, ac iure togae Albinum successisse Rutilio; quod ex verbis eiusdem Rutilii a Contelorio non animadversis ipsa luce clarius est. Hunc Albinum Praefectum Urbi, ut auguror, respicit aerea lamella, literis argenteis aere inclusis ex uno latere ornata, quae servatur in Museo Bonarrotio, & haec habet, quae praelaudatae arae Gruterianae pag. CCLXXXVI. 8. respondent.

SALVIS DD NN ALBINVS FECIT

Ad alia ut veniam, quae tum ex Rutilio, tum ex allatis inscriptionibus notanda sunt, Albini Consularis Viri patria, ut diximus, Volaterrae fuerunt; nam praefert proprium inclytae gentis nomen CAECINA, quae Volaterris orta, clara in primis domi forisque fuit, summaeque auctoritatis, ut vetusti lapides, & scriptores diserte testantur. An vero a Caecina fluvio Volaterranorum nomen acceperit adfirmare non audeam. Id tamen verisimile esse scribit Raphael Volaterranus, ab Iohanne Glandorpio citatus in Ono-

Onomastico Historiae Romanae ; dubitat vero Thomas Dempsterus Libro IV. Cap. 5. de Etruria Regali. Pro re mea duos lapides in medium proferam, Volaterris erutos, quorum primus ibidem visitur in atrio Nobilium de Guarnaccis, alter in Foro, sed vitiose editus a Grutero CCCLXXVIII. 3.

2

L. CAECIN
EX DECVR
L. VOLAT

3

CAECINA. L. F
PRIMA. V. AN. XII
POMPONIA MATER
FILIAE

Virorum illustrium, qui ex hac Familia prodierunt, ducit agmen A. Caecina, Tuscae disciplinae peritissimus, & Volaterris augurum princeps, quem laudat Cicero eiusdem A. Caecinae filio scribens Libro VI. Epistolarum, & nobilissimum, atque optimum virum praedicat. Sequitur A. Caecina filius, ad quem Ciceronis, & ipsius ad Ciceronem epistolae exstant Libro VI. ut diximus, quem item Cicero mirifice laudat, appellatque auguralis disciplinae consultissimum, prudentem, fortem, & sapientem virum, singulari pudore, virtute cognita, & spectata fide amplissimum, in utraque fortuna cognitum multis signis & virtutis & humanitatis. Patria siquidem exulare coactus est, quum non modo contra Caesarem pro Pompeio pugnasset, verum etiam illi edito libro maledixisset; quem idem Cicero P. Servilio Isaurico commendat in Epistola 66. Libri XIII. Pro hoc A. Caecina, cui post obitum viri sui M. Fulcinii Tarquiniensis nupsit Cesennia, exstat oratio eiusdem Ciceronis, quae acta est P. Dolabella Praetore Urbano. Et hic fuit, ut putat Franciscus Hottomannus Ciceronis interpres clarissimus, Caecina Volaterranus, equestris ordinis, quadrigarum dominus, quem Plinius scribit Libro X. Cap. 24. comprehensas hirundines in Urbem secum auferen-

ferentem, victoriae nuntias amicis misisse, in eumdem nidum remeantes, illito victoriae colore. Idem, ut observat Glandorpius, librum scripsit de procurandis fulguribus, quem Seneca se fatetur imitari, de quo Naturalium Quaestionum Libro II. ita loquitur: *Hoc apud Caecinam invenio, facundum virum, si habuisset in eloquentia nomen, & nisi illum Ciceronis umbra pressisset*. Sed Glandorpius Caecinam Equitem, de quo Plinius meminit, Auli Caecinae, Ciceronis amicissimi, filium esset putat, qui in sua episto' cuiusdam libri meminit per filium transmissi. Exstat quoque in Epistolis Ciceronis ad Atticum Libro XVI. mentio Caecinae cuiusdam Volaterrani, Caesaris familiaris, qui ab eodem Caesare ad Ciceronem missus est. Ex quibus omnibus locis, & ex allatis inscriptionibus manifestum est Caecinarum patriam Volaterras fuisse. Vix enim credibile est quum Caecinas Volaterranos tot in locis dicat Cicero, & Plinius, librarios omnes unanimi consensu nos decipere voluisse, & pro *Volaterranis*, scripsisse *Volturenis*, vel *Vulturrenis*, cuius lectionis vindex est nuperus quidam scriptor, qui medicas docti viri manus expectat.

Modum excederem, lectorumque aures nimis onerarem si vellem illustres omnes viros ex Caecina ortos gente, qui in Historiis memorantur, recensere. Ex his non paucos indicavit Glandorpius. Tres tantum declarabo, quorum nomina ex antiquis lapidibus posteritati commendata sunt. Primus omnium est C. Caecina Largus, qui ad celebrandum in Capitolio Natalem Augusti, & Augustae, ac Caesarum, & ad sacrificandum pro eorum salute, Fratrum Arvalium nomine, adfuit statis diebus, & victimas solemni ritu immolavit. Is in pluribus fragmentis memoratur, quae spectant ad Collegium Fratrum Arvalium, quae videre potes apud Gruterum CXVI. 5. CXVII. 1. 2. 3. item in fragmento nuper a me edito ad Monumentum sive Columbarium Libertorum, & Servorum Liviae Augustae, & Caesarum pag. 217. ex Codice Bibliothecae Stroziae n. 356. ex quo item hoc alterum perinsigne depromo, hacte-

nus

nus antiquariis incognitum, quod item Romae olim exstabat in aedibus Coritiorum, ac postea fato quodam, ut opinor, intercidit.

ADFVIT. M. ENNIVS. VINICIANVS
IN CAPITOLIO
PROMAGISTRO. MAGISTERII
FRATERCVLI. CONLEGI. FRATRVM ARVA
LIVM. OB. NATALEM. GERMANICI
IOVI. BOVEM. MAREM. IVNONI. VACCAM L.
IMMOLAVIT TAVR
M. ENNIVS. VINICIANVS. M. SILANV. C. CAECINA M
LARGVS. TAVR. STATILIVS. CORVINVS
K. IVNIS
ADFVIT. PRO. MAGISTRO. MAGISTERII
FRATERCVLI. CONLEGI. FRATRVM. AR
VALIVM. NOMINE. AD. DEAM. DIAM. VACCAM
IMMOLAVIT ADFVERVNT
IMP. CAESAR. AVG. GERMANICVS
C. CAECINA. LARGVS. TAVRVS. STATILIVS
CORVINVS. M. ENNIVS. VINICIANVS. C
CALPVRNIVS. PISO. M. SILANVS
N. IVN. IN. CAPITOLIO
ADFVIT. PRO. MAGISTRO. MAGISTERII
FRATERCVLI. CONLEGI. FRATRVM
ARVAL. NOMINE. OB. NATALEM
GERMANIC. AVG. IOVI. BOVEM. MAREM
IVNONI. VACCAM. MINERVAE. VACCAM
ADFVERVNT. C. CAECINA. LARGVS. M. SILANVS
M. ENNIVS. VINICIANVS. C. CALPVRNIVS. PISO

C. Caecinam Largum inter proceres numeratum a Plinio Histor.

Hiſtor. Libro XVII. Cap. I. Conſulem, & collegam Imperatoris Claudii in ſecundo eius conſulatu, de quo Noris in Epiſtola Conſulari. Sequitur C. Caecina Paetus imperante Veſpaſiano Auguſto Conſul cum L. Annio Baſſo, ut in Gruteriana ara CCXXXIX. 3. Inter Piſanos cives adlectum oſtendo in antiquo lapide penes Gruterum CCCLXXIX. 2. L. Caecinam Severum, Galeria Tribu cenſum, qui Tarracone obiit Duumvir Quinquennalis, Flamen, Praefectus Fabrùm, Praefectus item Cohortis I, & Orae maritimae. His Caecinam Lollianam clariſſimam, & illuſtrem feminam adiungo, quae cum Flavio Rufio Sabino Voluſiano, ni fallor, viro eius, ſtatuam ex aere ſua pecunia Romae dedicavit in honorem magnae Deùm Matris Ideae, & Attini; quod docet antiqua Tabula penes Reineſium Claſſe I. n. 279. eruta in Via Appia. Libet Voluſianorum cognomen faeminae datum notare in ſequenti epigrammate Volaterrano.

Supra oſtium Domus Nobb. de Guarnaccis.

4 OCTAVIAE . C . F . VOLVSIANAE
PIENTISSIMAE . QVAE . VIX . AN . XIIII
M . III . D . XII . OCTAVIA . SOTIRA
MATER . PIENTISSIMA . ET . C . OCTAVIVS
SPARSIANVS . FRATER . PIENTISSIMVS
ET LICINIVS . LICINVS . MARITVS
OPTIMVS . FECERVNT . SIBI . ET . SVIS
LIBERTIS LIBERTABVS . P . Q . E

4. Mendum delendum ex Plinii Epiſtola XVII Libri VII monet hic lapis, in quo legitur Octavia Sotira mater *pientiſſima*. In vulgatis editionibus, nam ſermo eſt de uxore Domitii Tul.i, legitur: *accepit amoeniſſimas villas, accepit*

pii magnam pecuniam uxor optima , & patientissima . Legendum procul dubio , *uxor optima , & pientissima* .

Praeter hanc Caecinarum nobilissimam , & splendidissimam Gentem , quae Volaterras magnopere illustrat , alias adtexo non modo civium , sed etiam optimorum Civium Volaterranorum , ut Ciceronis utar laudibus in Oratione pro Domo sua ad Pontifices . Harum perspicua est memoria in vetustis lapidibus , qui ad hanc diem supersunt ; plurimos autem periisse non dubito . Sunt autem : *AElia* , *Aurelia* , *Agatinia* , *Baebia* , *Calpurnia* , *Casticia* , *Cersicia* , *Cilnia* , *Flavia* , *Licinia* , *Laucunnia* , *Manneia* , *Novia* , *Norbania* , *Octavia* , *Pergonia* , *Persia* , *Petronia* , *Pollia* , *Reditia* , *Traula* , *Varria* , *Velinia* , *Verginia* , *Vibia* , *Volasennia* . His addo *Arminiam* ex militari laterculo superius edito inter Inscriptiones antiquas Musei Medicei pag. 31. in quo scriptum C ARMINIVS PROBVS VOLATER . qui militavit Torquato , & Attico Consulibus, anno V.C. 896. Christi vero 143. Addo & *Rufiam* in sequenti Cippulo militari , qui exstat in Vinea Bonamonetae, a Fabretto editus Inscriptionum Antiquarum Cap. III. n. 102.

A . R V F I V S
A . F . S A B
V E R V S
V O L A T E R R I S
M I L . C O H . V . P R
). R V T I L I
M I L . A N . X V I

Ex quo intelligo Volaterranorum Tribum fuisse SABATINAM , in qua censebantur , & Romanae fruebantur iure civi-

civitatis; quam L. Sulla victor Republica recuperata, comitiis centuriatis, eripere non potuit. Audiendus Cicero in Oratione pro Domo sua ad Pontifices: *Populus Romanus, L. Sulla Dictatore ferente, comitiis centuriatis, municipiis civitatem ademit, ademit iisdem agros. De agris ratum est: fuit enim populi potestas, de civitate ne tamdiu quidem valuit, quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt. Hanc vero Volaterranis, quum etiam tum essent in armis, L. Sulla victor, Republica recuperata, comitiis centuriatis, civitatem eripere non potuit; hodieque Volaterrani non modo CIVES, sed etiam OPTIMI CIVES, fruuntur nobiscum simul hac civitate.*


Volaterranorum gloriam, & nomen Aulus PERSIVS Flaccus, Poeta Satyricus auget, qui, ut Quinctiliani utar elogio, ex Libro X. Institutionum Oratoriarum Cap. I. *multum & verae gloriae, quamvis uno libro meruit*, quem optimis Philosophiae praeceptis, & ad mores Romanorum corrigendos utilissimis luculenter instruxit. Volaterris natus educatusque est; postea Romae liberalibus disciplinis eruditus apud Grammaticum Remmium Palaemonem, & apud Rhetorem Virginium Flaccum. In Philosophia Annaeum Cornutum, Stoicae disciplinae Philosophum, quem summis laudibus effert in Satyra quincta, amicum & magistrum habuit. Equestri quoque ordine donatus, principum doctrina, & eruditione hominum amicitia floruit, fuitque sanguine, & affinitate primi ordinis viris coniunctus, ut eius vitae auctor testatur. Rigidissimus fuit morum improborum vindex, de quo Sidonius Apollinaris Carm. IX. v. 260.

Non Persi rigor, aut lepor Properti.

Casaubonus hac, ut puto, de caussa SEVERI cognomen Persio fuisse existimavit, auctoritate praeterea vetusti lapidis Volaterrani, in quo A. Persii Severi nomen, & cognomen leguntur; verum hic Titulus ad octennem puerum ex eius familia, non vero ad ipsum A. Persium Poetam Satyricum pertinet; quem edidit non satis accurate Gruterus pag. DCC. 4. & DCCCCXX. 10. Alium huic adiun-

go hactenus ineditum, ex quo discimus Verginiam Saturninam A. Persii Severi, fortasse fratris eiusdem A. Persii Flacci Poetae, coniugem optimam fuisse, filiam Virginii Flacci Rhetoris, a quo Persius Poeta institutus.

In Domo Duccii, prope Portam Florentinam.

5


In AEdibus Nobb. Maffaeiorum;

6


Veniendum nunc esset ad sanctissimos illos Viros, quorum nomina in caelis scripta sunt, qui Volaterras patriam habuere, quique maximarum virtutum, & sanctitatis eximiae gloria totum terrarum orbem impleverunt. Inter hos eminet Beatissimus Pontifex, & Martyr LINUS, qui primus post Beatum PETRUM Apostolorum Principem, & IESU CHRISTI Vicarium Romanam Ecclesiam gubernavit, seditque annos undecim, menses tres, dies duodecim, qui ex praecepto D. Petri constituit ut mulier in Ecclesiam velato capite introiret; sepultusque est iuxta corpus eiusdem Apostolorum Principis in Vaticano. Huic Summo Ecclesiae Pontifici adiungendi S. LEO. I, Ecclesiae Doctor, & Pontifex, item SABINIANUS, de quibus Dempsterus de Etruria Regali Libro V. Cap. IV. qui Sanctorum Martyrum Volaterranorum, reliquorumque Virorum tum

san-

sanctitate, tum doctrina, tum armis illustrium catalogum evulgavit. Inter viros memoria, ac laude dignos ex Petronia Gente, quae Volaterris floruit, T. Petronium Sergianum recenseo ex sequenti lapide, Legatum amplissimum, Praefectum Primipilorum Caesaris, Praefectum Cohortium Praetoriarum, eloquentiae laude insignem; cui, honoris causa, sepulcralem memoriam obtulit T. Petronius Bironius Decurio Volaterranorum. Aliorum Titulorum exemplo putabam scriptum INTVL. *intulit*, non OBTVL. *obtulit*, quod nusquam usurpatum legi. Vide quae adnotavimus ad Titulum primum Monumenti, sive Columbarii Libertorum, & Servorum Liviae Augustae.

Ad Ecclesiam S. Alexandri.

7

D M
T. PETRONIO. SERG. LEGATO. AMPL.
PRAEF. PRIM. CAES. PRAEF. COH.
PRAET. ELOQVENTIAE. EXOPT.
T. PETRONIVS. BIRONIVS. DEC. VOL
OBTVL

7. Dummodo scriptus sit hic lapis ingenua, non spuria manu, discimus honorifico nomine Legatos *amplissimos* appellatos fuisse. In aliis inscriptionibus legitur LEGATVS AMPLISSIMI ORDINIS. LEGATVS AMPLISSIMI SENATVS Gruterum vide CCCCXXI. 3. CCCCLXXI. 8. quod indicare volui, cum fortassis aliquis dubitare possit an scriptum sit AMPL. ORD. idest, *amplissimi Ordinis*, vel SEN. hoc est, *Senatus*. Exoptatae eloquentiae laude ornatur T. Petronius; quae scilicet votis omnium exoptata fuerat, ut talis, ac tanta

ta in aliquo summo viro inveniretur. Nam Legati nomen, ut Carolo Paschalio occinam Cap. XV. de Legato, uti est augustum, sic munus arduum; cui eo excipiendo nonnisi dite pectus, sustinendo nonnisi magnus animus par est. Eloquentia vero inter omnes animi dotes Legato perquam necessaria est. *Nam Legatus*, ut Cicero de Oratore Lib. I. definit, *is esse debet, qui non tam caduceo, quam nomine* ORATORIS *ornatus, incolumis vel inter hostium tela versari possit*. Antenoris Troiani laudes apud Homerum Iliad. Lib. III. in omnium ore sunt; quibus orationem Menelai succulentam, & nervosam, Ulysis, Legatorum Agamennonis, copiosam, & potentem, nivibus hiemalibus similem celebrat. Spectat ad laudatum virum T. Petronium Turpilianum Bironium Decurionem Volaterranorum Praefectum tertiùm Cohortium, iterum Quaestorem, quintùm Praetorem sequens inscriptio, quam eius filius P. Petronius Quadratus in honorem patris sui dedicavit.

Ad Ripariam, inventum sub Arce; penes Nobb. de Guarnaccis.

8

T. PETRONIO
TVRPILIANO
BIRONIO. DEC. VOL
PRAEF. III. COH.
II. QVAEST. V. PRAET
P. PETRONIVS. QVADRATVS
FILIVS

8. T. Petronii Turpiliani cognomen ex gente Turpilia, Sallustio, Plutarcho, & Plinio laudata, de qua videndus Glandorpius in Onomastico Romano. *Apud*

Apud eosdem, ibidem inventus.	*Ad Portam Siliceam:*
9 PETRONIAE HETAERAE TRAVLVS QVA DRATVS VXORI OPTIMAE	10 C. TRAVLVS. C. L PHOEBVS . SEVIR AVG. V. A. XXXVII PERGONIA. PRIMA

9. TRAVLVS QVADRATVS. Idem nomen Familiae *Traulae* legitur in sequenti lapide, qui probe, ac diligenter exscriptus est; quare mendum indico apud Fabrettum Cap. IX. n. 123. qui ex Schedis Vaticanis edidit C. TRAVIVS. C. L. PHOEBVS. pro C. TRAVLVS. C. L. PHOEBVS.

10. Libertus hic C. Traulus Phoebus, Sevir Augustalis Volaterranorum, me monet, ut auspice doctissimo Petro Victorio Variarum Lectionum Lib. XXXII. Cap. XXIII. nonnulla adnotem de instituto administrandae Reipublicae veterum illorum Tyrrhenorum, qui Volaterras incoluere; & quantopere fuerint studiosi libertatis retinendae. Id enim declaravit Aristoteles in Commentario, cuius index est *περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων*, quod in eo collectae sint multae res novae, & inauditae auribus Graecorum. Cum igitur Aristoteles ostendisset Volaterrarum oppidum in excelso colle conditum, natura loci valde munitum fuisse, addidit, cives timentes, ne ab aliquo suorum, freto opibus, imponeretur communi libertati, solitos magistratus creare libertos, qui apud ipsos antea servitutem servissent; qui cum legibus definitum tempus imperii absolvissent, in eorum locum alii eiusdem generis sufficiebantur: atque ita semper ipsos volentes illic traditum est se iusto imperio privasse, & ad infimae sortis homines honorem illum detulisse,

liſſe, ne aliquando iniuſto imperio inviti premerentur. In laudato Ariſtotelis textu, librariorum negligentia, mendum irrepſit, quod delevit Petrus Victorius, & Iacobus Dalechampius, qui conveniunt, quod pro ὀολατέρρα ſcriptum ſit οἰγαρία, falſum ſcilicet nomen pro vero acceptum. Conſonat Ariſtotelis deſcriptio Volaterrarum cum Strabonis deſcriptione, in qua ſitus, & poſitura loci indicatur; quod etiam intelligi poteſt ex ſuperiore proxima Ariſtotelis expoſitione, in qua de Ilva inſula, propinqua ſedibus ipſorum, quiddam commemoratur; ac deinde Populonii vetuſtiſſimi oppidi, quod Volaterranorum Coloniam fuiſſe aliqui tradunt, teſte Servio ad Lib. X AEneidum, fit mentio; licet haec nomina, librariorum incuria, deformata, & corrupta fuerint, ut oſtendit loco ſupraſcripto diligentiſſimus Victorius.

Ad C. Traulum Phoebum ut redeam, perſpicuum eſt in Municipiis, & Coloniis in Auguſtalium Sexvirùm numerum adlectos fuiſſe etiam Libertos, quamvis & ingenui viri non raro memorentur in vetuſtis ſaxis, qui eum honorem conſecuti ſunt. Exemplum ſubiicio in ſequenti inſcriptione Volaterrana, quae honoraria eſt, poſita Aulo Novio Pliconti Seviro Auguſtali a Sodalibus eius Collegii.

Ad ſtatuam quamdam.

11

SODALES
A. NOVIO. A. F
PLICONTI
SEVIRO
AVGVSTALI

In Platea.

12

C. CILNIVS. C. F.
VARVS. IIII. VIR

11. Adnotatur in apographo quodam Bibliothecae Strooziae

ziae Florentiae hoc epigramma descriptum fuisse a Cyriaco Anconitano, in Itinerario anni MCCCCXLII. qui Volaterris legit cuidam statuae adpositum absque capite, & manibus. Viros de re publica optime meritos statuis donatos alibi me dixisse memini. Hoc eodem honore Patroni Municipiorum, & Coloniarum exornabantur; quamvis primum effigies hominum exprimi non solerent nisi aliqua illustri causa perpetuitatem merentium, ut ait Plinius Lib. XXXIV. Cap. 4. cuius haec tantum subiiciam. *Excepta deinde res est a toto orbe terrarum humanissima ambitione; & iam omnium Municipiorum & Fori Statuae ornamentum esse cepere: prorogarique memoria hominum, & honores legi aevo, & basibus inscribi, ne in sepulcris tantum legerentur. Mox in foro, & in domibus privatis factum atque in atriis. Honos clientum instituit sic colere patronos.* Publicum aliquod insigne monumentum in honorem M. Tullii Ciceronis Volaterris positum fuisse indicant, ni fallor, eiusdem Ciceronis verba, quibus Volaterranos clientes suos accurate commendat Q. Valerio Orcae Libro XIII. Epistola 4. ut omnibus rebus integros & incolumes esse velit; ex qua pauca haec depromam, quae ad rem meam faciunt, quum reliqua diligens lector legere, atque observare possit. *Cum municipibus* VOLATERRANIS *mihi summa necessitudo est; magno enim meo beneficio affecti, cumulatissime mihi gratiam retulerunt; nam nec in honoribus meis, nec in laboribus unquam defuerunt.* Ex his vero non obscure colligi potest ipsum Ciceronem Volaterranorum Patronum extitisse; nam clare adfirmat se summo studio Populi Romani eos in suo consulatu defendisse, cum Tribuni Plebis legem iniquissimam de eorum agris promulgavissent; & facile senatui populoque Romano persuasisse, ut eos cives quibus fortuna pepercisset salvos esse vellent. Quam Ciceronis actionem C. Caesar primo suo consulatu lege in Agraria comprobavit, agrumque Volaterranum, & opidum omni periculo in posterum liberavit. Tanta igitur dignitate tantoque splendore fuerunt olim res Volaterranorum.

In Augustalium Collegio licet Liberti adlecti fuerint,

ſummi tamen magiſtratus, ſcilicet Decurionatus honore, haudquaquam inſigniti leguntur. Soli item ingenui Quatuorviri lecti ſunt; inter quos numerandus Varus Volaterranus ex Cilnia nobiliſſima, & antiquiſſima gente, de qua inferius dicam.

In Foro.

13

C. VARRIVS
STEPHANVS

Alicubi.

14

POLLIA. L. F
ALETIA

In pavimento Eccleſiae Cathedralis.

15

DIS MANIBVS
VOLASENNIAE. PYRAMIDAE
L. VOLASENNA. NOVIANVS
MATRI. PIISSIMAE

13. Edidit quoque Reineſius ex Schedis Langermani Cl. XVII. n. 129. ſed perperam habet C. VAARIVS, pro C. VARRIVS.

14. Idem habet Cl. XVII. n. 94.

15. Volaſenniam Familiam recenſuit ex hoc lapide Fabrettus Cap. IX. n. 490. inter Gentilitia nomina, quorum Gruterus non meminit. Reineſius item vulgavit Cl. XVII. v. 57. Ex Novia Familia Volaterrana, cuius in ſuperiori lapide fit mentio, ortum Noviani cognomen a Baebiis deſumtum.

In

In AEdibus Nobilium de Maffaeis.

16

D Ꝺ M
L. BAEBI. AVRELIANI
BAEBI. NOVIANVS. ET
SECVNDINVS. PATRI
ET. AVRELIVS. MAXIMVS
FRATRI. ET. VIBIA. PRO
FVTVRA. CONIVGI
CARISSIMO
B Ꝺ M

In Ecclesia S. Alexandri extra moenia.

17

D M

CASTICIAE. VICTORI
NAE. CONIVGI. DVL
CISSIMAE. ET. DESIDERA
NTISSIMAE. CASTICIVS
COCCEIANVS. CONIVGI
B : M

Volaterris, in Urna marmorea figuris ornata.

18

DIS MANIB
C. NORBANI
DEMETRI

In AEdibus Nobb. de Maffaeis.

19

AGATINIA. L. F.
ANN. IV.

16. Hic sepulcralis Titulus olim exstabat in AEde B. Lazari extra moenia, ut habet Gruterus ex Apiano pag. DCCXXII. 2. apud quos mancus, & aliquibus mendis respersus est.

17. Turpibus mendis deformatus hic Titulus legitur apud Reinesium Cl. XII. n. 40. & Fabrettum Cap. IV. n. 69. Quod vero heic silentio minime praetereundum est scriptum in marmore non DESIDERATISSIMAE, sed DESI-

DERANTISSIMAE. atque ita expresse habent plures Tituli, inter quos primum indico Florentinum ex Museo Riccardii Par. I. pag. 116. n. 97. & Gruterianum pag. MCXVI. 7.

18. Idem Gruterus habet DCCCCXIX. 10. aitque olim exstasse Romae in AEdibus Marii Maffaei.

19. Ex vetustis Schedis Bibliothecae Stroziae accepi hanc Inscriptionem Volaterris conspici in Cathedrali Ecclesia. Gruterus Parmae ex Apiano adscripsit pag. DCCXXV. 9.

In eodem loco.

20

D M
CERFICIO . SEVERINO . CERFICIA . SEVERINA
CERFICIVS . SEVERINVS . FRATRI . ET . VELINIA
ARTEMIDORA . CONIVGI . BENE . MERENTI

In AEdibus Nob. V. Iohannis Equitis Falconcini.

21

D ɕ M
FL . GALLO
MAXIMINO
LAVCVNNIA
FELICITAS
CONIVGI


In AEde D. Alexandri, Urna cineraria figuris ornata circa ostiolum.

22

C . MANNEIVS
CORANVS
ARCHIMIMVS

22. ARCHIMIMVS. Princeps Mimorum, qui aliorum personam exprimebant imitabanturque, & tum voce, tum gestis

gestis aliorum facta, & dicta referebant. Hanc artem feminas quoque exercuisse docet Romanum marmor a Grutero relatum pag. CCCXXX. 2. in quo laudatur quaedam Liberta Fabia Arete Archimima temporis sui prima diurna. Archimimos in funere divitum virorum adhibitos, ut eorum personam, & dicta referrent, observo apud Suetonium, qui haec narrat de Vespasiano c. 19. *Sed & in funere Favor archimimus personam eius ferens, imitansque, ut est mos, facta, & dicta vivi, interrogatis palam Procuratoribus, quanti funus, & pompa constaret; ut audiit H-S centies, exclamavit, centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim proiicerent*. Pantomimi commissi in theatrum leguntur, honoris gratia, in funere Numidiae Quadratillae, quibus dum viveret effusius delectata est, quam principi feminae convenirent, ut narrat Plinius Secundus Libro VII Epistola 24. cuius adferam verba, quae pantomimos describunt, ita appellatos, quod omnia imitatione praestarent: *At, Hercule, alienissimi homines in honorem Quadratillae (pudet me dixisse honorem per adulationis officium) in theatrum cursitabant, exultabant, plaudebant, mirabantur; ac deinde singulos gestus dominae cum canticis reddebant; qui nunc exiguissima legata theatralis operae corollarium accipient ab herede, qui non spectabat*. Archimimos, & Pantomimos Lesbonax Mitylenaeus, uti apud Lucianum de Saltatione, χειροσόφους, hoc est, *manibus sapientes* appellavit, propterea quod ut observat disertissimus Benedictus Averanius in Anthologiam Dissertatione XVI. etsi vultu, oculis, & statu corporis, motuque res ob oculos ponerent, pleraque tamen manibus significarent. Id quoque perspicue confirmat elegantissimum Graecum Epigramma, quod, hactenus incognitum, primus in lucem profero Latina versione donatum, & notis illustratum a doctissimo Viro Antonio Maria Salvinio, qui accepit a Clarissimo Praesule Francisco Blanchinio ex eius Museo; quos Viros nuper summo omnium maerore, ingentique ingenuarum artium damno amisimus. Blanchinius amicus meus optimus fato functus est V. Nonas Martias; Salvinius praeceptor meus XVII. Kal. Iunias huius anni MDCCXXVIIII. ICTO-



1 ΙϹΤΟΡΙΑϹ ΔΕΙΣΑϹ
ΚΑΙ ΧΕΙΡϹΙΝ ΑΠΑΝΤΑ
3 ΛΑΛΗϹΑϹ. ΕΝΠΕΙΡΟϹ ΒΡΟΜΙΟΙΟ
ϹΟΦhϹ ΙΕΡhϹΤΕ ΧΟΡΕΙΑϹ ϹΥΝΠΑϹΧΩΝ
ΚΕΙΝΟΙϹ ΠΕΡ.... ΚΕΙΝΕΙΤΟ ΠΡΟϹΩΠΟΙϹ
6 ΚΟϹΜhϹΑϹ ΠΑϹΑΝ ΘΥΜΕΛhΝ ΔΙΔΑΧΑΙϹ
ΠΟΛΥΔΞΟΙϹ ΟΥΤΟϹ ΟΠΑΙΔΙΑϹ
ΘΑΛΕΡhϹ ΕΝΚΩΜΙΑ ΛΙΨΑϹ
9 ΚΕΙΤΕ ΔΕ ΓhΡΑ ΒΕΒΑΡhΝΟϹ
ΟΥΚ ΕΘΑΝΕΝ ΓΑΡ ΖΩϹhϹ
ΕΥΧΟΡΟΙΟ ΤΕΧΝhϹ
12 ΑΡΕΤΑΙϹΙ ΜΑΘhΤΩΝ

Idem Epigramma totidem verſibus Latinis ita interpretatur.

Hiſtorias monſtrans , manibus & cuncta locutus ,
Expertus doctam Bacchi ſacramque choream .
Illuſtrans omnem doctrina divite ſcenam .
Affectus vanis perſonis edere motus .
Iſte magiſterii linquens encomia laeti ,
Hic ſitus eſt . ſenio gravis . haud mors funere merſit :
Diſcipulorum etenim virtute ars ludicra vivit .

Ver. 1. ΧΕΙΡϹΙΝ. *χέρσιν*. ſed *χείρσιν*, ſervata origine, a poetico *χειρέσσιν* . Martiali chiragra , *cheragra* in exametro pentametro , ut verſus conſtet , lege metri .

Ver. 2. ΕΜΠΕΙΡΟϹ . legendum antiqua ſcriptura, quae integras ſcribit praepoſitiones , ut poſtea ϹΥΝΠΑϹΧΩΝ , pro *συμπάσχων* , quemadmodum in marmoribus Smyrnenſibus , deinde Arundellianis , nunc Oxonienſibus . Sic Codex antiquus Livii *conlatus* , pro *collatus* . Ver. 3.

Ver. 5. KEINOIC. idest *κενοῖς*, *vanis*, *inanibus personis*, lavis, *προσωπείοις*. Sic mare Euxinum, bene hospitale, quasi hospitale *εὔξεινον*. D. Gregorius Nazianzenus elegia de vanitate feminarum: *κατὰ γυναικῶν καλλωπιζομένων*, adversus mulieres nimium se ornantes:

Μηδὲ θεοῦ μορφὰς ἐπαλείφετε χρώμασιν αἰσχροῖς,
Ὥστε προσωπεῖα κ'οὐχὶ πρόσωπα φέρειν.

In eo carmine, ut hoc obiter dicam, allusum ad antiquum ritum, eucharisticum Panem suis manibus de manu Sacerdotis accipiendi, quod Angli etiamnum faciunt, illo disticho:

Οὔτε χέρες φρίσσουσιν. ἐπὴν ἐς μύστιν ἐδωδὴν,
Τείνεις, αἷς σὺ γράφεις πένθιμον ἀγλαΐην.
Neve manus horrent, sacram quum tendis ad escam,
Queis manibus picta est lugubris ore Charis?

Ver. 5. ΠΕΡ....KEINEITO. Ut versus hiulcus facili negotio expleatur, *περὶ μὲν κεινεῖτο*, pro *κινεῖτο*. I longum EI, ut NEIKH, pro *νίκη*. & ΦΑΤΣΤΕΙΝΑ, pro *Φαυςίνα*.

Ver. 6. KOCMhCAC. h litera *ἦτα*, haec propius abest ab H primigenia, & minusculam aspirationis Latinae notam imitatur, ut videre est in quadam inscriptione Graeca apud Nobiles Viros de Gaddis Florentiae.

Ver. 7. ΠΑΙΔΙΑΣ. *lusus*. rescribo *παιδείας*, *doctrinae*, ne versus claudicet. ENKΩMIA. pro *ἐγκώμια*. ΛΙΨΑΣ. qui reliquit, idest Tractatum in laudem pantomimicae saltationis.

Ver. 9. KEITE ΔE. E pro AI, passim in optimis Codicibus. *Κεῖται δαὶ*, vel *δὴ*. BEBAPhNOC. suppleo *βεβαρημένος*.

Ver. 11. ETXOPOIO. rescribo *εὐρυχόροιο*, ut versus constet.


Sed in hoc eximium Epigramma alio in loco, Deo dante, symbolam meam conferam. Constat igitur huiusmodi scenicos Artifices in spectaculis, & acroamatibus personatos tum voce, tum manibus, & corporis motibus locutos fuisse; quibus non solum feminae, verum etiam Imperatores, & viri docti magnopere delectati sunt. Libet hac de re Plinium Secundum audire, qui Libro V. Epistola 3. ita ait: *Facio nonnumquam versiculos severos parum, facio comoedias, & audio, & specto mimos; & lyricos lego, & satyricos intelli-*

telligo : aliquando praeterea rideo , iocor , ludo , utque omnia innoxiae remissionis genera breviter amplectar , homo sum . Horum vero maxima laudum fuit si spectati placuissent , ut observat Petrus Victorius Variarum Lectionum Libro XXXVII. Cap. VIII. idque confirmat hoc antiquo Epigrammate Romano , quod heic rursus afferam , ut moneam apud Gruterum CCCXXXI. 7. editum esse mancum , & diversimode scriptum .

DIS . MAN.
C. IOCVNDO C. F. EXQ QVI XII. AN. VIX.
ET SEPTIES SPECTANTIB . PVB . IMPP.
SER. GAL. OTH. SAL. A. VIT. ET. P. R.
SALTAVIT CANTAVIT ET PLACVIT
PRO IOCIS. QVIB. CVNCTOS OBLECTABAT
SI QVID OBLECTAMENTI APVD VOS EST
MANES INSONTEM REFICITE ANIMVLAM
FAVSTVS NVNC INFAVSTVS
PATER FILIO ET SIBI FECIT

Mimis , Archimimis , & Pantomimis addendi Scurrae , Cinaedi , ac Moriones , qui mensis inerrabant , ut narrat Plinius Libro IX. Epistola 17. addendi item Macci , homines scilicet bardi , fatui , & stolidi , ut explicat Iustus Lipsius in epistolicis quaestionibus Libro II. Epistola 22. quorum meminit Apuleius in Apologia , qui risus movendi gratia inducebantur . In immenso propemodum veterum Inscriptionum Thesauro usque ad hanc diem incognitum MACCI nomen ; sed illud nuper in sequenti rarissimo lapide Romano , qui exstat in Porticu S. Mariae Transtiberim, adnotavit Illustrissimus Franciscus Eques Victorius , quem mecum humanissime communicavit peraccurate descriptum,

ptum, longitudine Romanum palmum unum, & circiter uncias undecim aequantem, altitudine vero uncias decem.



Perelegans haec Inſcriptio illuſtrat veterem Hiſtrionem perſonatum, MACCVM antiquorum habitum, ita appellatum vetere Oſca lingua, Itala *Tullicinellam*; cuius aeream icunculam in Eſquiliis repertam, anno MDCCXXVII, nuper accurata manu aere caelatam, bono Literariae Reipublicae, ex ſuis Cimeliis depromſit Alexander Gregorius Marchio Capponius, eximio in bonas artes amore, mirificoque veterum elegantiarum ſtudio nulli ſecundus. Riſus excitandi gratia in ſpectatoribus inducebatur, motu capitis admodum derdiculo; cuius oculi, & in utroque labroſi oris angulo ſannae, ex argento ſunt; naſus aduncus, & prominens; in pectore, & in dorſo gibbus, in pedibus ſocci conſpiciuntur. Sannae, quum vetuſtate detritae ſint, globulis quibuſdam ſimiles videntur, ſed revera ſannae, ſive dentes ſunt ex argento. Apud Gruterum alios Ludiones, & Hiſtriones notare poſſumus civitate Romana donatos, & in Eſquilina Tribu cenſos, CCCXXXI. 7. Eſquilina Tribus urbana apud Romanos, locum, & nomen habuit ab Eſquiliis, ubi item reperta haec icuncula veteris Hiſtrionis perſonati, quae locupletiſſimum Muſeum Capponium exornat. Sed de hoc veteris *Macci*, ſeu ut hodie dicimus *Tullicinellae* ſimulacro, eruditis hactenus incogni-

cognito, multarum lauticiarum viri nil nos desiderare patientur. Satis mihi fuit haec adnotare, ut in amplissimum virum Capponium, obsequium, & amorem meum declararem; qui cum alia, quae in manus eruditorum dedit, tum hoc insigne monumentum, ut adspicerem, humanissime curavit.


Ad C. Manneium Coranum Archimimum ut revertar, cuius sepulcrum Volaterris conditum fuisse constat ex hoc Titulo, eadem in Urbe reperto, ex eius cognomine arguitur patriam habuisse Coram, Romanorum Coloniam, in finibus Volscorum, Velitris proximam, inter Appiam viam.

Praeter hos Titulos sepulcrorum alios duos Volaterris inventos vulgavimus in Prima Parte Inscriptionum antiquarum Etruriae Urbium pag. 215. n. *6.* & 7. qui hodie Florentiae exstant in AEdibus Bonarrotianis. Quatuor ab hinc mensibus Volaterris detecta est Cella sepulcralis Etruscis urnis, & monumentis referta, iuxta quam altera condita creditur; quam, quum ruderibus purgata fuerit, quod brevi futurum spero, diligenter in Appendice describam.

Interim insignium circa Volaterras locorum & opidorum veteres inscriptiones proferam, ac primum Civitatis S. MINIATIS, glorioso nomine huiusce Martyris Florentini nuncupatae, ex qua orti clarissimi cives, armorum gloria, doctrina, & sanctitate insignes; prodiitque Borromaeorum Familia, cui summum decus addit S. CAROLUS Borromaeus. Veterum hanc consuetudinem appellandi Urbes, & Opida Sanctorum nomine, eaque eorum tutelae, & patrocinio dedicandi, ab Ethnicis prisci Christiani accepere. Quemadmodum enim ipsis curae fuit Municipiorum, & Coloniarum Patronos cooptare, decreto inciso in hospitali tabula, missisque ad eos Legatis, qui, ut in clientelam se & Municipia, & Colonias recipere dignarentur, impetrarent; ita melioribus auspiciis id curarunt Christiani nominis cultores ut Sanctorum tutelae, ac praesidio se se commendantes, urbesque insigniores eorum nomine appellantes, sanctissimos illos Viros, qui cum Christo in caelis

aeter-

aeternum regnant, Patronos praesentissimos in terris venerarentur. In hac igitur Civitate S. Miniatis paucas hasce inscriptiones exstare tradit pag. 92. vetus Codex peregregii Viri Gregorii Redii Patricii Arretini, ex Equestri ordine, in quo haec in rubrica leguntur: *Apud S. Miniatum, Castrum.*

1 


1. Videlicet: *C. Celtus C. F. Sabatina Severus, Quinquennalis, AEdilis, Pontifex*. Sabatina Tribus, ut supra diximus, eadem est in qua Volaterrani Romana civitate donati sunt. Quo vero tempore S. Miniatis Castrum Civitatis nomine donatum fuerit, indicat his verbis Ughellius Italiae Sacrae Tom. III. *Lucensi spirituali ditioni hoc Opidulum paullo ante subiectum erat; sed quum Secundus Cosmus Magnus Dux Etruriae Mariae Magdalenae Austriacae uxori illud dono dedisset, impetravit illa a XV. Gregorio, ut in Cathedralem Suffraganeamque Florentinae Sedis erigeretur &c. Igitur V. die Mensis Decembris, anno MDCXXII. publico in Consistorio Gregorius XV. S. MINIATIS Civitatem Episcopali insignivit dignitate*. An scriptum sit in allato lapide C. CELTVS, ex autographo scire cupiebam, sed intercidit, ut putat, datis ad me literis, Vir humanissimus, & impense doctus D. Bindus Ferdinandus Bonaparte, Vicarius Generalis, & Praepositus Cathedralis Ecclesiae

Miniatensis, qui severiores Musas, maiorum suorum exemplo, colit, & eruditae antiquitatis studio mirifice delectatur.

2 *Arcula marmorea apud Nobb. Rossia.*




3 *Alicubi, in eadem Civitate.*



2. Huius cinerariae Urnae Titulum descripsit quoque Cl. Senator Carolus Strozius, cuius autographum vidi in eius Bibliotheca. Cimarulinae Familiae nomen nunc primum in lucem prodit.


Urnula cineraria marmorea, quae olim exstabat in eadem Civitate.

4


4. Idest; *Domitiae Phyllidis Conservae C. Domitii Lemni Pro-*

Procuratoris Germanici Caesaris. Hodie haec urnula marmorea exstat in Museo Mediceo, cui altera iungenda est edita in Gruteriano Thesauro DLXXXIX. 12.

Cippus marmoreus, ima parte fractus, erutus in Ilva insula, hodie Cosmopoli, Italice Porto Ferraio, *die IX. Martii, anno MDCCXXVIII. in loco qui dicitur* il Ponticello.



Hoc est: *Diis Manibus Sacrum. L. Valerius Maximus Castra Praetoria Ravennatium, militavit annis duobus & viginti, vixit annis sexaginta .... Helvius Mercurius (H) heres amico benemerenti ....* Ex magna antiquorum lapidum copia, qui ad rem navalem veterum illustrandam, studio, ac labore virorum doctorum in lucem editi sunt, nullus hactenus prodiit, cuius auctoritate noverimus, Romanos rerum dominos pro decore, & utilitate magnitudinis suae **CASTRA PRAETORIA** in utroque mari, tum supero Raven-

vennae, tum infero Miseni habuisse, quod tamen vero longe erat simillimum. De utraque vero Classe tum Ravennate, tum Misenate disertissima sunt veterum scriptorum, lapidumque testimonia; ex quibus cognitum est non solum Classes Romanorum ad Urbis aeternae tutelam, iam ante Augustum, quem auctorem facit Suetonius in eius Vita c. 49. ibidem collocatas fuisse; verum etiam colligi potest, qui fuerint militarium officiorum ordines, & gradus; nempe Praefectorum, Subpraefectorum, Navarchorum, Gubernatorumque Classium, item Chiliarchorum, Centurionum, Trierarchorum, Praefectorum Remigum, Veteranorum, Evocatorum, Manipularium, Scribarum, Nautarum, Remigum; e quorum numero non paucos illustravimus in editis maritimis saxis in Parte I. Inscriptionum antiquarum Etruriae Urbium, praesertim pag. 236. & in sequentibus. Sed praeter has Classes, Castra Praetoria ad utrumque mare constituta fuisse, auctoritate huius Cippuli discimus; in quo licet mentio habeatur dumtaxat Castrorum Praetoriorum Ravennatium, tamen & de Misenatibus idem asseri potest; quamvis de utrisque nec Tacitus, nec Suetonius, nec Vegetius, nec Schefferus, Lib. III. Cap. IV. qui de Re Navali veterum scripsit, nullum verbum fecerint. At doctissimus Lipsius de magnitudine Romana disserens Libro I. Cap. V. ea utrobique fuisse monet his verbis: *Etsi autem naves ibi & classis, tamen CASTRA etiam in terra, & ad Portum ipsum fuisse commoditas eorum exigit*. Portum vero novum intellige; iam enim ante Cn. Pompeius, Populi Romani auspiciis, Italiae duo maria maximis classibus firmissimisque praesidiis adornaverat, quae in Portu vetere constiterunt. Consulendus Cicero pro lege Manilia. Haec paullo post subiungit Lipsius: *In his item Portubus praeter CASTRA, Pharos, sive Turres quasdam ad praelucendum noctu fuisse, Plinius mihi suggerit Libro XXXVI. c. 12. qui ipse fuit Classis Misenatium Praefectus*,, Usus Phari, nocturno navium ,, cursui ignes ostendere, ad praenuncianda vada, portusve introitum: sicuti compluribus iam locis flagrant, ut ,, Puteo-

„ Puteolis , & Ravennae . Si divinare liceat , dicerem haec Castra *Nova* ad distinctionem *Veterum* Castrorum , quae Cn. Pompeius , adornaverat , ut puto , appellata fuisse . Ad hoc discrimen fortassis servandum , Romae Castra fuere *Nova* , & *Vetera* Misenatium , & fortassis Ravennatium in III. Regione , ut observat Fabrettus Inscr. ant. Cap. V. pag. 365. Rufi , & Victoris auctoritate , Castris Praetorianorum admota , uti legitur in hac inscriptione è lateribus compacta , etiamnum Turri angulari eorumdem Castrorum , meridiem , & Viam Tiburtinam versus , inhaerente.

C..... MISENATIVM ET......

In his Romanis Castris Milites Classis Ravennatium , & Misenatium stationem habuere , eo tamen consilio , ut Imperatoris auctoritate , quum ratio , & tempus postularet , ad propriam Classem vel Ravennae , vel Miseni consistentem , traiicerentur , ut militaribus officiis praesto essent . Navalium Castrorum meminit Thucydides a Scheffero relatus.

Pro re nostra audiendus item Vegetius Libro V. Cap. I. de Re militari , qui ita ait : *Apud Misenum ergo , & Ravennam singulae Legiones cum Classibus stabant , ne longius a tutela Urbis abscederent : & cum ratio postulasset , sine mora , sine circuitu ad omnes mundi partes navigio pervenirent* . Lipsius praecitato loco crucem figit Vegetio , in illis verbis *singulae Legiones cum Classibus stabant* , aitque pro more sui aevi , aut parum conspecte locutum . Vult enim non Legiones proprias fuisse , sed dumtaxat Cohortes , easque decem , suosque Tribunos , & Centuriones habuisse . At Reinesius in 57. Classis IX. docet utriusque Classis administrationem fere ad formam Legionis fuisse . Fabrettus Lipsium redarguens , quod non bene Vegetii mentem sit assecutus Cap. III. de Columna Traiani pag. 83. pluribus antiquitatis monumentis probat eas Legiones Classis , sive Classicas constitisse , & consequenter apud Ravennam , & Misenum fuisse , & quidem longe ante ipsius Vegetii tempora ; nempe ex Livio Libro XXII. ex Tacito Lib. II. Histor. ex nummo

mo M. Antonii Triumviri apud Fulvium Urfinum pag. 26. denique ex Gruterianis lapidibus pag. CCCCXIII. 3. & MXCIII. Ex quibus omnibus colligitur tum Legiones cum Classibus in utroque mari stetisse, tum Castra adiuncta fuisse, ex quibus commeatus militibus, & alia quotidiano usui necessaria suppeditarentur, ipsique milites diversarentur, & in statione tutelae earumdem Classium praessent.

Accedit praeterea C. Iulii Caesaris auctoritas, qui in Libro V. de Bello Gallico *Navalium Castrorum* meminit, & adversus Britannos bellum renovaturus, Labieno scribit; *ut, quamplurimas posset, iis Legionibus, quae sunt apud eum, naves instituat: ipse, etsi res erat multae operae, ac laboris, tamen commodissimum esse statuit, omnes naves subduci, & cum CASTRIS una munitione coniungi*. Plinius iunior Libro VI. Epist. 16. referens Cornelio Tacito avunculi sui Plinii Praefecti Classis Misenatium exitum, scribit Classiarios milites tunc fuisse Retinae, in villa subiecta Miseno, qui cum cognovissent eius imperio parari Liburnicam ad inspiciendum Vesuvii incendium, eum orasse, ut non solum desisteret ab incepto, verum atiam Miseno subterfugeret. Retinae igitur Castra militum Classis Misenatis fuisse facile crediderim. Hinc & Villas a veteribus *Praetoria* quandoque appellata fuisse, memini me aliquando legisse.

Alia breviter ut tangam, quod officium gesserit L. Valerius Maximus in navali militia, quum in lapide non declaretur, incompertum est. Eum Castrensianum fuisse puto, qui scilicet in Castris Praetoriis Ravennae excubabat contra hostes, vel ad Classis tutelam. Aliud exemplum indico apud Gruterum pag. LXXX. 9. in Lugdunensi lapide, in quo memoratur dedicatio quaedam facta a L. AEmilio Leotino Classis Ravennatium, in honorem Minervae, non expresso eius munere; adeo ut vel inter simplices Classiarios sit referendus. Adnotanda superne in fastigio Cippuli circa tympanum sculpta scuta, & breves hastae; quae in ornamentum sepulcrorum egregiorum militum frequenter occurrunt, & in honorem Deorum Manium. Nam con-

stat

ſtat arma in honorem Deorum in templis appenſa fuiſſe; de qua conſuetudine alibi diximus.


Legitur quoque in adlato lapide L. Valerium Maximum militaſſe annos XXII. Claſſiarii milites diuturniore ſervitio tenebantur militare; nec dimittebantur, Romanaque civitate donabantur, (nam peregrinae conditionis erant) niſi cum emeriti eſſent octona & vicena ſtipendia, ſcilicet poſtquam annos XXVIII militaſſent; ut docet vetus Tabula ahenea Neapolitana honeſtae Miſſionis, edita a Fabretto Cap. III. de Columna Traiani pag. 70. E contra alii milites, qui in Legionibus militaverant, poſt vicena ſtipendia dimittebantur, & civitatis ius adipiſcebantur, Imperatorum dono; uti manifeſtum eſt ex Miſſione Honeſta Imperatoris Galbae ſuperius a me edita in Parte I. pag. 257. Verum Imperatorum indulgentiſſimorum munere & ante hoc tempus dimitti utrique poterant. An vero L. Valerius Maximus militari officio immunis factus, & honeſtam miſſionem ante ſtatutum tempus, principis munere, conſecutus fuerit, ut in hanc fortaſſis eius patriam reverſus, in ea mortuus fuerit, cum inſciis aeque neſcio. Militibus frequenter admodum ſepulcrales Tituli ponebantur ab amicis, qui eorum heredes erant. Dum haec excuduntur rariſſimus hic Cippulus marmoreus altus Romanos pedes circiter tres, latus itidem Romanos pedes fere duos, in Muſeum Mediceum tranſlatus eſt.

In hoc celebri Etruriae Portu alia eruditae antiquitatis monumenta paucis ab hinc annis reperta fuiſſe diximus in Parte I. pag. 315. ubi alium ſepulcralem Cippulum dedimus. Retulit mihi amicus meus Alphonſus Galaſſius J. C. Florentinus, ingenii praeſtantia, & eruditione commendabilis, ſe vidiſſe antiqui Balinei ſex cameras, tubos, & aquaeductuum rudera, antiquae magnificentiae argumenta. De Ilva Inſula Victorius Var. Lect. L. 19. c. 10. L. 32. c. 23.

Quandoquidem de Caſtris Praetoriis, & de Claſſiariis dictum eſt, libet veluti parergon afferre duos item Cippulos, quorum primus ſingularitatis praerogativa inſignis eſt:


namque in eo non solum Trieris *Pietas*, cuius scilicet tutela *Pietas* erat, verum etiam Quinqueremis *Augusta* nominatur. Milites, quibus sepulcralis memoria dedicatur a M. Valerio Capitone eorum fratre, sunt M. Valerius Saturninus, M. Valerius Capito, L. Domitius Martialis, M. Sestius Pudens Natione *Delmatia*.

Extra Forum Truentinorum (Bertinoro) *in pariete anteriori Eccl. S. Georgii.*



Ex Collect. Cl. V. Ioh. Bapt. Donii.

Ibidem.



Ex iisdem Collect.

Usitato lapidum stilo *Delmatia*, non *Dalmatia* pronuntiari debet.

debet. Vide eximium Virum Laurentium Pignorium Symbolarum Epistolicarum Epist. XXXVII. Hoc pacto interpretandum esse censui, quamvis Lipsius loco suprascripto singularem illam notam N̄ explicet *Nave*, pro *Natione*; scilicet, VET. EX. PR. N̄. GALLO: *Veterano ex Praetoria Nave Gallo*. Falsam Lipsii, & Scaligeri in Gruteriano Indice interpretationem arguunt alii lapides apud eundem Gruterum pag. CCCXXXIII. 8. DXVIII. 5. DCLVII. 3. Nam & N̄ saepissime trieris nomen subsequitur, ut apud V. C. Vignolium Inscript. Select. pag. 298. Sed & III. *trierem* per hunc numerum designatam, *tertiam* Lipsius perperam interpretatur, quamvis non raro exprefse legatur TRIERE &c. Trierium fit mentio in pluribus sacrae Bibliae locis, praesertim Numerorum Cap. CCIV. v. 24. in quo haec Balaam leguntur vaticinia: *Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntque Hebraeos, & ad extremum etiam ipsi peribunt*.


Quinquieris igitur singularis extat memoria in hoc Cippulo. Haec Quinquieris denominata ab Augusto; nam Quinquieris Augusta scribitur; ni tamen erraverit qui descripsit pro IV. idest *Quadriere*, V. Quinquierem reponens, Deciremium ab Augusto repositarum, decimarum nomine, in Templo Apollinis Actii, ob insignem eius victoriam, meminit Strabo Libro VII. Eodem modo Quadrieres spectantes ad Classem Misenensem a FIDE nomen acceperunt; quae memorantur in Florentinis Tabulis, editis in Prima Parte Inscriptionum Antiquarum Etruriae Urbium pag. 125. & 129. Liburnis item a FIDE, vel a DIANA ceterisque numinibus nomen factum, uti ex iisdem Tabulis constat.

Quod vero fuerit in Navali militia officium M. Valerii Capitonis exprimitur singularibus notis, nempe EXER. TR. Explicandum puto, *Exercitatoris Trierarchorum*; eodem exemplo ut in terrestri militia erant *Exercitatores Equitum*, ex Gruterianis MCII. 4. Paullo post indicatur officium L. Domitii Martialis, videlicet, DVP. SVB. P. C. quae notae significare mihi videntur *Duplaris*, vel *Duplicarii Subpraefecti*

fecti Classis; qui scilicet duplicia congiaria, & annonam duplam accipiebat. Alium militem Duplarem, sive Duplicarium Classis Praetoriae Misenatium produxit praelaudatus Vignolius Inscr. Select. pag. 294.

Maritimos hosce lapides heic referre peroportunum esse duxi, quia FORVM TRVENTINORVM, vel DRVENTINORVM, ut aliqua habent saxa penes Gruterum pagina CCCCXCII. 5. & MXCIV. 2. Episcopali exornatum sede, partimque in Ditione Magni Ducis Etruriae constitutum vulgo *Bertinoro* appellatur, haud procul a Foro Popilii, versus meridiem. In militari laterculo edito in Prima Parte pag. 133. dedimus C. Saturium Sabinum, militem Praetoriae Cohortis, patria *Truento*; de qua consule Cluverium Italiae antiquae Lib. I. Cap. XXVIII. pag. 295.

De victoriis Romanorum Navali Militia partis optime meriti fuere Volaterrani, qui navium armamenta, nempe rostra aere, aut ferro munita, ancoras, rudentia, antennas, remos, transtra, aliaque huius generis arma, quibus naves instruuntur, itemque cibaria dedere, ut memorat Livius Libro XXVIII. *Etruriae* inquit, *primum populi, pro suis quisque facultatibus Consulem* [Scipionem] *adiuturos polliciti: Caerites frumentum sociis navalibus, commeatumque omnis generis; Populonienses ferrum; Tarquinienses lintea in vela*; VOLATERRANI *armamenta navium, & frumentum*. Si quae alia erunt ad Volaterranos pertinentia monumenta, quae interim in apricum proferat aetas, ea in Appendice, ut diximus, proferemus.



IN-

INSCRIPTIONES
ANTIQUAE
ARRETI.

In marmore, in maiori platea conlocato.

1 L. PETRONIO. L. F.
SAB. TAVRO VOLV
SIANO V. COS
ORDINARIO. PRAEF. PRAE
TEM. V. PRAEF. VIGVL. P. V. TRIB
COH. PRIMAI. PRAET. PROTECT
AVGG. NN. ITEM. TRIB. COH. IIII. PRAE
TRIB. COH. XI. VRB. TRIB. COH. III. VIG. LEG. X.
ET XIIII. GEM. PROV. PANNONIAE SVPERIORI
ITIM LEG. DACIAE. PRAEPOSITO EQVITVM SIN
sic GVLARIOR. AVGG. NN. PP. LEG. XXX. VL
PIAE. CENTVRIONI. DEPVTATO. EQ. PVB
EX V. DEC. LAVR. LAVIN
ORDO ARRETINORVM PATRONO
OPTIMO

QUum in explicandis illustrandisque Urbium ETRURIAE monumentis, hactenus, utcumque potui, servato quodam ordine, de patriis Diis, & de eorum cultu, de celeberrimis aedificiis, ac templis, ad haec de Ma-

Magiſtratibus, & de illuſtribus viris, qui aliqua virtutis laude in his floruerunt diſſeruerim; mutato nunc conſilio, eodemque ordine, varietatis cauſſa, liceat primum ea Senatus ARRETINORUM exponere publica monumenta, quae viris optime meritis decreta eiuſdem ſplendidiſſimi Ordinis decus, & maieſtatem non obſcure declarant. Inter haec principem ſibi vindicat locum allatum marmor, in quo quidem non pauca notanda ſunt. Certo conſtat anno MDLXXV. in maiori Arretii platea inventum eſſe, quum porticus magnifici operis ſubſtructiones fierent, iuxta archetypam delineationem eximii Pictoris, & Architecti Arretini Georgii Vaſarii; quodque procul dubio baſis frontem exornaſſe arbitror, ſupra qua ſtatua publice in Foro collocata fuerit in honorem L. Petronii Tauri Voluſiani, Patroni optimi Arretinorum, qui pluribus honoribus domi foriſque auctus Romanam Rempublicam, clienteſque ſuos egregie nobilitavit.

Facile id intelligi poteſt ex adpoſita eiuſdem marmoris interpretatione, quae ad hunc maxime modum ſe ſe habet. *Lucio Petronio, Lucii Filio, Sabatina, Tauro Voluſiano, Viro Conſulari Ordinario, Praefecto Praetorio, item Urbi, Praefecto Vigilum, Perfectiſſimo Viro, Tribuno Cohortis Primae Praetoriae, Protectori Auguſtorum noſtrorum, item Tribuno Cohortis Quartae Praetoriae, Tribuno Cohortis Undecimae Urbanae, Tribuno Cohortis Tertiae Vigilum, Legionis Decimae, & Decimae quartae Geminae Provinciae Pannoniae ſuperioris, item Legionis Dacicae, Praepoſito Equitum Singularium Auguſtorum noſtrorum, Praepoſito Legionis Triceſimae Ulpiae, Centurioni Deputato, Equo Publico ex Quinque Decuriis, Laurenti Lavinatium, Ordo Arretinorum Patrono optimo.*

Protulit Gruterus hanc inſcriptionem, ſed levibus quibuſdam reſperſam mendis, ex Schedis Urſini pag. MXXVIII. 2. rurſumque ex eo Fabrettus Inſcriptionum antiquarum Cap. V. n. 69. utrique etiam locum non indicarunt ubi exſtaret.

Lucius igitur Petronius, ut ſingula breviter percurram, quem

quem Patronum ſibi adſcivere Arretini, Romae magna tum dignitate, tum auctoritate floruit. Id enim unum clientes curabant, ut Romanis civibus, qui gratia, & favore apud Senatum, & Imperatores plurimum poſsent, ſe ſuaſque fortunas commendarent; quod ex pluribus editis antiquis lapidibus, & ex Ciceronis praeſertim teſtimonio ſatis ſuperque cognitum eſt. Petroniorum domus Romae fuit in Aventino, ut putat Reineſius, Claſſe VI. n. 123. quo in loco, inter plurima domus rudera, inventa fuit vetus Tabula P. Petronio Honorato dicata a Negotiatoribus Oleariis ex Baetica, qui miſſis Romam Curatoribus, eum ſibi Patronum cooptarunt. In Sabatina Tribu Petronium Taurum Voluſianum cenſum fuiſſe conſtat ex allato Arretinorum marmore; quare ſuſpicari aliquis poſſet eum Volaterris originem habuiſſe. Nam, ut vidimus, Sabatina Tribus propria civium Volaterranorum fuit; itemque ex allatis Volaterranorum inſcriptionibus perſpicuum eſt Petroniam gentem praecipuis honoribus in eo Municipio functam fuiſſe. Adeundus Iohannes Glandorpius in Onomaſtico Romanae Hiſtoriae, qui huiuſce Familiae decora, illuſtreſque viros recenſet. Sed id certo adfirmari non poteſt, quum una eademque Tribus pluribus Municipiis, & Coloniis communis non raro fuerit; quod ut probem, illud ſolum dicam, in Scaptia Tribu non ſolum Florentinos cenſos fuiſse, verum etiam Faeſulanos, Nolanos, Narnienſes, quod diſerte vetuſta marmora teſtantur.

Libet id confirmare eorumdem lapidum teſtimonio: Probe omnibus eruditis perſpectum eſt in Stellatina Tribu Cortonenſes ſuffragia tuliſſe, ut inferius conſtabit; & tamen eam quoque Beneventanis communem fuiſse, indicat ſequens ſepulcralis ineditus Titulus, ibidem erutus, qui exſtat in Eccleſia S. Feſti, ex MS. Codice Illuſtriſs. V. Gregorii Baiulivi Redii, ex Equeſtri Ordine, Patricii Arretini.

Id etiam clariſſime liquet Ordini ampliſſimo ſplendidiſſimoque Decurionum, qui in Coloniis, & in Municipiis idem erant ac Romae Senatores, haud accenſos niſi eiuſdem Colo-

Coloniae, ac Municipii cives, qui centum millium nummùm, nempe duorum millium, ac quingentorum scutatorum facultates haberent. Illud etiam addam, viros eiusdem familiae interdum diversae Tribui adscriptos fuisse, & fratres ipsos, quod observari potest apud Gruterum in Romano lapide MXLI. 10. Sed ecce praelaudatus Titulus.

C. TVCCIVS. C. FIL. STELL. SA
BINVS BENEVENTI DECVRIO
VIVVS SIBI ET OFILLIAE
PARATAE VXORI ET TVCCIO
VERECVNDO FRATRI
POSTERISQ. SVIS. FECIT

Sed ut ad Arretinum honorificum lapidem illustrandum propius accedam, L. Petronius Taurus Volusianus Consul ordinarius fuit cum Imperatore P. Licinio Gallieno Augusto IIII. Consule, anno U. C. 1013. Christianae autem AErae anno 261. ut ostendit in Consularibus Fastis Relandus, testanturque summi viri Panvinius, Petavius, & Calvisius; quamvis apud Cassiodorum, & in Prosperi Chronico pro *Volusiano*, *Gentianus* perperam ponatur. In nullis ad hanc diem editis vetustis saxis notatus est consulatus Volusiani nostri cum Gallieno. Insigne monumentum nuper produxit praeclarissimus Praesul Franciscus Blanchinus ex Museo Eminentissimi Principis Alexandri Cardinalis Albani, in Appendice ad finem Chronologiae Tomi III. ad Anastasium pag. CXXVIII. in quo Imperatoris Gallieni Consulatus IIII. & Volusiani illustri occasione fit mentio; nempe Sentinatium Collegio aeream Tabulam patrocinii offerente per Legatos, Coretio Fusco eiusque filiis, necnon Vesiae Martinae eius coniugi, quos iampridem Patronos

per

per diploma, ob egregia eorum merita, cooptaverat. Secundus post Blanchinum eruditorum oculis eamdem aeream Tabulam libenter subiicio; quae latitudine palmos duos, uncias tres complectitur, altitudine vero duos & semis, cum elevatione tympani perpendicularis unius palmi; quod nempe genuino documento tum praelaudatum Consulatum Gallieni Augusti IIII, & Volusiani confirmet; tum etiam in cooptandis Patronis solenne institutum, de quo infra, egregie declaret. Sed en ipsa Tabula, eadem cum orthographia uti ex archetypo accurate descripta est.

IMP GALLIENO AVG . IIII . ET VOLVSIANO COS
XV KAL SEPTEMBRES

SENTINI IN TRICLINI DOMVS CC. NVMERVM HABENTI
BVS SEQVELLA EIVSDEM COLLEGI IBI REFERENTIBVS CASIDIO
SEVERO PATRE N. N. ET HELDIO PEREGRINO PARENTE CVM SIT
OPORTVNVM CREBRIS BENEFICIIS ET ADFECTIONEM AMORIS
ergA N. N. EXIBENTIBVS ADSISTERE ET MVNIFICENTIA
m eoRVM SICVT OPORTVNITAS TESTIMONIVM PERHIBERET
reMVNERARE IGITVR SI CVNCTIS VIDETVR CORETIVM FVSCVM
SPLENDIDVM DECVRIONEM PATRIAE N SED ET PATRONVM TRIVM
COLL. PRINCIPALIVM ET VESIA MARTINAM CONIVGEM EIVS
PATRONAM SED ET CORETIV SADINVM FILIVM EORVM IAMPRIDEM
PATRONOS PER DVPLOMVM A NVMERO N COOPTATOS NVNC TABVLAM
AEREAM PATRONATVS EIS OFFERRI VT MERITO HONORE PRO MERI
TIS INNOTESCAT Q. F. P. D. E. R. I. C C

QVOD IN PRAETERITVM CORETI FVSCI PATRONI VPSIAESIAE MARTINE
PATRONE ET CORETI SABINI FILI EORVM ERGA AMORE BENEFICIA PRAES
TITA SVSCEPERIMVS NVNC ETIAM IN FVTVRVM NON DISSIMILIA QVAE
NVNC SENTIMVS PERPETVO EX DOMVM EORVM PROCESSVRA PARI ADFEC
TIONEM SPERAMVS ATQVE IDEO CONSENTIRE RELATIONI BB. VV. CASIDI
SEVERI PATRIS N̄. N̄. ET HELBI PEREGRINI PARENTIS ET AD REMVNERANDAM
EORVM BENEVOLENTIA QVO LAVTIVS ADQVE PVLCHRIVS DIGNE HONOREM
SIBI OBLATVM SVSCIPERE DIGNENTVR DECRETVM ET IN TABVLA AEREA
PERSCRIPTVM EISQVE ET A NOBIS PROFECTVM EST LEGATOSQVE
FIERI PLACVITQVE HANC TABVLAM DIGNE PROSEQVI
SATRIVS ACILIVS SATRIVS CLEMENS
V' OESIDENVS MEGELLINVS VASSIDENVS VERINVS
CASIDIVS SEVERVS AELDIVS PRIMVS HELDIVS PEREGRINVS
BRITTIVS MAXIMVS AELIVS HONORATVS PROLVIVS HILARINVS AETRIVS
TERMINALIS GAVIVS FELICISSIMVS SATRIVS IANVARIVS CASIDIVS ROMV
LVS AETRIVS VERNA SATRIVS VPSVS

De Praefectorum Praetorio, & Urbi praecellentissimis dignitatibus, Principi proximis, maximae potestatis, summique imperii, & animadversionis, quibus exornatus est L. Petronius Arretinorum Patronus, quum multa scripserint viri docti, nil dicendum superest, nisi aliorum scrinia expilare quis velit. Calvisio auctore L. Petronius Praefectus Urbi fuit anno U. C. 1019. Christi vero 267. Paterno, & Arcesilao Consulibus; iterumque consequenti anno Paterno iterum, & Mariniano Consulibus, quamvis alii contra sentiant, quemadmodum Felix Contelorius, qui in laterculo Praefectorum Urbi, quod concinnavit, Urbis Praefecturam gessisse tradat anno Christiano *269*.

Principe in loco, nempe digniori, haec munera Volusiani in marmore recensentur, quae viris spectatae maximaeque virtutis, & nobilitatis, tantumque Equestris ordinis conferebantur; post haec alia minus splendida, sed summi honoris potestatisque memorantur; videlicet Praefectura Vigilum. Scriptum est VIGVL. id est VIGVLVM, pro VIGILVM; eodem exemplo ut *optumus*, *maxsumus*, *aurufex*, pro *optimus*, *maximus*, *aurifex*; nam I in V usitata priscis seculis scribendi ratione non raro convertuntur.

Vigilum Cohortes Romae septem omnino fuere, quae in Florentinis antiquis Tabulis, imperante M. Aurelio Antonino Augusto scriptis enumerantur; quas in Prima Parte pag. 125. & 129. vulgavimus; & colligitur ex aliis inscriptionibus, quae a Grutero pag. DXXVI., & a Fabretto afferuntur Cap. IV. pag. 258. & sequentibus. Septem Cohortium numerus ad Pauli I. C. qui tertio post Christum seculo floruit, tempora perduravit, ut in L. *nam salutem* 3. D. de Officio Praefecti Vigilum. Incendiis restinguendis, agendisque nocturnis excubiis, ac vigiliis ab Augusto institutae sunt, Suetonio teste; eaque cura, & ordine ut una duabus Regionibus praeesset, uti ex antiquo fragmento manuscripto Victoris evidenter ostenditur apud eumdem Fabrettum in loco suprascripto. Septimam Vigilum Cohortem SIPONARIORVM, hoc est *Siphonariorum* denomi-

nominatam fuisse ostendo ex veteri lapide Florentino in Urbanis Hortis Marchionum Corsiniorum pag. 131. num. 16. quod scilicet Vigiles siphonibus ad incendia restinguenda uterentur. Vide sis doctissimum Adrianum Turnebum in Libro XIX. Cap. XXIII. Adversariorum. Plinius Secundus Libro X. in Epistola ad Traianum, in qua Nicomediae incendium factum vastissimum describit, siphones, hamas, aliaque instrumenta ad incendia extinguenda adhibita fuisse confirmat; adeoque instituendum monet Collegium Fabrorum, ne desint instrumenta ad incendia compescenda. De hamis adhibitis a Cohortibus Vigilum, quae stipendium de publico accipiebant, Dione teste Libro LV. meminit quoque Iuvenalis Satyra XIV. v. 404. his verbis:

Dispositis praedives hamis vigilare Cohortem
Servorum noctu Licinus iubet, attonitus pro
Electro, signisque suis, Phrygiaque columna.

Ex quibus etiam liquet nobilissimos viros eidem muneri praepositos fuisse, qui a Paulo I. C. *super omnes Spectabiles* appellantur. De auctoritate vero, ac potestate Praefecti Vigilum haec idem clarissimus legum interpres subiungit: *Cognoscit Praefectus Vigilum de incendiariis, & effractoribus, furibus, raptoribus, & acceptatoribus, nisi si quae tam atrox, atque facinorosa persona sit, ut Praefecto Urbi remittatur; & quia plerumque incendia culpa fiunt inhabitantium, aut fustibus castigat eos, qui negligentius ignem adhibuerunt, aut severa interlocutione comminatus, fustium castigationes remittit.* Praeterea, quod attinet ad splendorem officii, & dignitatis Praefecti Vigilum, is non solum *Spectabilis* titulo decoratur in Pandectis, & *Clarissimi* in Codice, verum etiam *Perfectissimi viri* appellatione exornatur in hoc Arretinorum perhonorifico lapide, atque in pluribus aliis, qui a Grutero afferuntur pag. MLXXXVI. 9. 10. & a Fabretto Cap. IV. Inscriptionum antiquarum n. 170. Item in Basi Musei Ciampini Herculi sacra, posita Alexandro Augusto iterum, & Marcello iterum Consulibus anno U. C. 978. Christi 226. Praefecti Vigilum *Perfectissimi viri* appellantur. Quo monumento

antiquitas *perfectissimatus* dignitatis ostenditur, quam etiam ad vetustiorem originem deducit V. C. Iustus Fontaninus Archiepiscopus Ancyranus Lib. I. Cap. III. de Antiquitatibus Hortae, ex Codicis Iustinianei Lib. IX. tit. XLI. Lib. XI. ubi Diocletianus narrat M. Antoninum decrevisse ne filii perfectissimorum virorum poenis plebeiorum afficerentur; ex quo videntur Perfectissimi ultra etiam M. Antoninum ad Domitianum usque reduci posse. *Perfectissimatus*, Graecis Διασημότης, & Τελειότης Gregorio Nazianzeno Epistola 129. proxima *Clarissimatui* dignitas, non tantum Praefecto Vigilum tributa, verum etiam Praesidibus, & Correctoribus Provinciarum, nempe Arabiae, Delmatiae, Hispaniae Tarraconensis, ut in Gruterianis observat Reinesius in 9. CCLXXXIII. citerioris in 7. CCLXXXI. in 3. MXXVII. item Praefecto annonae in 6. MLXXXVI. Magistro Census L. XXXII. de Epist. & Clericis aliisque, quos ipse enumerat ad 28. Classis VI.

Paullo post idem L. Petronius Taurus Volusianus fuisse dicitur Tribunus Cohortis Tertiae Vigilum, itemque Tribunus Cohortis Primae, & Quartae Praetoriae, & Cohortis Undecimae Urbanae, quae item ad Principis tutelam, Urbisque custodiam ab Augusto institutae sunt, ut Dio, & Tacitus testantur. Ex Romana Tabula Gruteriani Thesauri CCLXIX. 3. intelligimus quo ordine in qualibet Vigilum Cohorte officia inter se disposita, distributaque essent, nempe Praefecto, Sub-Praefecto, Tribuno, Septem Centurionibus, [qui tamen Centurionum numerus in duobus Florentinis Tabulis, quae, ut supra diximus, ad VII. Cohortes Vigilum spectant, constans in omnibus non est, ut conferentibus patebit] Corniculario Tribuni, quinque Beneficiariis Praefecti, & Medicis, qui omnes imperio, dignitate, & officio ceteris militibus praestabant.

Legiones quoque in allato marmore enumerantur, quibus Tribunus praefuit L. Petronius, nempe Legio Decima, & Decimaquarta Gemina Provinciae Pannoniae superioris; item Legio Dacica. Legionis vero Tricesimae Ulpiae Prae-

posi-

positus, sive Praefectus fuisse dicitur; utrumque enim siglae PP indicare possunt. De Praefecto Legionis cumulatissime Vegetius Libro I. de Re militari Cap. IX. Nil enim moror in his militaribus officiis, & dignitatibus explicandis, ne allatis auctorum testimoniis integras occupem paginas, quum facile, si operae pretium sit, adire eos quilibet possit. Centurionem vero *deputatum*, hoc est ab aliis distinctum, separatum, selectum, aliquo gradu supra ordinarium Centurionem constitutum fuisse puto; cuius praecipuum munus fuerit non solum castramentationi, ceterisque militaribus operibus praesidere, vias explorare, tuerique arces, uti ex anaglyphis Traianae Columnae Centurionis munia ostendit Fabrettus Cap. VII. pag. 186. 187. verum etiam qua ope, & consilio posset, ipsum Centurionem iuvare, dirigere in omnibus. Deputatio enim aliquam praecellentiam, & praeeminentiam importare videtur, qua quis ad aliquid peragendum prae aliis eligitur, & deputatur.

Illud praeterea in hoc honorario lapide inter alia scribitur L. Petronium Taurum Volusianum fuisse Protectorem Augustorum, nempe Valeriani, & Gallieni Imperatorum, itemque Praepositum Equitum Singularium eorumdem Augustorum, duplici militiae gradu insignitum; quare Fabrettus, praeter Hygini disertissimum testimonium, hinc deducit Equites Singulares diversos fuisse a Protectoribus, quos confundere videntur Salmasius in opere postumo de Re militari Romanorum Cap. XX. & Sponius in Miscellaneis Sect. VII. pag. 258. Diversos item arguo Equites Singulares ab his qui Equo Publico, idest donati equo publico ab Imperatoribus honoris caussa dicuntur; quod militare decus consecutum fuisse L. Petronium docet marmor; narratque fuisse Equum Publicum ex quinque Decuriis, de quibus supra ad Pisanum lapidem diximus pag. 20. n. 14. nec desunt exempla in Gruterianis CCCCLXXXIV. 3. & CCCCLXX. 6. praepostero item ordine *Ex V. Decuriis Equo Publico*. Protectores σωματοφύλακες, non custodes solum corpore, sed corporis Principis custodes,

des, ut oſtendit Gutherius de Officiis Domus Auguſtae, Libro II. Cap. XV. quos nos diceremus *le Guardie del Corpo*, armatam militiam ſubibant, & protegendi lateris Principis ſolicitudinem patiebantur; ut ex Ocriculano lapide ex Collectaneis Donianis Cl. I. n. 170. perſpicuum eſt. Equites autem Singulares, ſive Singularii, ab Auguſto inſtituti, a ſiniſtris Imperatoris in acie ſtabant, ordine, ac dignitate proximi Praetorianis, qui a dextris ſtabant.

Poſt haec ſequuntur notae LAVR. LAVIN. quae aliorum lapidum auctoritate explicantur, *Laurenti Lavinatium*. Ita diſerte in Grutetianis CCCXLVII. 1. CCCCIX. 8. CCCCXL. 3. CCCCXX. 2. item penes Reineſium Cl. XII. n. 114. qui ad civium diſtinctionem, qui Lauro-Lavinii, vel Laurentes Lavinates, vel converſo ordine, ut apud Fabrettum Cap. X. n. 314. Lavinates Laurentes nominantur, putat eos, qui in ſupraſcriptis ſaxis *Laurentes Lavinatium* dicuntur intelligendos eſſe ex religioſo coetu, Iunonis fortaſſe Sacerdotio conſecratos fuiſſe. Conſtat enim conſecratione, & veteri lege Iunonem Lavinii cultam fuiſſe, quae inde Lavinas appellata; inſtitutumque ibi Deae Sacrum, & Sacerdotium Sodalitiumque Sacerdotum eidem Sacra facientium. Sed ne totum Reineſium ſupervacaneo labore heic exſcribam, operae pretium eſt ut ipſum conſulas.

In fine huiuſce lapidis honorifica appellatione L. Petronius dicitur PATRONVS OPTIMVS Arretinorum, quare ex ea intelligitur quae cauſſa fuerit dedicationis huiuſce Inſcriptionis, procul dubio ſubiectae ſtatuae eiuſdem Petronii, eo adhuc vivo, cum quo Arretini hoſpitalem teſſeram fecerunt. Sed de Titulis, quibus Patroni honorantur, dicam paullo infra; libet nunc de Patronorum origine, dignitate, munere, & de honoribus, quos conſequebantur, nonnulla afferre, quae legenti mihi veteres lapides optimoſque auctores notatu digna viſa ſunt, quaeque fortaſsis haudquaquam erunt eruditis viris omnino iniucunda. Ea ſiquidem vis eſt eximiae virtutis, ſi ſumma cum nobilitate coniuncta ſit, ut ſtatim alliciat homines ad amandum, omnium-

niumque animos admiratione perstringat. Hinc solemni tum Graecorum, tum Romanorum instituto factum est, ut Municipia, & Coloniae, foederataeque Civitates, ac Provinciae eos sibi patronos deligerent, in quibus summam praestantiam, summumque nobilitatis splendorem esse animadverterent; quorum mutua inter se officia late describit Dionysius Halicarnasseus Antiquitatum Romanarum Lib. II. Quemadmodum enim Numina, & Genii, veteri gentium more, tutelae Urbium, Familiarum, Fontium, Silvarum locorumque omnium praepositi sunt; ita Patronis Civitatum, Collegiorum, Corporumque, salus, incolumitas, vitae honorisque praesidium antiquitus est commendatum; qui etiam alio nomine Defensores Rerumpublicarum appellati sunt, uti ex antiquo marmore intelligi potest apud Gruterum pag. CCCCLV. 2. Quo instituto, Evangelii luce per totum terrarum orbem diffusa, paullatim sublato, eximiae sanctitatis Heroes, qui cum Christo in Caelis exultant, ut diximus, Urbium Christianarum praesidio, & tutelae sunt constituti, & Patroni nuncupati.

Igitur ii Patroni cooptabantur a Municipiis & a Coloniis Romanorum, qui splendido loco egregiisque maioribus nati essent, qui domi forisque clari extitissent, omnibusque honoribus per gradus in Romana Republica perfuncti esent; qui Romano sanguine fati primores esent in Urbe aeterna, & praepotentes Cives; quorum opera, si opus eset, apud Senatum, & Imperatores uterentur. Nam, teste Dionysio Halicarnasseo, loco suprascripto, constat saepe numero Senatum controversias civitatum, ac gentium ad earum patronos remisisse, eorumque iudicia rata habuisse. De his consulendus Sigonius de antiquo Iure Italiae Libro II. Cap. 4. qui eorum originem Romulo adscribit. Ita Puteolani in clientela Brutorum fuere, ut memoriae prodidit Cicero in Philippica II. Bononienses Antoniorum, teste Suetonio c. 17. in Augusto; Tralliani Flaccorum, ex Ciceroniana pro Flacco n. 24. Siculi Marcellorum, ex Verrina sexta, & ex Livio Libro

XXXVI

XXXVI. Lacedaemonii Claudiorum, ex Suetonio c. 6. in vita Claudii; Allobroges Fabiorum, Arretini Claudiorum, ut ostendit Borghinius in Dissertatione de Origine Urbis Florentiae pag. 193. Capuani M. Tulli Ciceronis, auctore Plutarcho in eius vita, eodemque Tullio in Pisoniana, & fortassis, ut diximus, Volaterrani. Tifernates C. Plinium Secundum, Pisani Caium Caesarem patronos adsciverunt, cui statuas, arcum triumphalem, divinos honores, & inferias quotannis publico omnium civium moerore perficiendas decrevere; quare summa cum laude eumdem Caium Caesarem appellant Pisanae COLONIAE VNICVM PRAESIDIVM.

Frequenter etiam patrocinii, & clientelae decus delatum nobilissimis viris, si in decretis cautum esset, ad liberos posterosque ipsorum extendebatur, continuabaturque in eorum domo; cuius honoris exemplum adferre libet in sequenti aerea hospitali Tessera.

DD. NN. CRISPO ET CONSTANTINO
IVNIORE NOBILISSIMIS CAESSIT COSS *sic*
III. NON... EX... L ORDO M DIDI
TANORVM HOSPITIVM AMICITIAMQVE
FECIT CVM Q. ARADIO VAL PROCV
LO V. C. ET IPSVM LIBEROS POSTEROSQVE
EIVS SIBI LIBERIS POSTERISQVE SVIS
PATRONVM COOPTAVIT
Q. ARADIVS VAL. PROCVLVS V. C. PRAE
SES PP. HOSPITIVM AMICITIAM
QVE FECIT CVM ORDINE M DIDI
TANORVM IPSOS LIBEROS POSTEROS
QVE EORVM SIBI LIBERISQVE SVIS.
IN FIDEM CLIENTELAMQVE SVAM
POSTERORVMQVE SVORVM RECEPIT
AGENTE ORDINE

Haec Romae servatur in Museo Strozio; quae edita est a V. C.

V. C. Henrico Brencmanno I. C. celeberrimo, & Academico Florentino, in Appendice Fastorum V. C. Hadriani Relandi, pag. 858. quam, ni fallor, secundus in lucem profero.

Liberi posterique, qui in amicitiam, fidem, & clientelam post parentes succedebant, dicebantur PATRONI AB ORIGINE, ut in Surrentinorum lapide penes Reinesium Cl. VI. n. 39. & Fabrettum Cap. V. n. 287. vel PATRONI LONGE. A. MAIORIBVS. ORIGINALES, quemadmodum Postumus Lampadius V. C. & inlustris, Patronus Capuanorum, apud eumdem Fabrettum n. 287. vel COMMVNES. AB. ORIGINE PATRONI, uti appellatur a Suessanis in marmore penes Gruterum MXXVII. 3. L. Mamilianus Licinianus V. C. qui dignitatem originis suae cumulasse dicitur, quum omnibus honoribus, muneribusque innocenter in patria sua functus esset. In alio apud eumdem pag. MXCIV. 2. laudatur L. Faesellius Rufio Patronus Ariminensium, quod liberalitates in patriam civesque A. MAIORIBVS. SVIS tributas, exemplis suis superaverit. Patronorum filii utriusque sexus, item coniuges, ob merita patrum, & virorum, summis honoribus exornabantur, statuisque donabantur post mortem, quemadmodum complures lapides testantur.

Nulla quoque in deligendis Patronis habita aetatis ratio: nam pueros non me latet Patronos cooptatos interdum fuisse ob insigne meritum, egregiamque virtutem. Tifernates paene adhuc puerum patronum sibi adoptaverunt C. Plinium Secundum, ut ipse testatur in Epistola I. Lib. IV. apud quos, ne amore vinceretur, templum sua pecunia construxit. Idem a Puteolanis factum testatur marmorea basis paucis ab hinc annis reperta Puteolis, edita inter Inscriptiones Selectas a V. C. Iohanne Vignolio pag. 323. quam cum statua universus Ordo, & Populus Puteolanus posuit T. Annonio Boionio Chrysantio puero egregio, eiusdem Ordinis, & Populi AB ORIGINE PATRONO; anno U. C. 913. Christi 161. M. Aurelio Antonino Caesare III. L. AElio Aurelio Vero Caesare II. Consulibus; magnopere

claro ob ſua merita, & Boioniae gentis ſplendorem, quae ad maternam Imperatoris Antonini Pii familiam pertinebat.

Tanto honore quum Patronos proſequerentur ad amoliendam adulationis ſuſpicionem egregia eorum merita vel maiorum memorabant, ut in Ariminenſium marmore penes Gruterum pag. MXCIV. 2 vel inſignem eorum benevolentiam, quod Colonias, vel Municipia publicis aedificiis exornaſſent, balnea condidiſſent, gratuitam lavationem dediſſent, ludos feciſſent, gladiatorum paria dediſſent, quod ope, conſilio, & auctoritate eos iuviſſent, quod denique magnorum honorum commodorumque auctores fuiſſent, aliaque huius generis beneficia praeſtaſſent, quae in antiquis marmoribus poſterorum memoriae conſignata leguntur. Nec ſine ratione, ut obſervat Radulphus Fornerius Rerum quotidianarum Libro IV. Cap. 4. nam in his additur ea clauſula EX AFFECTV IVRE DEBITO; fortaſſis, ad amovendam adulationis ſuſpicionem, L. 1. C. de ſtatuis, & imaginibus. Placet id adnotare expreſſum in aliquibus inſcriptionibus, ut apud Gruterum pag. CCCLXI. 1. in ara dicata L. Aradio Valerio Proculo, de quo paullo ante meminimus, a Corpore Svariorum, & Confectuariorum, in qua additur id factum AVCTORIBVS PATRONIS eiuſdem Corporis, quo teſtatior eſſet eorum affectus; itemque in 1. CCCLV. & CCCCVIII. Eadem clauſula EX ADFECTV, vel OB ADFECTIONEM, occurrit in hoſpitali Tabula aenea, ſuperius relata, ex Muſeo Albano; itemque in ſequentibus, quas V. C. Blanchinus diligenter deſcripſit; & hoc loci referre placuit, quod multa in his ſint paullo infra notanda. Quae ſequitur alta eſt palmos Romanos duos, lata palmum unum, uncias IX. altitudini additur tympanus triangularis, elevatus uncias IX. In capite nomina Conſulum recenſentur, ex quibus Faſti Conſulares illuſtrantur, notaturque anno U. C. 1012. Chriſti 260. iterum Conſulem fuiſſe Iunium Donatum cum P. Cornelio Saeculare iterum Conſule, quod ex editis Faſtis liquido non conſtabat.

P. COR-

P CORNELIO SAECVLARE II ET C IVNIO DONA
TO II COS IIII NON DEC

OSTRE IN MVNICIPIO COLL. CENTON. CVM SCHOLA SVA FREQVEN
TES. SCRIBVNDO ADFVISSENT IBIQVE REFERENTE L. VESSIDIO FOR
TVNATO QQ VNIVERSORV CONSENSV VERBA SVNT FACTA
QVANTO AMORE QVANTAQVE MVNIFICENTIA M N N CARENVS VIBI
ANVS ORNASSE PALA EST CVIVS IMPARES BENEFICIIS AD
REMVNERANDAM EIVS ADFECTIONEM QVERERE REMEDIA
DEBERE SED PRECIPVVM AQVE LAVDABILEM COMMVNIS VOTI
REPERTVM CONSILIVM VT CORETIVM VICTORINVM AD GENVS AE
IVS ET HONORES PERTINENTEM VEL AC OBBLATIONE MVNEREMVS
ET PATRONVM AEVM IAMDVDVM LECTVM PVBLICA TESTIFICATIO
NE MANIFESTETVR IGITVR SI CVNCTIS VIDETVR TABVLAM AEREAM
CONTINENTEM TESTIMONIVM CIRCA EVM NOSTRE ADFECTIONIS
IDEOQVE . Q. R Q F R DE AEAR . V. I CENSVERVNT
PLACERE CORETIO VICTORINO PATRONO N N TABVL AEREAM CONTI
NENTEM VERBA DECRETI NOSTI OFFERRI PER VESSIDIVM FORTVNA
TVM CORNELIVM TERTIVM QQ PVBLILIVM MAXIMINVM
AVRELIVM VRSINVM . VALERIVM IVSTVM
COCCEIVM MERCVRIALEM ANTISTIVM MAXIMVM
OCTAVIVM CLEMENTEM PETRONIVM FELICEM
VESSIDIVM FILOQVIRIVM OCTAVIVM TAV
RVM SATRENV SVPERVM VESSIDIVM VERECVNDV
STATIVM FAVSTVM LEGATOS

Oblatam vides Patronis aeream ſcriptam Tabulam, & quidem TITVLIS ORNATAM, ut legitur in altera, quam infra pag. 208. exhibemus, quod etiam obſervatum fuiſſe non dubito in deferendis patronatus inſignibus L. Petronio Tauro Voluſiano Patrono Arretinorum, qui hac tempeſtate vivebat.

Ad aeream Tabulam hoſpitii, clientelae, amicitiaeque teſſeram Patronis offerendam Legati decreti, qui Legationis munus honorifice agerent remque digne proſequerentur; quam ſummi viri interdum gratuitam, vel ex communi pecunia ſuſcipiebant. Legatorum officio functi Duumviri, AEdiles, interdum duo ſumma nobilitate, ac virtute praeſtantes viri, qui *Curatores* patrocinii nuncupantur in aliquibus Tabulis; interdum univerſus Ordo: Collegiorum vero vel Corporum, ac Sodalitatum Quinquennales viri, & cum his primores eiuſdem numeri, qui, ut in allatis Teſſeris, vel quatuordecim, vel ſexdecim numerantur.

Cc 2 Decre-

Decretum cooptationis patrocinii priusquam conficeretur, quum in Curia, in Basilicis, vel in AEde Deorum, vel in Schola, vel in Templo, aut in Triclinio, ut Collegia facere solebant, teste superiori Tabula pag. 193. & Gruteriana pag. MCI. 1. convenissent, data cura primoribus numeri legitur, ut merita eius Viri, qui in Patronum cooptandus erat referrent laudarentque; quibus relatis, omnes unanimi consensu quid de ea re faciundum esset censebant, deputabantque Legatos ex ordine mittendos Patrono, qui ab eo impetrarent ut in clientelam domus suae Municipium, vel Coloniam, vel Collegium universumque Ordinem recipere dignaretur, Patronumque se cooptari, tum etiam liberos posterosque suos, si id expresse cautum esset: excusata non raro tardae cogitationis necessitate, quod scilicet, ut oportebat, id antea factum non fuisset, ut notari potest in Regiana Tabula penes Gruterum pag. MCI. vel multo antea Patronum electum dicebant, ne in deferendis meritis honoribus segnes fuisse viderentur. Iam enim supra observavimus Patronos antequam aerea Tabula donarentur, quae hospitii, & clientelae perpetuum esset testimonium, per diploma cooptatos esse. Horum diplomatum fit mentio apud Tacitum Libro II. Histor. 54. & 65. & apud Plinium Libro X. Epist. 14. 54. 121. Nero Claudius Caesar, teste Suetonio in eius vita Cap. 12. *exhibuit & Naumachiam, marina aqua innantibus belluis; item Pyrrhichas quasdam e numero epheborum, quibus post editam operam* diplomata *civitatis Romanae singulis obtulit.*

Tabula vero hospitali decreto incisa antequam in domo Patroni poneretur, publice conspicuo in loco exponebatur, affigebaturque templis vel Deorum, vel Augustorum; quod in cooptatione T. Pomponii Bassi Clarissimi Viri factum, testatur eadem Tabula, quae exstat in Museo Mediceo, superius edita in Parte I. pag. 65. in qua ad finem, ut monuimus pag. 67. notatur ad Augusti Templum fixam fuisse. Hinc apud Gruterum in extremis oris perforatae conspiciuntur plures aereae Tesserae hospitales pag. CCCLXII.

CCCLXII. 1. 2. CCCLXIII. 1. 3. CCCLXIV. 1. itemquè duae Graecae pag. CCCC. 8. CCCCI. 1. quarum prima decretum continet Senatus, & populi Melitaeorum, qui patronum sibi adsciverunt Demetrium Diodoti filium Syracusanum posterosque eius, ob singularem eius in omnes cives, ac populum amorem, & beneficentiam; altera vero Agrigentinorum est, qui cum eodem Demetrio hospitium clientelamque fecerunt, in qua notatur decretum in duabus Tabulis aeneis incisum fuisse, iussumque ut una Tabula in Curia poneretur, altera vero data eidem Demetrio Syracusano, perenne esset eius benevolentiae, ac studii erga Populum Agrigentinorum monumentum; in quibus praeterea observamus solemne etiam apud Graecos institutum fuisse mittendi Legatos, qui Patronis hospitium offerrent; & quemadmodum decretum auspicatum in his legitur illis verbis, ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ *Bonae Fortunae*; ita in aliquibus Latinis Tesseris apud Gruterum CCCLXIII. 1. CCCLXIV. 1. praeponitur seu boni ominis caussa, seu quodam more, tum in rebus omnibus gerendis, tum in cooptandis Patronis usurpato, acclamatio, FELICITER, vel B. B. hoc est, *bene bene*; quasi omnia secundum vota bene, ac feliciter evenissent. Impensae vero hac de re a Legatis factae interdum a Patronis remittebantur.

Susceptis libenter a Patronis in fidem, & clientelam Municipiis, & Coloniis, vel etiam Collegiis, adfixaque in eorum domo, memoriae caussa, ahenea Tabula, hospitali decreto incisa, ut si quando clientes Romam venirent in eorum domibus, & palatiis hospitarentur, alii honores iisdem decernebantur parabanturque; nempe statuae vel equestres, vel pedestres, vel e marmore, vel ex aere, saepenumero inauratae; quo honoris genere donatus est Cicero a Capuanis, ut ipse testatur in Oratione contra Pisonem n. 19. quae statuae insigni item in loco ponebantur, & dedicabantur, vel in Curia, vel in Basilicis, vel in Foro, vel in Templis, vel etiam in Theatris, & Amphitheatris; in quibus saepe erutae sunt statuae illustrium Virorum; quod & in

in Florentino nostro evenisse clare testatur Vincentius Borghinius in Dissertatione de Origine Urbis Florentiae. De his meminit Plinius Libro CCCIV. Cap. 6. Naturalis Historiae, Seneca VI. de beneficiis 8. & 1. ult. C. de Statuis, & Imaginibus, praeter sexcentos lapides, qui id confirmant, quod etiam Emundus Figrelius de Statuis illustrium Romanorum observat Cap. CIII. Ita a Pisanis in Foro positam statuam basemque laudibus inscriptam patri suo, Praetori Etruriae, Quaestori, & Comiti sacrarum largitionum testatur Rutilius Numantianus Gallus in suo Itinerario v. 575. his verbis.

Hic oblata mihi sancti genitoris imago,
Pisani proprio quam posuere Foro.
Laudibus amissi cogor lacrymare parentis,
Fluxerunt madidis gaudia moesta genis:
Namque pater quondam Tyrrhenis praefuit arvis,
Fascibus & senis credita iura dedit.

Quo in carmine formam situmque veterem Pisarum accurate describit, ex quo, ut observat doctissimus Petrus Victorius variarum Lectionum Libro XVII. Cap. 3. intelligi potest quantum situs, & forma totius regionis hoc tempore sit immutata. Inscriptionis fragmentum supra dedimus pag. 18. n. 12. Pisano civi dedicatae, Praefecto Urbis, & Feriarum, Praetori Etruriae, ob insignia in patriam beneficia.

Sed ut revertar ad honores, quibus Patroni posterorum memoriae consecrabantur, statuis additae bases leguntur, ornatae subscriptis Patronorum laudibus, ac titulis; in quibus enumeratis eorum honoribus, & officiis adpellabantur *optimi, praestantissimi, indulgentissimi, benefici, digni, dignissimi, admirabiles, nobilissimi, rarissimi*; uti ex sexcentis iam editis inscriptionibus colligi potest. Praeter statuas, praestantibus viris legitur positum fastigium, quod factum a Praenestinis in honorem Q. Verrii Flacci Seviri Augustalis, Curatoris muneris publici, testatur apud eos marmor, editum in Donianis Collectaneis Cl. V. n. 119. quae consules. Ad

haec

haec positae honoris caussa bigae, quae memorantur in pluribus Gruterianis inscriptionibus CCCLII. 1. CCCCXXI. 1. CCCCXL. 1. CCCCXLVII. 6. de qua grati animi pereximia significatione luculenter differit V. C. Valerius Chimentellius in marmor Pisanum de Honore Bisellii Cap. XLI. In solemni statuarum basiumque dedicatione in publicae laetitiae gratique animi argumentum, largitiones, divisiones, cenae, epulae, ac sportulae datae a Patronis memorantur; itemque remissae impensae, si solo honore contenti fuissent, editi ludi, & venationes; nec dubito a clientibus xenia quotannis missa Patronis, Legatosque, qui eos salutarent; quod in Plinianis epistolis fieri consuevisse honoris causa Imperatoribus, ac praeclaris viris optime de republica meritis, me adnotasse memini. Inscriptio in basibus tunc caelabatur quum eius forma ab universo ordine decreto fuerat adprobata, uti ex Neapolitano marmore constat in Gruteriano Thesauro CCCCXLIV. 2.

Patronorum munus erat iura Civitatum, Coloniarumque, quas in clientelam acceperant, tueri, bonis omnibus, atque honoribus prospicere, omni humanitatis officio, cives prosequi, eximiis laudibus fidem eorum erga Romanam Rempublicam, & Augustos Imperatores commendare, ac probare si opus esset, uti ex Gruterianis colligitur CCCCXLIII. 6. CCCCXLV. 4. CCCCLV. 4. & ex Beneventano apud Sponium in Miscellaneis pag. 124. Id quoque praestatum a Patronis Collegiorum, Sodalitiorum, & Corporum, praesertim circa Deorum cultum sacrasque cerimonias; qui etiam patrum exemplo pietatem erga eos cumulatissime testari debebant. Hinc PARENTES appellati numeri Collegiorum, ut in superiori Tabula ex Museo Albano depromta pag. 193. & in hac alia, quae patrocinii honorem continet oblatum per XVI. Legatos a Collegio Fabrorum Sentinatium Cornelio Fusco Patrono eiusdem numeri, observari potest. Saepe, ut obiter heic dicam, in hac tessera fit mentio NVMERI, quod ut credere fas est, viri in albo cuiuscumque Collegii descripti, certum quemdam numerum

excede-

excedere haudquaquam deberent; nempe vel CL, vel CC aut ad summum CCC. uti ex epistola Plinii ad Traianum Augustum, Libro X. colligi potest, quum in ea de institutione Collegii Fabrorum Nicomediae agatur.

P. CORNELIO SAECVLARE II. ET IVNIo DONATo II.
KAL IVLIS COS

SENTINI CVM IN SCOLA SVA FREQVES NVMERVS COLL FABR
SENTINATIVM CONVENISSENT NVMERVM HABENTIBVS
C. IVLIO MARTIALE ET C. CASIDIO RVFINO QQ ET REFERENTIB
IPSIS SEMPER IT IN PRAETERITVM ITA SPLENDIDISSIMVM N N
CONISVM ESSE VT ADFECTIONE SPLENDORIS SVI IN SINGVLOS
QVOSQVAE CONDIGNOS MERENTES EXIBEANTV EI MAXIME
IN HONORE ADQVE DIGNITATE MEMMIAE VICTORIAE QVON
DAM INDOLES MAMORIAE FEMINE MATRIS NVMERI NOSTRI
PROORSVS QVAEQVE ESSE PROVECTVM NOMEN DOMVS
EIVS VT PER ORDINEM GENERIS SVI OMNES IN NVMERVM N
PATRONI IN COLLEGIVM NOSTRVM APPELLARENTVR OPTAN
DAQVE ERANT VT OMNES VNIVERSIQVE INCOLVMES IN
NVMERVM NOSTRVM VIDERENTVR ET QVONIAM VIR SPLEN
DIDVS CORELIVS PVSCVS PATRONVS NVMERI DEBEAT EX
EMPLO PIETATIS PARENTIVM ET MATRIS HONORIFICENTIA
ITAQVE SI OMNIBVS VIDERETVR TABVLA AEREAM EI OFFER
RI

Q. F. P. D. E. R. I. C. C.

GLORIOSVM ESSE RELATIONEM B. B. V. V. QQ. COLLEGI. N
ET IDEO CVM SIT CORELIVS PVSCVS SPLENDIDE NATVS VT
POTIVS HONORIFICENTIAE NOSTRAE MODVM INTEL
LEGAT NECESSAQVE SIT EI TABVLAM AEREAM TITVLIS
ORNATAM SCRIPTAM OFFERRI PETIQVE AB EO HANC
OBLATIONEM NOSTRAM LIBENTI ANIMO SVSCIPE
RE DIGNETVR LEGATOSQVE IN EAM REM FIERI QVI
QVE DIGNE PROSEQVANTVR NERATIVM AMPLIATVM ORPIVM VER
TATEM AEMILIVM VICTOREM BEBIDIVM IVSTVM CASIDIVM MARTA
LEM IVLIVM MARTIALEM CASIDIVM RVFINVM BEBIDIVM IENVA
RIVM AETRIVM ROMANVM CASIDIVM CLEMENTINVM AETRIVM
VERNAM VASSIDENVM FAVOREM CASIDIVM IVSTISSIMVM SA
TRIVM VERECVNDVM STATIVM VELOCEM VETVRI CELERINVM

In superiori Tabula hospitali Collegii Sentinatium pag. 193. [quorum opidum Sentinum appellatum, Straboni, Livio, ac Dioni ceterisque memoratum., in Umbria fuit, ultra Camerinum, & Matilicam, versus Urbinum, in Apen-

nini

nini valle] in tertio versu legitur SENTINI IN TRICLINI DOMVS CC NVMERVM HABENTIBVS ; cuius auctoritate deduci potest ducentos viros ad censendum de ea re convenisse . Sed ex ipsa Tabula , ut monuimus , Patronos PARENTES Collegiorum , & eius Numeri appellatos esse constat ; quae alta est palmos Romanos duos , lata palmum unum , uncias novem ; altitudini vero additus tympanus triangularis , elevatus uncias novem .

Quemadmodum igitur splendido loco nati viri Patroni Collegiorum PARENTES appellabantur , ita quoque illustres feminae , patronatus honore exornatae , MATRES conclamabantur ; quod manifeste liquet ex praelaudatis Tesseris ex Albano Museo depromtis , in quibus Vesia Martina coniux Coretii Fusci , splendidi Decurionis Sentinatium , & Patroni trium Collegiorum principalium , Patrona eiusdem Collegii Sentinatium dicitur ; uti etiam Memmia Victorina Patrona eiusdem Numeri nuncupatur . Aliud exemplum subiicit Gruterus ex aenea Tabula C. V. Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconensis pag. CCCCXLIII. 6. in qua Peltuini , & Vestini , quorum meminit Plinius Libro III. Cap. 12. Nummiam Variam Sacerdotem Veneris Felicis patrocinii honore affecerunt . Patronam vero Municipii , & Collegii Oliam Attianam fuisse discimus ex veteri lapide , quem producit Fabrettus Cap. IV. n. 115. ex Schedis Barberinis , non indicato tamen loco ubi exstet ; sed ex Collectaneis V. C. Donii , quas edidi , Cl. V. n. 56. scimus Interamnae exstare . Item apud Corfinienses Patrona laudatur Rutilia Paulina , quam Seviri Augustales summis honoribus prosecuti sunt , ex iisdem Collectaneis Cl. V. n. 122. Feminas dignitate , vel genere insignes , patrocinii foedere exornatas , eruditis observationibus illustravit omnigena antiquitatis eruditione conspicuus Philippus a Turre Episcopus Adriensis in Commentario ad Inscriptionem M. Aquilii , Cap. XI. pag. 153. quem vide .

Denique qui alicuius Municipii , vel Coloniae , vel Collegii patrocinium susceperant , aliorum quoque Municipio-

Dd rum,

rum, Coloniarum, & Collegiorum Patroni conscribi poterant, eoque honore perpetuo fungebantur. Eodem exemplo Municipia, Coloniae, & Collegia plures simul Patronos sibi adsciscere non prohibebantur, neque solum ex magnatibus Romanis, verum etiam ex propriis civibus, qui aliquo insigni magistratu, & munere in patria functi, multis virtutibus, multisque beneficiis de re publica optime meriti essent; quod ex vetustorum lapidum auctoritate perspicuum est. Plinius Secundus Libro V. Epist. 12. laudat C. Calpurnium Fabatum prosocerum suum quod in patria Colonia speciosissimam porticum suo ac filii nomine dedicasset, qui memoratur in lapide Comensi in Collectaneis Donianis Cl. V. n. 5. ac dicitur Comensium Patronus.

Nec Civitates, Coloniae omnes, & Collegia solum, sed & Provinciae sic scripserunt Patronos; adeoque plures populi, unius Patroni clientes, hospitium fecisse, statuamque posuisse leguntur. Ita Manlium Theodorum Africae Proconsulem, universa Provincia in clientelam ab eo suscepta, tali honoris genere adfecit, teste Claudiano in Panegyrico de eius Consulatu. Tusci, & Umbri statuam dedicarunt Patrono suo P. Tettio Perpetuo Arzygo, Viro Clarissimo, Consulari Tusciae, & Umbriae, ut Gruterianum monumentum testatur pag. CCCCLXXIIII. 3. aliud quoque exemplum vide in Mutinensi marmore pag. MXCVIII. 1. in quo laudatur L. Nonius Verus, Patronus Mutinensium, Aquileiensium, Brixianorum, & universarum Urbium Apuliae, & Calabriae. Cum Q. Aradio Valerio Proculo hospitium fecere Diditani, ut supra diximus ex Tabula ex Museo Strozio adlata pag. 200. item Civilitani, Hadrumetini, Faustianenses, Theanitae, Zamiani, qui eum statuis donarunt, ut liquet ex Gruterianis pag. CCCLXI. & sequentibus, quae exempla, ut arbitror, ad id declarandum satis sufficere possunt.

In fine marmoris legitur ORDO ARRETINORVM PATRONO OPTIMO. Ordinis nomine designantur Decuriones, qui in Coloniis idem erant, ut mediocriter literati sciunt

ſciunt, ac Romae Senatores. Nam Coloniae, ut ait Gellius Lib. XIV. *quaſi effigies parvae ſimulacraque populi Romani fuerunt*. idem *Senatus* nomine veniunt in pluribus ſaxis in Gruteriano Theſauro pag. CCCCLVII. 6. CCCCLXIII. 3. Verum frequentius in editis lapidibus plebs, & populus, vel cives, vel municipes cum Decurionibus coniunguntur; etſi tamen, ſicut Senatus & plebs Romae, ita & in Coloniis, & Municipiis ſeparatim diſcernerentur. Quare arguere poſſumus in decernenda ſtatua cum inſcriptione in honorem L. Petronii Tauri Voluſiani, Decurionibus Arretinorum ſcita populi, & plebis haud adiuncta fuiſſe, ipſamque minime ſententiam rogatam fuiſſe. Sed de Decurionum Ordine, & dignitate conſulendus Reineſius in 99. Claſſis Primae, item & Noriſius in Cenotaphia Piſana Diſſertatione I. Cap. III.

Ex adlato marmore colligi item facile poteſt ſequioribus ſeculis penitus exoleviſſe diviſionem illam, ſeu diſtinctionem *Arretinorum Veterum*, *Arretinorum Fidentium*, & *Arretinorum Iulienſium*, quorum meminit Plinius Lib. III. Cap. 5. omneſque Decuriones poſtea in unum coaluiſſe magiſtratum, a quo omnia, quae ad cives pertinent, gererentur. Ut lucem Plinio afferam marmoris fragmentum ſubiicio, quod exſtat Arretii in maiore Platea, antea vero ſervabatur in Monaſterio Camaldulenſium S. Mariae in Gradibus, in quo Decuriones Arretinorum Veterum nominantur; qui, ut ex aliis huic ſimilibus formulis in fine vetuſtorum lapidum liquet, aliquid faciundum decreto adprobaſſe, vel ordinaſſe videntur. Supra lineam, quae habet DECVRIONES, veſtigia literarum alterius lineae apparent, ex quibus vix intelligi poteſt an ſcriptum fuerit IN QVINQVEV .... forte *in Quinquevirос*. Sed en ipſum fragmentum.

2

DECVRIONES
ARRETINORVM VETER

Meminit huius Inſcriptionis Blondus, Hermolaus, & Volaterranus, qui hinc infert Arretinos Veteres a Sulla proſcriptos fuiſse; ſed quum iura magiſtratus habuerint, contrarium inferri potius oportebat. Triplex hoc diſcrimen Arretinorum, quaſi in tres populos, non ſolum re, verum etiam nomine, & loco, ut opinione auguror, diſtinctorum, induxit primum L. Sulla, poſtea vel C. Iulius Caeſar, vel Auguſtus in novis Colonorum deductionibus; quam diviſionem Plinii tempeſtate adhuc viguiſse perſpicuum eſt. Idem Plinius Cluſinos quoque in *Veteres*, & *Novos* diſtinxit, itemque Fabraternos. Quare emendanda vetus inſcriptio, quae in Gruteriano Opere affertur pag. MXCV. 6. & loco FABRATERNI NOVANI, reponendum eſt Plinii auctoritate Lib. III. Cap. 5. FABRATERNI NOVI. In eodem Opere pag. CCLIII. 6. in honorem Hadriani Imperatoris exſtat inſcripta Tabula, in qua, licet fracta ſit, diſerte tamen memorantur *Lanuvini Veteres*. Ad diſtinctionem igitur veterum incolarum, Coloniarum populi *Novi* dicebantur in nova deductione. Ita VERONA NOVA GALLIENIANA appellata eſt in nuova Gallieni Imperatoris Colonorum deductione, ut diſerte legitur in Veronenſi Arcu penes Gruterum pag. CLXVI. 6. Ex quibus deduci poteſt tum Arretinos Veteres, tum Novos Fidentes, & Iulienſes ſingulos ſenatum ſeorſim habuiſse. Cluverius Ital. ant. Lib. II. Cap. III. pag. 571. ſingulis oppida aſſignat; ego vero in Municipio loca diverſa. Holſtenius in Notis ad Cluverium pag. 72. putat quod Arretium appellatum fuerit *Colonia Fidens*, *Iulia*, *Arretium*, in qua etiam ſententia eſt Noriſius in Cenotaphia Piſana, Diſsertatione I. Cap. I. Sed de Arretinis quum luculenter diſseruerit Illuſtriſſimus Vir, Equeſtri dignitate, egregiarumque virtutum laude, & eruditione ornatiſſimus Gregorius Redius Patricius Arretinus, in Epiſtola, quam, pro ſua in me benevolentia & humanitate, meo nomine inſcribere dignatus eſt, laetus lubenſque, ut meis lucubrationibus lucem afferam, in publicum depromo.

NA-

ANTONIO FRANCISCO GORIO V. C.

GREGORIUS REDIUS

εὐπράττειν καὶ εὐγράφειν.



Uas a me petisti, Vir Clarissime, antiquas Arretini nostri Municipii Inscriptiones, mitto eas tibi, non indiligenter, aut incuriose exscriptas. Exiguum hoc quidem spicilegium videri poterit prae uberi messe, quam eruditis ingeniis dives huiusmodi opum Florentia tuis curis nuper suppeditavit: sed fato malo factum est, ut, quam Italia universa cladem, & literarum iacturam temporibus iniquissimis experta fuerat, eam nos rursus, amissis, quae apud nos supererant, post diuturnam tot saeculorum barbariem, antiquis monumentis, saeculo eruditissimo experiremur. Quum enim anno (a) MDVI, qui apud nos, Florentinae Reipublicae nomine, rei militari, & construendae Arci praeerant, viri omnium elegantiarum expertes, calcis inopiam [si Diis placet] & lapidum causarentur, in regione lapidicinis abundante, & fluvialibus saxis, ad calcem maxime opportunis; iusserunt partim ad calcarias pertrahi, partim in Arcis fundamenta proiici quidquid marmoris, & Tiburtini lapidis facti infecti, tum in Urbe, tum in Suburbanis reperiretur: unde magno, & inexpiabili eruditorum omnium moerore factum est, ut maxima Epitaphiorum, aliorumque Epigrammatum copia flammis, aeternaeque oblivioni addiceretur. Suspicio tum fuit apud Cives nostros, cuius etiam Annales eorum temporum meminere, invidia potius virorum illorum militarium, quam inopia calcis in has eruditas veterum monumentorum reliquias saevitum fuisse. Verum id potius tribuamus eorum inscitiae, quibus antiquarum omnium ele-

[a] Petrus Bonamici in Hist. Arretina MS. quae existit Arretii in Bibliotheca Clericorum, qui vulgo dicuntur *di Murello*, ubi Auctores alii Manuscripti asservantur, ad quos identidem provocamus.

elegantiarum fontes, Urbium praeclara decora, Romanae Historiae inexhaustae opes, nondum evecta ad hoc fastigium antiquarum rerum scientia, penitus incognitae fuerunt. Quod vero est in vulgari illo & sapiente antiquorum proverbio [a]; cadente quercu, quemlibet ligna colligere;

Δρυὸς πεσούσης, πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται.

id apud nos quoque verissime dictum videri potuit. Tam multae enim eo saeculo antiquae Inscriptiones, & rara Civitatis nostrae monumenta apud nos interierunt, qua domorum instauratarum inclusa parietibus, qua ad Urbes exteras translata; ut vix modicae, & non ita magni faciendae reliquiae ex immani naufragio hodie supersint. Qualescumque tandem illae sint, eas ego, bona fide, non aliena opera usus; quas item testis αὐτόπτης vidi, descripsi, & ad te, studii veterum memoriarum flagrantissimum, libenter transmitto. Illae quidem & tuo, & eruditorum palato prae paucitate non facient satis; prae sinceritate displicere omnino non poterunt. Nihil ibi de coniecturarum mearum penu, nisi quod pauca quaedam, ad Urbem hanc pertinentia, exteris fortasse non cognita, adscripsi. Quae vetustas in Lapidibus detrivit, & Lapides ipsos exhibens, punctis, aut lineis indicavi; quae super iis aliquando coniicerem, ad marginem reieci: quae vero coniecturam meam fugerent, ea, tamquam spartam tibi exornandam, reliqui. Et haec quidem de antiquis, quae petieras, Epigrammatis. Difficilior ea fuit subeunda provincia, ut, quae de Arretio nostro auctores antiqui testata literis reliquere, [b] colligerem, & apto temporum ordine digesta inter se colligarem. Quod tamen, ne labori ipse meo parcere velle viderer, alacri sum, & prompto animo persecutus; ita, tamen, ut inde vix quidquam extrudi potuerit, unde tenebricosissimis tempori-

[a] In Fragmentis Menandri ex Collect. Clar. Viri Iohannis Clerici.

[b] Arretii mentio extat apud Strabonem, Ptolemaeum, Silium, Caesarem, Ciceronem, Halicarnasseum, Diodorum, Stephani Epitomatorem, Polybium, atque Plinium. Ferdinandus Ughellus in Ital. Sac. Tom. pr. qui & Livium memorat de Arretio locutum, addere potuit Macrobium, Iulium Obsequentem, Frontinum, Antoninum.

poribus lux, quantumvis modica, affulgeat. Quotus enim quisque est, ubi ab insano illo Annio discesseris, aliisque, qui pecudum more confidentissimum sycophantam secuti sunt, qui de Arretii origine, conditore, nomine, certum quid aut exploratum pronunciet? Quicumque in tanto antiquorum omnium silentio, iis omnibus deperditis, qui fusius de Etruria locuti fuerant, Etruscarum Urbium incunabula exquirunt, ii profecto videntur mihi, quemadmodum ille Virgilianus AEneas, pergere (a)

——— *obscuri sola sub nocte per umbram,*

Perque domos Ditis vacuas, & inania regna.

Omissis igitur Fabulatoribus importunissimis, qui conditorem Arretio faciunt Ianum (b), quem eumdem esse dicunt cum illo Noach, qui in sacris Paginis (c) memoratur [quamquam & ipsi inter sese Andabatarum more depugnent, & alii quidem Iapeto (d) Noachi filio, alii, Athlae (e), quem Iapeti filium ferunt, decus fundatae Urbis adiudicent] ea videtur, si non vera, at similis verae sententia, quae & Polybio, & Iustino placuisse credi potest, & a Leonardo cive nostro, libro primo Historiarum Florentinarum tradita est (f), conditum nimirum a Lydis Arretium, qum ii, alimentorum inopia e regionibus suis profugi, in Italiam venissent: quo quidem tempore expulsis, qui Provinciam tenebant, Pelasgis, eam vel a Tyrrheni ducis nomine Tyrrheniam nominarunt, vel [ut magis Dionysio Halicarnassensi probatum legimus] (g) a mapalibus, quae ante aedificata Oppida inhabitabant, & patria voce *Tyrses* dicebant, appellavere Tyrseniam. Quanquam Ferdinandus Ughellus eam aliquorum sua aetate opinionem fuisse dicat, ut a Pelasgis, & Umbris Arretium constitutum vellent; cuius rei idoneum nullum auctorem reperi.

Alia

[a] AEneid. VI. v. 268. [b] Pseudo-Cato Fragm. 2. de Origine Italiae; Pseudo-Berosus lib. 2. & 3. [c] Genes. Cap. 5. v. 29. & deinceps. [d] Petrus Bonamici in Hist. MS. [e] Gabinius Lætus in Eparchigraphia. Alexius Gelandius lib. 4. Civit. Orbis. [f] Hanc etiam opinionem tenuit Flavius Blondus in sua Italia, & Dominicus Marius Niger. lib. VIII. Comm. Geogr. [g] Dionys. Halicarnass. lib. I.

(a) Alia est, quam non pauci, neque ita contemnendi auctores secuti sunt de origine Arretii, sententia (b); quam tamen vellem petito aliquo ex antiquitate testimonio confirmassent. Tradunt hi non a Lydis aut, Tyrrhenis, sed a Graecis in Italiam delatis aedificatum Arretium per ea tempora, quibus Israeliticus populus post devicta diuturnis cruentisque proeliis Cananaeorum, & Amorrhaeorum regna pacem adeptus, Reipublicae cuiusdam more, ab Iudicibus regebatur. In tanta rerum antiquitate, obscura plane sunt & incerta omnia. *Datur quidem haec venia antiquitati* (ut in re non absimili quondam dixerat Livius (c) *ut divinis humana miscendo primordia Urbium augustiora faciat*. Nihilominus tamen ridendos eos puto, non audiendos, qui vel Etrurum quemdam, aut Etruscum ex (d) Iapetidarum genere conditorem Oppido dicunt; vel qui ad Herculem, Geryone devicto, ex Hispania redeuntem, Urbis primordia referunt; (e) vel qui Aurelium Troianum militem, Homero, aliisque Troianae ἁλώσεως scriptoribus plane ignotum somniant (f): quae commenta implexam magis reddunt Historiam Gentis, initia Urbis suae prae vetustate ignorantis. Quod ad nomen ipsum Arretii pertinet, mirum quam lepide & curiose torserint sese ad eius originem expiscandam virorum otiosorum ingenia. Arretiam Noachi vel filiam (g), vel uxorem (h), vel Pro-nurum (i) nomen Oppido

[a] Ab Umbris, Pelasgisque, qui Regionem illam incoluerunt fuisse aedificatam probabiliter arbitrantur plerique, quidquid fabuletur Annius &c. Ferd. Ughell. Ital. S. Tom. I. [b] Ioannes Caramanius. Petrus Baccherini de Origine Urbium & Famil. Italiae. Ambrosius Calepinus V. *Arretium*. Fr. Iacobus Bergom. in Supplem. Chronic. [c] Liv. Dec. 1. Lib. 1. [d] Magister Ioannes de Virgil. in Chronic. Mundi. Favet & huic opinioni Gorellus Poeta Arretinus in Chronic. [e] Hierodeus Cosmograph. Franciscus Berlinghieri Libro 3. Geograph. Poetice pertractatae. [f] Plenerius Arretinus Scriptor, qui modò desideratur, relatus a M. Attilio Alessi Arretino in suis Commentariis historicis MS. [g] D. Petrus a Buggiano Monach. Camaldul. in Lib. de Vita Monastica. Ioannes Rondinelli in Relatione ad M. Ducem Franciscum MS. [h] M. Guazzus in Chron. M. Attil. Alessi in Hist. Arret. MS. rel. a Petro Bonanico: Cronicum Magnum. Ioannes Selinus de Notabilibus Mundi. [i] Gabin. Laet. in Eparch. Alexius Geland. lib. IV. Urb. Mundi.

pido indidisse Anniani impostores inutilibus chartis illivere. Ipse vero Annius [a], perfricta, quemadmodum solet, fronte, Pseudo-Berosum illum suum inducit vocis originem ab Aramaea Lingua proferentem: quo quidem idiomate Vesta, seu Terra, quae Iani mulier ab illo [b] conficta est, *Aretzia*, & *Nortia* appellatur. Narrat ista deliris delirus: *credat Iudaeus Appella; non ego.* [c] Sit sane dictum Arretium ab Hebraica voce ארץ, qua *Terram* significari tradunt. Scio namque viris Hebraice doctis non displicere nominum Etruscorum etyma, quae ab Hebraeis fontibus peti possunt: cum vero simile sit, voces aliquas ex ea Lingua adhibitas ab Etruscis, qui characteres aliquos Iudaicorum non absimiles habuerunt. Quid hinc tamen pro Annio? si Hebraicae originis nomen est, *ab soli ubertate*, non a commentitii Iani uxore, dictum fuisse a conditoribus Oppidum pronum est suspicari. Simplicius alii *ab ariditate* [d], qua vicinus Arno ager (utpote glareosus, & cretosus) laborat, nomen derivavere. Hanc opinionem secutus Franciscus Berlinghierius, vates vester, ut sua ferebant saecula, non contemnendus, & Laurentii Medicei amicus in paucis, ait: [e]

Verso Arezio Città quel si diffonde,
Dalla aridità detta, quando Alcide
Fù coronato dell' Ispane fronde;
E da Tirrenio è fatta, e detta asside
D' Aurelio, d' onde Mecenate fue;
E chi per eloquenza tanto vide,
Io dico Leonardo ec. ———

Sed neque universus Arretinorum ager ita aridus est, ut inde oportuerit Oppidum appellari, cum ii praesertim, qui pomerium circumstant, Campi uberes & irrigui sint; ne-

[a] Annius Comment. in Pseudo-Caton. fragm. 2. & Pseudo-Berosi lib. 3. & 4. [b] Deceptus ab Annio Leander Alberti in Ital. Reg. Etrur. [c] Hor. lib. 1. Serm. Sat. 3. vers. 100. [d] S. Petrus Damiani Serm. in Festo S. Donati Episcopi Arretini: *Unde non iam Aretium ex more dicaris, quod ab ariditate terrae tibi constat nomen impositum, sed tu Auritium potius, a pretiosissimo scilicet Sacri Cadaveris auro &c.* [e] Geographiae lib. 3. Cap. 10.

que ab *ariditate* nomen ſumpſiſſe dicenda eſt Urbs, quae Colli inaedificata eſt, crebris, perennibuſque aquarum ſcatebris fecundiſſimo. (a) Non pauci ab *aris* dictum Arretium voluere, quarum multas hic extructas, neſcias quibus auctoribus, tradunt: (b)

Perocchè quegli antichi al tempo caſto,
Divoti a i Dei ſacrificavan ſpeſſo:

dixit non de Arretinis ſolum, ſed de Etruſcis omnibus Ubertus veſter. (c) Hanc opinionem ſecutus Gorellus civis noſter in ſuis Chronicis, ita cecinit:

Il nome vero mio fu ſempre Arizio (d)
Per le molte Are, ch' eran nel mio centro,
Dove agli Dei ſi facea ſagrifizio.

Quin & Fabricius Palmerius Libro de Urbium, & Familiarum inſignibus, ſcribit fuiſſe Urbi pro inſigni *aram ardentem:* cuius tamen rei, nullus quod ſciam, meminit Antiquorum. Hi omnes, ut manifeſtum eſt, Etruſci nominis etymologiam apud Latinos inquirunt, quod ſane ridiculum; cum Latina lingua balbutire coeperit, poſtquam Etruſcorum voces multis iam ſaeculis magnam Italiae partem pervagabantur. Ambroſius Calepinus, aut ex iis Grammaticis quiſpiam, qui ad eum auctorem additamenta edidere, ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, Urbi nomen derivat. Glorioſa nominis origo, ſi veritati aut conſona, aut ſaltem ſimilis ſit. Vereor tamen, ut inde nomen duci potuerit Urbis Etruſcae, quae proinde nihil aut originis, aut linguae habebat cum Graecis commune. Ἀῤῥήτιον, & Ἀῤῥητίνους appellavere nos Graeci, (e) non Ἀρέτιον, aut Ἀρετίνους. Illa etiam inſignis plane eſt, &

[a] *Minuſque placet quod alii ... comminiſcuntur* ab ariditate *Aretium fuiſſe dictum; ſiquidem undique flumine Arno, aliiſque uberrimis aquis alluitur ad perennem felicitatem*. Ferd. Ughell. Ital. Sacr. Tom. I. Epiſc. Arret. [b] M. Ioannes de Virgilio in Chron. Mund. Dempſterus etiam in Etr. Reg. opinionem hanc prae ceteris amplectitur. [c] Facius de Ubertis in Geogr. vulgo *Dittamondo* lib. 3. [d] Aritium ſequioribus dictam fuiſſe Urbem & S. Petrus Damiani teſtatur, & eorum ſaeculorum numi, quorum aliqui apud me ſunt. Ita etiam habet ſigillum Cancellariae publicae. [e] Polybius Megalopolitanus lib. II. pag. 104. ἐπὶ τῆς Ἀῤῥητίνων χώρας.

& miſeranda opinio, quae ſcriptoribus Etruſcis placuit, qui decimoquarto a reparata ſalute ſaeculo floruerunt. Ex his eſt Ioannes Villanius veſter [a], quem ego quemadmodum in iis, quae proxime eius tempora attigerunt, magnae auctoritatis Hiſtoricum puto, ita nullam prorſus literaturae partem attigiſſe iudico in iis, quae ſaeculis aliquot remotiora, e Graecorum, & Latinorum fontibus petenda erant. Hic igitur locuples ceteroqui & elegans auctor, multa in Urbis & Civium noſtrorum laudem praefatus, ubi de nomine Oppidi ſermo incidit, *Aureliam* antiquis dictum fuiſſe affirmat ad uſque Totilae tempora, qui eum penitus deleverit, ac deinde impreſſo muris hoſtili aratro, campos ubi Aurelia fuerat, ſale ſuperſeminaverit: a qua aratione, locus, & Urbs loco ipſi rurſus aedificata Arretii nomen ſortita apud poſteros ſit. Verum ſcriptorem ipſum lingua ſua, hoc eſt elegantiſſime loquentem, audiamus. *La Città d' Arezzo prima ebbe nome Aurelia, e fu grande Città, e nobile; e in Aurelia furono anticamente fatti per ſottiliſſimi Maeſtri vaſi roſſi* [b] *con diverſi intagli di tutte forme, e di ſottile intaglio, che veggiendogli parevano impoſſibili eſſere opera umana. E ancora ſe ne truovano, e di certo ancora ſi dicie, chel ſito, e l' aria d' Arezzo gienera ſottiliſſimi uomini.* * *La detta Città d' Aurelia fu anche diſtrutta per lo detto Totile, e feciela arare, e ſeminare di*

 ſale,

[a] Petrus Bonamici in Com. MS. Sequens Iohannis Villanii textus productus eſt, & emendatus fide Codicis antiquiſſimi MS. in Salviniana Bibliotheca. [b] Vaſa huiuſmodi fictilia laudavit non ſemel Martialis Lib. XIV. Epig. 96.

Arretina nimis ne ſpernas vaſa monemus,
Lautus erat Tuſcis Porſena fictilibus.

& Lib. I. Epig. 53.

Sic Arretinae violant chryſtallina teſtae.

Plinius lib. 35. cap. 12. *Maior quoque pars hominum terrenis utitur vaſis. Samia etiamnum in eſculentis laudantur. Retinet hanc nobilitatem & Arretium in Italia &c.* Admirationi ſunt aliqua, quae ſuperſunt ex vaſis huiuſmodi, in Civium noſtrorum Muſeis; quorum aliqua inventa ad ripas fluvioli Caſtri, qui Urbem praeterlabitur, praeſente Ioanne Card. Mediceo, qui dein fuit Leo X. eum meruerunt habere laudatorem, Marco Attilio Aleſſio teſte oculato in Hiſt. Arr. MS. * Ferdin. Ughell. Ital. Sac. Tom. I. Episcopat. Arret. *Peperit omni memoria haec Civitas viros illuſtres, & fortes, perſpectique ingenii acumine &c.*

ſale, e d' allora innanzi fu chiamata Arezzo, cioè Città arata. Iuraſſe videntur in eamdem ſententiam Ioannes auctor Fabularum antiquarum, quae eo libro continentur, qui vulgo dicitur *il Pecorone*, & Facius de Ubertis in Geographia. [a]

Dilà dall' Ambra Aurelia t' aſpetta,
Aurelia dico, alla Città d' Arezzo;
Perch' era anticamente così detta.
Vero è che queſta mutò nome, e vezzo,
Quando Totila preſela, che poi
Strugger la fece, e arare a pezzo a pezzo.

Verum haec, rudis & impoliti ſaeculi imperitiae tribuenda: unde tamen tenuis quaedam & exilis Hiſtoriae lux oboritur de attributa fortaſſe Municipio noſtro per M. Aurelium Imperatorem, aut ex Antoninis quempiam Coloniae Aureliae nuncupatione; de qua & Hiſtoriarum, & Lapidum monumenta altum ſilent. Verum de his infra opportunius. Muris caruiſse Arretium uſque ad Deſiderii Longobardorum Regis tempora ſomniavit in ſuo Viterbienſi Coenobio Annius. Non ita qui magis ſobrie ſcripſerunt ignoti Annio auctores antiqui. Vitruvius auctor eximius, & diligentiſſimus veterum monumentorum illuſtrator, *vetuſtum* [b] appellat *in Italia, & egregie factum Arretii murum*. Livius, ſcriptor Vitruvio σύγχρονος, circa Arretii moenia Romanum exercitum conſtitiſſe, ante infelicem ad Thraſymenum [c] pugnam, teſtatur. Et anno ab U. C. DXLII. cuſtodiri iuſſas a C. Terentio Varrone Arretii Portas, ne primores dilaberentur, illiſque alias claves impoſitas, narrat. [d] Plinius etiam, cuius diligentiam, & eruditionem ſingulare nihil effugit, lateritios Arretii, ac Mevaniae muros prae ceteris in Italia collaudat. [e] Nolui locum afferre Silii Italici, Poetae elegantiſſimi, qui *altos Arreti muros* commemorat; [f] ne videar Poetarum teſtimonio, non ſemper cum proprietate loquentium, indigere ad rem exploratiſſimam

mam

[a] *Dittamondo* Canto IX. [b] Lib. 2. cap. VIII. [c] Dec. 3. lib. 2. *Certumque per praemiſſos exploratores habuit (Annibal) exercitum Romanum circa Arretii moenia eſſe.* [d] Livius lib. XXVII. [e] Hiſt. Natur. lib. 35. cap. 14. [f] De Bell. Pun. lib. V. v. 122.

mam confirmandam. Unam e primoribus duodecim Etruriae Civitatibus fuiſse Arretium, nullus eſt [quod ego quidem ſciam] ex antiquis, qui aperte ſcripſerit, [a] nullus e recentioribus, qui negaverit: [b] favente praeſertim huic ſententiae Dionyſio Halicarnaſſenſi. [c] Certe potentiſſimas fuiſse in Etruria Urbes Peruſiam, Vulſinios, Arretium, Livius diſerte teſtatur: [d] qui & alibi Peruſiam, Cortonam, & Arretium, capita Populorum Etruriae appellaverat. [e] Magnus, & opulentus fuit Arretinorum ager, cuius ad Orientem fines Tiberi, ac Tiferno, & altiſſimis Umbrorum montibus terminabantur; [f] ad meridiem Cortonenſium, Peruſinorum, & Cluſinorum agros attingebant; [g] in Septemtriones vero atque Occidentem, uſque ad Faeſulanorum agros; hinc [h] inde vero ad Volaterranorum, ac Ruſellanorum fines protendebantur. Magnum quidem etiam nunc ſupereſt & antiquum Imperii adeo ingentis indicium, Arretini Epiſcopi ditio, quam Διοικήσιν Graeco vocabulo nominamus. Conſtat ſiquidem eoſdem olim fuiſse Epiſcopatuum fines, quos & Populorum, quibus Epiſcopi praeerant. Vaſta enim eſt vel hiſce temporibus, & fortaſſe inter Etruſcas maxima Dioeceſis Arretina; quamvis, aucto per Etruriam Epiſcopatum numero, multum ex ea detractum ſit, ut inde Cortonenſis, Pientinus, Ilcinenſis, ac Politianus Epiſcopatus erigerentur. [i] Nec nihil ex ea imminutum eſt, Pon-

[a] Omnium maxime huic opinioni favet locus Dionyſii, de quo infra: neque ille tamen diſerte dicit unam ex duodecim Urbibus fuiſſe Arretium. [b] Leander Alberti in Ital. Reg. Etr. *E' annoverata queſta Città fra quelle prime dodici di Etruria.* Eadem habet M. Guazzus in Chronic. Raphael Volaterranus. Arretium inter XII. item ponit Flavius Blondus in Ital. illuſtr. Alexand. ab Alex. Dier. Genial. Cap. XXVIII. Sigonius lib. I. de antiquo iure Italiae. Vincent. Borgh. Tract. de Etr. & Urbibus eius; Ferdinand. Ughell. Ital. Sac. Tom. I. & alii quamplures. [c] Lib. III. [d] Lib. X. *Tres validiſſimae Urbes Etruriae capita Vulſinii, Peruſia, Arretium pacem petiere &c.* [e] Lib. IX. *Itaque a Peruſia, Cortona, Arretio, quae ferme capita Etruriae populorum .... erant &c.* [f] Plin. lib. 3. cap. 5. *Tiberis, antea Tybris .... e media fere longitudine Apennini, finibus Arretinorum profluit.* [g] Strabo, & Ptolemaeus. [h] Livius lib. II. *Etruſci campi, qui Faeſulas inter Arretiumque iacent, frumenti, ac pecoris, & omnium rerum copia opulenti &c.* [i] Ferd. Ugh. It. S. Tom. I. Iacob. Buralius de Epiſc. Arr. &c.

Pontificibus Senensi, ac Sancti Sepulcri [quod perperam Biturgium (a) nonnulli vocant] agri parte attributa. (b) Haec e scriptoribus iis, qui Ecclesiasticas res Historia, ac Geographia illustrarunt, clara & manifesta sunt. Quod si nobis veterum Etruscorum lingua perspecta esset, aut cognita, quemadmodum aut Latina, aut vetustiores aliquae; multa profecto nos ager hic ipse doceret circa antiquas Arretinorum familias, leges, ac religionem; quae nobis tunc innotescerent e nominibus iis, quae modica soni immutatione ad nos transmissa etiamnum durant, Oppidis, Collibus, Fontibus, ac Fluminibus imposita. Multa itaque ab Etruscorum idiomate orta nomina, quae modo ignoramus, indicare liceret; quemadmodum e Romana origine habemus in suburbanis, detorta ad recentem loquendi modum, Albianum pagum, *Albiano*, ab Helviano, Helviae apud nos familiae, rure; Siturnum, *Sitorno*, a Saturnio fano; (c) & Forum Iani, quod efferimus *Foiano*, & Iovium, nobis *Giove*, & Venerium, quod nobis est *Venere*, (d) & Collem Cytheridis, vel Cytheronem, qui plebi nostrae dicitur *Colcitrona*, (e) & manifestae magis originis Sergianum, (f) Caecilianum, & Petronianum, (g) *Sargiano*, *Ciciliano*, *Petrognano*; quae a Sergiis, Petroniis, & Caeciliis dicta nemo est qui non videat. Nomen a Q. Caecilio, T. Pomponii Attici avunculo, inditum pago putavit Blondus; (h) quem tamen contra Codicum fidem locutum evincit Dempsterus. (i) Locus ipse, in quo Consul Lucius, cum Gallis Etruriam invadentibus infeliciter concurrit, tertio ab Arretinis moenibus lapide in Caurum, servat adhuc Consulis, (k) qui ibi in acie occubuit, nomen;

[a] Videri possunt Baudrandius, & Ferrarius in Lex. Geogr. [b] Ughell. & Bural. [c] M. Attilius Alessi Hist. Arret. MS. [d] Franciscus Redi, & antiquus Interpres Gorelli Poetae apud AEgidium Menagium; in Originibus Linguae Italicae, V. *Colcitrona*. [e] Petrus Bonamici in Com. MS. [f] Petrus Bonamici dictum putavit ab Eutychio Sergeno, cuius apud nos Epitaphium est. Sergenianum dici oporteret si inde deduceretur. [g] AEgidius Menag. in Origin. [h] In Ital. Illustr. pag. 56. [i] Etr. Reg. T. 2. [k] Fortasse L. Cornelius Lentulus, qui anno U. C. CCCCLXXIX. Cos. in acie occubuit; cui suffectus M. Curius Dentatus.

men ; & Campus Lucii , vulgo *Campoluci* , appellatur. Magnitudinem Urbis, Civiumque in ea numerum , quamtumvis cetera non testarentur , ostenderet sane vastum illud ac plane magnificum Amphitheatrum , Romano non multo angustius , quod opere reticulato , ad firmitatem Etruscam constructum, durat adhuc, & integrius duraret, nisi barbaris temporibus Civium incuria , & avaritia privatorum hominum [quos nominare necesse non est] opus plane mirandum , cui tempus edax pepercerat , deformassent . Nolo hic in eo describendo diutius immorari ; maius operae pretium facturus , si exactam nobilis adeo aedificii Ichnographiam publici iuris faciendam ad te V. C. ut petisti, transmisero. Facile tecum eruditi omnes intelligent an ad trutinam revocanda sit ea opinio , quae nulla , praeter Romanum, ac Veronense, Amphitheatra in Italia extitisse constanter tuetur . Theatrum etiam in ea summae Urbis parte, quae ad Boream est , firmum satis ac vastum fuisse scriptores nostri commemorant . Hunc ipsum locum Arx recentioris operis ita occupavit, ut ne vestigia quidem antiquarum substructionum ulla videantur , sicuti etiam nulla plane supersunt vestigia amplissimarum Thermarum, qualia periti harum rerum aestimatores ea esse iudicaverunt , quae inter ponenda fundamenta pulcherrimarum Porticuum, quibus modo Forum nostrum exornatur, detecta ab opificibus sunt. [a] Moles eas fuisse & substructiones reticulati operis sane magnificentissimi narrat oculatus testis Petrus Bonamicus , qui monumentorum omnium illustrium, quae suo saeculo apud nos visebantur , memoriam posteritati prodidit in suis Commentariis. Thermas alias Amphitheatro vicinas fuisse , & ex Historia Martyrum indigetum Gaudentii & Columati aperte colligitur ; [b] & nomen loco adhuc remanens Balnei Nympharum (*il Bagno delle Ninfe*) manifeste indicat ; & quae supererant, patrum nostrorum memoria, veterum Aquaeductuum parietinae, lo-

co

[a] Sub Magno Etruriae Duce Francisco Mediceo. [b] In antiquo Lectionario MS. in Archivo Ecclesiae Cathedralis &c.

co illi proximae, clamabant. (a) Quamquam, ne suspiciones meas dissimulem, non unum eum autumo fuisse usum horum Aquaeductuum eo loci. Arbitror enim, non raro ad varietatem, & copiam spectaculorum exhibendam, Amphitheatrum in Naumachiam fuisse commutatum, subministrantibus Aquaeductibus necessarios fluctus; ut ibi superinducta arenis aqua naviculae proeliarentur, ubi gladiatores aut inter se, aut cum feris immanissimis depugnaverant. Non abhorret hoc sane a moribus saeculorum illorum; (b) & opportuna utique spectaculo nostri Amphitheatri area facile potuit ad utrumque oblectamentum populo exhibendum usurpari. Fuit etiam apud nos insignis quaedam, & omni ornamentorum genere illustris Basilica, ubi celebriorum Romanorum statuas collocatas fuisse vetusta quaedam Inscriptionum collectio, quam manuscriptam habemus, diserte docet. In illarum Basibus ea illustrium virorum honorifica elogia erant, quae brevi verborum ambitu narrationem rerum praeclare a Viris illis gestarum complecterentur. Epigrammata haec a Caco-Criticis, nescio quibus, frustra in imposturae suspicionem revocata, hac illac modo dispersa sunt; quorum tamen nonnulla hodie supersunt, partim e fundamentis antiquae Arcis nostrae, partim ex aliis Urbis ruderibus antiquitus effosa: quae quidem ipsa olim *Arretii in Basilica* fuisse veteres MSS. Codices testantur. Unde & Borghinum, & Mazochium lapsos apparet: quorum alter unam ex iis Epigraphen Florentiae in Theatro fuisse scribit; alter unam Arimini inventam putavit: si tamen Mazochii lapsus ille est potius quam descriptoris, aut Typographi, qui compendiarias fortasse notas AR. quas in antiquo aliquo Codice legit; de *Arimino* maluit quam de *Arretio* intelligere. In Codice nostro nullus dubitandi locus reliquus est. Quonam vero Urbis loco Basilica haec fuerit, divinare mihi non licuit. Antiquitas parietum, & figura prorsus eadem, quae vetustis Ba-

[a] Bonamicus in Hist. MS. ait dirutos fuisse anno 1544. [b] Martial. in Spect. Epig. 26.

Basilicis esse consueverat, observatur etiamnum in ea perampla Ecclesia, quae vulgo dicitur *Santa Maria della Pieve*; quaeque ante aedificatum maximum Templum, pro Cathedrali (ut loquimur) fuisse perhibetur. Haec animum inclinant ut credam, ibi antiquam Basilicam ad negotiationes, atque iudicia esse potuisse; quae deinde circa annum AErae Christianae millesimum iis ornamentis, & anaglyphis insignita fuerit, quae Religionem quidem, sed & imperitiam saeculi spirant. Verum non ornamenta solum, sed ipsa moles AEdis multa habet, quae non Romanam aut Etruscam, sed barbaram, ac Gothicam aedificandi rationem sapiunt. Nostri quoque scriptores [a] Templum Mercurii eo loci fuisse, non Basilicam ad usus forenses, argumentis nescio quibus adducti, scriptum reliquere. Eximium certe signum Mercurii ex aere Arretii sudasse Cn. Domitio & C. Cassio Cos. Iulius Obsequens scribit. Sed hinc debile sane habemus, atque infirmum argumentum ad Hermeum hoc Templum hoc loco constituendum. Reliqua autem omnia obscuriora sunt. Adeo enim bellis, incendiis, direptionibus deformata per quindecim fere saecula Urbs nostra est, ut ne antiquum quidem eius situm agnoscere, certoque statuere possimus. Illud unum compertum habemus, insigne in ea aedificium fuisse, cui ob dignitatem Basilicae nomen fuerit attributum: unde fortasse ablatae sunt praegrandes aliquae e maculoso AEgyptiaco lapide, & ex Porphyrite columnae, quarum post tot clades, & incendia durant etiam num ingentia quaedam ad Ecclesiam Cathedralem fragmenta. Rudera pariter antiqui, & magnifici Templi (quod ab invento ibi proxime a cementariis, puteum effodientibus, aeneo Palladis simulacro, non iniuria Palladi sacrum creditum est) detecta sunt anno MDXLI. ubi pavimentum vermiculati operis insigne, ad eam aetatem adhuc durans, visum fuisse Bonamicus testatur. Ea Palladis statua Florentiam ad M. Ducem Cosmum missa est: pavimentum vero illud, obrutum penitus, aut dif-

[a] Petrus Bonamici in Comm. MS.

fractum ab iis, quibus puteus, & ftabula magis quam adeo rara Patriae decora cordi erant, ita interiit, ut nisi fcriptum reliquiffet Bonamicus, illud ad S. Laurentii inventum fuiffe, modo nullam haberemus aedificii pulcherrimi memoriam. Haec ad antiquam Arretinorum in aedificando magnificentiam oftendendam, ne per fingula eamus, dicta fufficiant. De Etrufcis vero Signis, Urnis, Infcriptionibus, ceterifque ex Etrufca fupellectile antiquis monumentis, quibus referta funt Arretina Mufea, quaeque in dies variis in locis eruuntur, nihil dicam. Ex his non pauca praeclarum Dempfteri Opus de Etruria Regali exornant (a), quod nuper publica luce donatum impenfis nobiliffimi Viri Thomae Coke, Magnae Britanniae Armigeri, eruditiffimis Obfervationibus C. V. Philippi Senatoris Bonarrotii maxime locupletatum eft; qui ad Etrufcam Hiftoriam, & ad veteres Etrufcorum ritus cognofcendos nobis aditum primus aperuit. Quibus artibus, quibufve geftis ad has opes, potentiamque pervenerint Arretini illi, fruftra apud Auctores antiquos. quorum opera ad nos pervenerunt, quidquam perquiras, (b) Armis certe & viribus auctam fuifse Rempublicam, minime eft dubitandum: qui tamen fuerint eorum Duces, quae bella, quae viciffitudines, ignoramus:

— Omnes illacrymabiles
Urgentur, ignotique longa
Nocte; carent quia Vate facro. (c)

Antiquiffima omnium expeditio [cuius quidem auctores meminerint] ea eft, quam contra Tarquinium Prifcum pro Latinis fociis, fimul cum Sabinis, quinque Etrufcorum populi, inter quos Arretini, animis concordibus decrevere. Eam commemorat Etrufcarum rerum confultiffimus fcriptor Dionyfius. (d) In Romanorum focietatem adfcriptos eam conftanter tenuifse inde arguas, quod cum omnes

[a] Vide Tabulas XIX. LXI. LXXXIII. & Obfervationes, & Conjecturas additas eidem Operi pag. §. XLIV. [b] Pfeudo-Myrthilus Lesbius piraticam exercuiffe fcribit. Fortaffe quia apud Diodorum Siculum legerat lib. IV. Tyrrhenos claffe potentes, terreftri quoque exercitu praevalidos. [c] Horat. lib. IV. Ode 9. [d] Dionyfius lib. III.

nes Etruriae Populi ad arma iisent, ut communi nomine, consilioque Sutrium oppugnarent, quae urbs socia Romanis, ut ait Livius, [a] velut castra Etruriae erat; soli ex Etruscis Arretini arma capere recusaverint. Rependit populus Romanus opportuno tempore Arretinis sociis amicitiae & fidelitatis vices, cum parantibus Gallis magna belli mole Arretium obsidere, ipsi ad ferendam opem, valido, sed infelici virium apparatu adfuerunt. Narrat ista Polybius [b]. Vereor ne fastosus fortasis, ac nimium φιλόπατρις apud exteros videar, si Arretinorum societatem magni ad rem Romanam momenti fuisse affirmaverim. Habes tamen meae sententiae auctorem, Historiae Romanae parentem Livium; qui ab Arretinorum sive motibus, sive fidelitate Etruriae totius defectionem, aut pacem regi solitam fuisse non semel diserte fatetur. Cum enim [c] aliquando apud Arretinos Cilnium genus [d], unde postea carissimus Augusto, & a laudatis viris laudatissimus Maecenas fuit [e], nobilitate, ac divitiis praepotens, civium multorum de se suspicionem aemulationemque concitasset, ad arma ventum est, & Cilnii e Civitate pulsi; ignores an tuendae libertatis gratia, an invidia potius Civium de alieno splendore dolentium: quod quidem in omni Civitate facile, ac frequens, apud nos etiam facillimum, ac frequentissimum semper fuit. Ab his Arretinorum seditionibus motu orto,

Ff 2 Etru-

[a] Lib. 9. *Dum haec geruntur in Samnio, iam omnes Etruriae Populi, praeter Arretinos, ad arma ierant, ab oppugnando Sutrio, quae urbs socia Romanis, velut claustra Etruriae erat ingens orsi bellum.* [b] Lib. II. [c] Lib. X. ann. ab U.C. CDLI. *Multiplex deinde exortus terror; Etruriam rebellare ab Arretinorum seditionibus motu orto nuntiabatur: ubi Cilnium genus praepotens, divitiarum invidia, pelli armis coeptum ... Itaque propter eos tumultus dictus M. Valerius Maximus Dictator, Magistrum Equitum sibi legit M. AEmilium Paullum.* Et mox; *Habeo auctores sine ullo memorabili proelio pacatam ab Dictatore Etruriam esse, seditionibus tantum Arretinorum compositis, & Cilnio genere cum Plebe in gratiam reducto.* [d] In Editionibus non paucis Licinium legitur; cum tamen codices notae melioris Cilnium habeant. [e] Arretinum fuisse Maecenatem, & Cilnia familia, ex qua ipse erat, cuius nos monumenta habemus, satis probat; & Augustus in ea ad Maecenatem Epistola, quam Macrobius refert Saturnal. Lib. II. Cap. IV. aperte dixit, facete admodum, ac familiariter illum appellans *Arretinum laser*.

Etruria universa a Romanis rebellabat, ut ait Livius. Quae quidem Romae nuntiata, terrori non modico fuisse patet, cum veluti in re gravissima, & in qua salus totius Reipublicae verteretur, dictus ad eos tumultus compescendos Dictator sit M. Valerius Maximus, qui *sine ullo memorabili proelio Etruriam* pacavit, *seditionibus tantum Arretinorum compressis; & Cilnio genere cum plebe in gratiam reducto*. Solicitam item de Etruriae defectione Romanam Civitatem fuisse, M. Claudio Marcello, T. Quintio Crispino Cos, principio eius rei ab Arretinis facto, Livius idem perscripsit (a). Hinc & exercitus in Etruriam missus, qui potissimum Arretinos

[a] Liv. Lib. XXVII. ab ann. U. C. DXLII. *Comitiorum ipsorum diebus solicita Civitas de Etruriae defectione fuit. Principium eius rei ab Arretinis fieri C. Calpurnius scripserat, qui eam Provinciam pro Praetore obtinebat. Itaque confestim eo missus Marcellus Consul designatus, qui rem inspiceret, ac, si digna videretur, exercitu accito, bellum ex Apulia in Etruriam transferret. Eo metu compressi Etrusci quieverunt*. Et mox; *Prorogatum (imperium) & C. Hostilio Tubulo est, ut pro Praetore in Etruriam ad duas Legiones succederet C. Calpurnio*. Nec multo post; *C. Calpurnius vetitus ab Arretio movere exercitum nisi cum successor venisset, idem & Tabulo imperatum, ut inde praecipue caveret, ne qua nova consilia orirentur. Praetores in Provincias profecti &c.* Paucis interiectis. *De Arretinis & fama in dies gravior & cura crescere Patribus. Itaque C. Hostilio scriptum est, ne differret obsides ab Arretinis accipere, cui traderet Romam deducendos, C. Terentius Varro cum imperio missus: qui ut advenit, extemplo Hostilius legionem unam, quae ante Urbem castra habebat, signa in Urbem ferre iussit, praesidiaque locis idoneis disposuit. tum in Foro citatis Senatoribus obsides imperavit. Cum Senatus biduum ad considerandum peteret tempus, aut ipsos extemplo dare, aut se postero die Senatorum omnes liberos sumpturum, edixit. Inde portas custodire iussit Tribunos militum, Praefectosque socium, & Centuriones, ne quis nocte Urbe exiret. Id segnius negligentiusque factum. Septem Principes Senatus priusquam custodiae in portis locarentur, ante noctem cum liberis evaserunt. Postero die, luce prima, cum Senatus in Forum citari coeptus esset, desiderati: bonaque eorum vaenierunt. A ceteris Senatoribus centum viginti obsides liberi ipsorum accepti, traditique C. Terentio Romam deducendi. Is omnia suspectiora, quam ante fuerant, in Senatu fecit. Itaque tamquam imminente Etrusco tumultu, legionem alteram ex Urbanis Arretium ducere iussus ipse C. Terentius, eamque habere in praesidio Urbis. C. Hostilium cum cetero exercitu placuit totam Provinciam peragrare, & cavere, ne qua occasio novare cupientibus res daretur. C. Terentius, ut Arretium cum Legione venit, claves Portarum cum Magistratus poposcisset, negantibus iis comparere, fraude amotas magis ratus, quam negligentia intercidisse, ipse alias claves omnibus Portis imposuit, cavitque cum cura, ut omnia in potestate sua essent. &c.*

tinos metu comprimeret; & dicti ad eam rem cum imperio Duces, qui & ab Arretio movere exercitum vetiti, & ab Arretinis Senatoribus obsides, centum viginti eorum liberos accipere iussi, nihil omisere, ut Arretinorum non Portae modo, sed omnia paene in potestate Romanorum essent. Quare & Legionem alteram ex Urbanis Arretium ducere iussus C. Terentius, eamque habere in praesidio Urbis, monuit sapienter Hostilium, qui cum cetero exercitu Provinciam totam peragrabat, *ut in eo spem non moturos quicquam Etruscos poneret, si ne quid movere possent, praecavisset*. Intuta namque, & turbulenta omnia fore arbitrabatur, & in Etruriae totius tumultum eruptura, si per Etruscas Urbes dispersi septem Principes Arretini Senatus (qui antequam custodiae in portis locarentur cum liberis evaserant), seditiones possent ac motus fovere. Quievisse postmodum Arretinos crediderim; quia valida Scipioni auxilia contra Poenos ministrasse, narratur a Livio [a]. Bello tamen sociali cum reliquis Italiae populis coniurasse, non leves coniecturas e veterum scriptis secutus, affirmaverim. Haec quamvis pauca (neque enim hic loca Auctorum omnium, qui de Arretio meminere, congerenda putide sunt) ad aestimandam tamen Urbis Arretinae iis temporibus magnitudinem, ac potentiam, & ingenium Gentis dignoscendum, dicta sunto. Municipii [b] iura, ac decora diu tenuimus; quemadmodum ex antiquis lapidibus, & scriptorum documentis erudite, ut solet, collegit Onuphrius Panvinius [c]. Colonia dein deducta est ante Ciceronis tempora; [d] assentiorque libens iis qui ab L. Sulla deductam autumant: Saeviit namque in Arretinos acerrime vir impotentis iracundiae; quod fortasse [ut ait Volaterranus] auctores fuissent

[a] Dec. III. lib. 8. [b] Etiam Frontinus Municipium appellavit Arretium, ut refert Vghellus. [c] Lib. 4. de Rep. Rom. Accedit & Dempster. ex auctorit. Pseudo-Cornuti antiqui Scholiastae ad Sat. I. Persii, & ex Isidoro, & Lapide antiquo, in quo L. Ausinius Farrianus, Municeps Arretinus dicitur. Vid. Tom. II. Etr. Reg. Lib. V. Cap. VII. p. 311. [d] Onuphrius Panvinius lib. 3. de Rep. Rom. *Colonia XCIV. Arretium ante Ciceronis tempora, & forte a Sulla militaris deducta fuit.*

isſent Etruſcae defectionis ſociali bello. Certe ademtam iniquo iure Arretinis civitatem teſtatus eſt Cicero [a], qui ſe vehementer contendiſse apud Decemviros, & perſuaſiſſe ait, ita ut re quaeſita diu ac deliberata, Arretinis tandem cauſsa adiudicata ſit. De antiquis Arretinis hic ſermonem a Cicerone haberi, nemo eſt qui non videat. Ceterum recentes atque adventitios Arretinos, Colonos alibi nominat [b], qui Catilinam ſtipaverint, quod etiam fecerant, eodem Tullio teſte, milites Coloniae alterius quam Faeſulis Sulla conſtituerat [c]: ut facile Coloniae utriuſque auctorem a Colonorum moribus dignoſcas. Illud etiam accedit ex eodem Cicerone Sullanae huius deductionis indicium, quod Arretinorum agrum a Sylla publicatum idem fuiſse ſcribit: quamquam, magnum in ea calamitate. Patronum ſortiti Municipes noſtri, agrum publicatum quidem, ſed nondum diviſum, perorante Tullio, recuperaſse credi poſſint: cum ille Arretinos, ac Volaterranos in ſua poſseſſione ſe retinuiſse perſcribat [d]. Deducta rurſus eſt Arretium Colonia lege Triumvirali, ut memoravit Frontinus [e]; ac tum fortaſse Coloniae *Iuliae* nomen adepta eſt. Num etiam *Fidentis* tum nomenclationem retulerit, an eam potius in deductione Sullana impoſitam habuerit; an vero conſecuta ſit poſtea, divinare non poſſum. Coloniam *Iuliam Fidentem* denominatam fuiſse, ad eum fere modum quo Piſae *Colonia Iulia Obſequens* dictae ſunt, explorata apud eruditos res eſt. Illud plane memora-

tu

[a] Pro A. Caecina. *Cum Arretinae mulieris libertatem defendere, & Cotta Decemviris religionem iniecisſet, non poſſe ſacramentum noſtrum iuſtum iudicari, quod Arretinis adempta civitas eſſet; & ego vehementius contendiſſem civitatem adimi non potuiſſe; Decemviri prima actione non iudicaverunt; poſtea re quaeſita, & deliberata ſacramentum noſtrum iuſtum iudicaverunt &c.* Videndus Vincentius Borghini in Tractatu de Coloniis Latinis. [b] Pro L. Muraena. *Catilinam circumfluente Arretinorum, & Faeſulanorum Colonorum exercitu alacrem &c.* [c] In Catilin. ſecunda. [d] Epiſt. XVI. lib. I. ad Attic. *Volaterranos, & Arretinos, quorum Agrum Sulla publicarat, neque diviſerat, in ſua poſſeſſione retinebam.* [e] Lib. de Colon. *Arretium muro ducta Colonia lege Triumvirali, iter populo non debetur, ager eius limitibus eſt adſignatus.* Et infra *Colonia Arretium, lege Auguſta, cenſita limitibus Graccanis &c.*

tu dignum, quod, teste Dempstero (a), vix ulli alteri populo concessum, Arretinis illis antiquis, ac si vocem hanc usurpare liceat, primordialibus, permissum ne cum novis Colonis Fidentioribus connubia, leges, magistratusve miscerent; his item ne cum Iuliensibus; ut Arretinorum triplex genus potuerit Plinius (b) suo saeculo numerare: qui locus mirifice facit ad fragmentum antiqui lapidis, quod apud nos est, cuiusque ad te exemplum mittimus, intelligendum. Utrum vero a M. Aurelio Augusto, aut ab aliquo ex Imperatoribus Antoninis deducta tertium Colonia sit, an potius honoraria quadam nuncupatione nomen sibi Aureliae assumpserit Urbs nostra, ut ingenue fatear, probe, mihi perspectum non est. Nullum de hac appellatione testimonium apud antiquos, aut indicium. Scriptores Etrusci, ut supra innuebam, qui decimoquarto & sequenti saeculo floruerunt, Ioannes Villanius, Ioannes ille alter Mythographus, Ubertus, Berlingherius, aliique, tanquam de re sua ipsorum aetate omnibus comperta, de hoc titulo loquuntur. Qua in re quod vel a maioribus traditum acceperant, vel veteri aliquo monumento, quod certe ad nos non pervenit, testatum viderant, sequi potuerunt. Quorum omnium auctoritatem negligere, vereor ne sit hominis nimium iudicio suo tribuentis. Additur & testimonium S. Ioannis Capistranensis (c), & Gervasii cuiusdam (d), auctoris non ita antiqui, aut magnificiendi. Credibile est aevo illo rudi anilem aliquam fabulam confictam ad originem huius nominis explicandam; quam fabulam Gorellus noster, veluti rem eo saeculo notissimam innuit tantum,

&

Cardin. Henric. Noris in Cenot. Pisan. Lucas Holstenius in Notis ad Cluverium pag. mihi 72. *Colonia Fidens Iulia Arretium*. [a] Dempster. Etr. Reg. lib. V. cap. 7. *Plinius triplices facit Arret. sub Rom. Imperio, quod nescio an ulli alteri populo concessum.* [b] Plin. lib. 3. cap. 5. *Arretini Veteres, Arretini Fidentiores, Arretini Iulienses &c.* Hinc non bene Ughell. in Ital. Sacr. Arretinos Fidentiores eosdem esse putat ac veteres. [c] In Chron. Urb. & earum ad fidem convers. *Arretium antiquissima Civitas in Tuscia Comitatu Palatino, Episcopatu etiam ornata; Aurelia antiquitus dicta fuit.* [d] Lib. 2. degli Ozj degli Imperadori; *Nela quale (Toscana) è posta, e collocata la nobile Città d' Aurelia.*

& exsibilat, non autem narrat: ut crucem proinde fixerit interpretibus, qui in eo loco auctoris mentem nulla ratione assequuntur. Negat ille quidem Aureliam dictam unquam fuisse Coloniam nostram, etsi fateatur communem suorum temporum opinionem huic nuncupationi faventem. Nimirum illi fabulosa visa sunt ea, quibus homines adducti Aureliae appellationem inditam Arretio fuisse putabant.

Benchè si dica per la Gente vana,
Ch' Urelia prima nominato fosse,
Per quella, che si fe di Manza rana;
Superbia invidia la stolta commosse,
Vedendo commendar mio nobil sito,
Con suo figliuolo mio principio mosse.
Vedendo Etrùro il subito partito,
Dannò la lor non proveduta impresa,
Come d' invidia sempre avesse invito.

Plura congerere in re incertissima obscurissimaque non libet: sed nec alia posteriorum temporum eventa, propria huius loci sunt. Nimis fortasse multa haec ipsa erunt, quae perscripsi, non aliter profecto ac si quis ad silvam, ut est in proverbio, ligna comportaret. Verum ego haec, vetusti temporis memoriam repetens, & Arretinas res ex longo intervallo revocans, Tibi V. C. significanda esse duxi, ut Te ad alia, atque uberiora properantem labore fortasse aliquo, quaerendarumque rerum molestia levarem; sic enim nos citius doctrinae tuae fructibus, ingeniique suavitate perfruemur. Quod si, ubi ad eas Inscriptiones veneris, quas hinc transmisimus, nostrae Urbis decora, quae his literis continentur, delibare volueris; non modo lucem rebus ipsis, sed Arretio nostro, Etruriaeque universae afferes non exiguam. Nam tuum quidem nomen ubique gentium adeo illustre est, ut vix ullus ei possit ex hac re splendor accedere. Vale V. C. & rem literariam praeclarissimis studiis tuis iuvare, atque amplificare perge.

Dabam Arretii, ex Hortis meis Suburbanis XIII. Kal. Augusti, quo die ortus apud nos est Petrarcha vester, Anno rep. Sal. MDCCXXVIIII.

Illustrato paullo superius hospitii foedere, quod Arretini primum cum Claudia Gente, cum Petronia deinceps fecerunt, ad explicandas venio sex marmoreas Tabulas, quae Romanorum Ducum, omni certe aevo principum, clarissimum nomen, & res praeclarissime gestas continent; ex quibus facile mea sententia cognosci potest quam studiosi fuerint Arretini eximiae laudis, & gloriae illustrium Virorum, quantique fecerint eorum virtutem, per quos Romanae Reipublicae salus stetit, nomen toto terrarum orbe propagatum, imperii decus, & maiestas feliciter aucta est: quibus insigni in loco, de quo inferius disseram, statuas, & bases inscriptionibus ornatas dedicarunt, posterorumque memoriae tradiderunt. *Neque enim magis decorum & insigne est statuam habere, quam ponere*, ut Plinii verbis utar in Epistola 16. Lib. I. ad Sex. Erucium Clarum, Virum Consularem. Quot enim & quorum Virorum elogia haec sunt! Audito dumtaxat nomine species quaedam eximiae, & singularis virtutis, splendor ipse, & amplitudo Romani Imperii summa cum iucunditate menti occurrit, & obversatur. Ea audi; Manium Valerium Maximum, Appium Claudium Caecum, Quintum Fabium Maximum, Lucium AEmilium Paullum, Caium Marium, Lucium Licinium Lucullum. Alia his simillima honorifica monumenta in laudem summorum Ducum Populi Romani ab Arretinis posita fuisse non dubito, quae vel perierunt, exolescente consequentium seculorum saeva barbarie, vel sub terra hactenus latent, fato quodam misere consepulta. Nam verum illud est quod ait Ausonius in Epitaphio Heroum XX:

Ocyus ista ruunt, quae sic cumulata locantur;
Maior ubi est cultus, magna ruina subest.

Ut in rem meam aliquod afferam argumentum, libet primum subiicere quoddam marmoris fragmentum, quod Arretii erutum est, & cum multis eruditae antiquitatis monumentis servatur in Museo Iohannis Hieronymi Baccii, Patricii Arretini, Viri Equestris Ordinis; in quo haec tantum supersunt:

3. SEPRONIVS P.
GRACVS

3. Videmus igitur in eo consignatum fuisse nomen, & fortassis elogium fortissimi clarissimique viri Tiberii Sempronii Gracchi, Publii filii, qui Praetor Galliam, Consul Hispaniam, altero Consulatu Sardiniam domuit, ut auctor est qui de Viris illustribus scripsit, memorantque Fasti Consulares. Aliarum Tabularum, quae mox afferam, exempla id quod dicebam comprobare videntur. Emendatis fabrilibus mendis legendum est SEMPRONIVS P.... GRACCHVS.

Non dubito tamen fore plerosque qui de sinceritate horum monumentorum ambigent, quod iam viri docti fecerunt; sed, mehercule, iniquis argumentis: rationes vero inferius adducam, quibus ab omni suspicionis nota ea conabor vindicare. Suo pariter loco dicam a quo posita fuerint, quove in loco collocata. Neque enim in magno Inscriptionum antiquarum opere hae solae occurrunt Tabulae, sed plures leguntur, quae laudes, & egregia facinora praestantissimorum Ducum Romanae Reipublicae describunt. Nam, ut nihil dicam de duabus Inscriptionibus, quae in honorem Cornelii Scipionis positae fuere a Brixiensibus p. CCCXCVII. 4. 5. elogium L. Caecilii Metelli, quod exhibetur p. CCCLXXVII. 4. ex Plinio transcriptum esse apparet. In Museo Marchionis Riccardii exstat fragmentum elogii M. Furii Camilli Dictatoris, quod ut diximus in Parte I. pag. 96. num. 48. ex Livio desumptum esse videtur. Quae vero sequitur Tabula, laudibus insignis M. Valerii Maximi, Volusi filii, eruditis viris nunc primum cognita est.

Tabula

Tabula marm. alt. ped. Rom. I. cum semisse, lat. unc. xiv. in eodem Museo Nob. V. Iohannis Hieronymi Equitis Baccii.

4

M'. VALERIVS
VOLVSI F.
MAXIMVS
DICTATOR AVGVR PRIMVS QVAM
VLLVM MAGISTRATVM GERERET
DICTATOR DICTVS EST TRIVMPHAVIT
DE SABINIS ET MEDVLLINIS PLEBEM
DE SACRO MONTE DEDVXIT GRATIAM
CVM PATRIBVS RECONCILIAVIT FOE
NORE GRAVI POPVLVM SENATVS HOC
EIVS REI AVCTORE LIBERAVIT SELLAE
CVRVLIS LOCVS IPSI POSTERISQVE
AD MVRCIAE SPECTANDI CAVSSA DATVS
EST PRINCEPS IN SENATVM SEMEL
LECTVS EST

4. Inventa fuit haec Tabula anno MDCLXXXVIII. quum quidam murus dirueretur ad Portam, vulgari sermone (*Colcitrone*) appellatam, qui pars fuit Arcis conditae anno MCCCXXXVIII. tempore Ducis Athenarum. Qua de caussa Manius Valerius nuncupatus fuerit *Maximus*, exponit Cicero in Bruto, fere in principio, disserens de claris Oratoribus. *Videmus item paucis annis post reges exactos, cum plebs prope ripam Anienis ad tertium milliarium consedisset, eumque Montem, qui Sacer appellatus est, occupavisset, M'. Valerium Dictatorem dicendo sedavisse discordias; eique ob eam rem*

 honores

honores amplissimos habitos, & eum primum ob eam ipsam caussam MAXIMUM esse appellatum. Ex quibus colligimus virum fuisse disertum, suaque eloquentia tantum potuisse, ut plebem cum patribus reconciliaret; fixo quoque clavo, ut putat Sigonius, anno CCLIX. quo piaculo alienatas discordia mentes hominum compotes sui faceret. Super hac re consulendus Livius Libro VII. Plutarchus in Fabio Maximo, & Pompeio, Valerius Maximus Lib. VIII. Cap. X. Volaterranus Libro XVI. Cap. I. Urbanorum Commentariorum; praesertim vero Sigonius in Commentariis in Fastos & Triumphos Romanos, anno CCLIX. qui Livio, & Dionysio teste, ait M'. Valerium ante se Dictatura abdicasse, quam plebs Sacrum Montem occuparet, adeoque Ciceronem aut alios annales sequutum, aut lapsum esse.

Praeter cognomen *Maximi*, alium honorem consecutum esse M'. Valerium testatur marmor, nempe sellam curulem, qua tum ipse, tum posteri eius in Circo ad spectandum uti possent. Locus in hoc marmore designatur ubi spectacula ederentur, nempe AD MVRCIAE; subintellige *Sacellum*; cuius meminit Sex. Pompeius. *Murciae*, inquit, *Deae sacellum erat sub monte Aventino, qui antea Murcius vocabatur*. Murciam cognominatam fuisse Venerem docet Varro Lib. IV. de Ling. Lat. & Plinius Lib. XII. Cap. I. item Lib. XV. Cap. 29. Sellae curulis insigne, honoris caussa permissum M'. Valerio posterisque eius affirmat Alexander Genialium Dierum Lib. IV. Cap. XI. quod Sabinos fudisset fugavissetque, & castris exuisset. Triumphus iste de Sabinis notatur in Fastis Consularibus, anno Urbis conditae CCLIX. cuius etiam meminere Livius, & Dionysius. De Medullinis vero triumphus in Fastis non memoratur. Alium honorem Valerio Maximo habitum affert Pedianus in Pisonianam, auctore Antiate, quod nempe domum publice in Palatio aedificatam haberet, cuius fores non introrsum trahendo, sed in viam publicam pellendo aperirentur. Sed huiusce honoris insigne non Valerio Maximo, sed M. Valerio Poplicolae, quem Dionysius M'. Valerii Maximi fratrem

trem

trem fuisse tradit, aliqui tribuunt, inter quos Muretus Var. Lect. Lib. I. Cap. XVII.

Tabula marmorea alta Rom. ped. I. *unc.* III. *lata similiter ped. circiter* I. *quae anno MDLV. Arretii eruta est cum circumfoderentur fundamenta propugnaculi S. Iohannis, sub Porta Colcitronis; Florentiam postea translata, hodie exstat in Regio Museo Mediceo.*

5

APPIVS . CLAVDIVS
C . F . CAECVS
CENSOR . COS . BIS . DICT . INTERREX . III
PR . II . AED . CVR . II . Q . TR . MIL . III . COM
PLVRA . OPPIDA . DE . SAMNITIBVS . CEPIT
SABINORVM . ET . TVSCORVM . EXERCI
TVM . FVDIT . PACEM . FIERI . CVM TYRRHO
REGE . PROHIBVIT . IN . CENSVRA . VIAM
APPIAM . STRAVIT . ET AQVAM . IN
VRBEM ADDVXIT . AEDEM . BELLONA
FECIT

5. Nemo est in antiquitatis studio tam peregrinus, qui nesciat Claudiorum gentem compluribus honoribus, magistratibus, ac triumphis nobilissimam, atque amplissimam ex Regillo Sabinorum oppido esse oriundam; nullamque adoptationem inter patricios Claudios reperiri; quod summae nobilitatis insigne habitum est. Omnium seculorum memoria dignus Appius Claudius Crassus, cui postea cognomen

gnomen

gnomen Caecus fuit, Censoriam dignitatem suscepit ante superiorem consulatum, anno conditae Urbis CDXLI. una cum C. Plautio Venoce, auctore Livio, Diodoro, Eutropio, Cassiodoro, Frontino, & Cicerone in Catone, qui ut in Tabulis Capitolinis scriptum est, Censores lustrum XXVI fecere. Fuit tum Censura annorum quinque, quam Appius toto quinquennio solus obtinuit; deinceps vero immutata. Hac in censura viam omnium maximam, & laudatissimam Capuam usque stravit lapidibus; cuius initium est a porta Capena, ut tradit Frontinus; item aquam in Urbem deduxit M. Valerio Maximo, & P. Decio Mure Consulibus, annos triginta post initium belli Samnitici. Aniene in urbem inducto, aqua ab eius nomine Claudia; via vero ex eius praenomine Appia deinceps appellata est. Sed Tacitus, & auctor libri de Viris illustribus aliter sentire videntur, qui eam viam Brundusium usque pertinuisse affirmant. Consule Panvinium de Urbe Roma. Innuere videtur haec Tabula AEdem quoque Bellonae ab eo factam in censura. Eius dedicationis meminit his verbis Ovidius Fastorum Lib. VI.

Hac sacrata die Tusco Bellona duello
Dicitur, & Latio prospera semper adest.
Appius est auctor, Pyrrho qui pace negata,
Multum animo vidit, lumine caecus erat.

Constituta haec fuit in nona Regione, ut P. Victor scribit, versus portam Carmentalem in Circo Flaminio, apud quam Senatus vocabatur, dabaturque plerumque e bello redeuntibus ducibus, & legatis exterarum gentium, quos in urbem admittere nolebant, ut ex Livio clare colligitur, & hac de re copiose differit Alexander Neapolitanus Lib. VI. Cap. 6. Ante templum fuit columella, quae bellica dicebatur, super qua hastam iaciebant bellum indicturi, ut scribit Festus. De Bellona Dea nil hoc loci opus est dicere, de qua plura Gyraldus in Syntagmate X de Deis Gentium.

Qua vero de caussa caecus factus fuerit, narrat Livius Lib. IX. hoc pacto: *Eadem, Appio auctore, Potitia gens, cuius*

ad

ad aram maximam Herculis familiare sacerdotium fuerat, servos publicos ministerii delegandi causa, solemnia eius sacri docuerat. Traditur inde dictu mirabile, & quod dimovendis statu suo sacris religionem facere posset. Cum duodecim familiae ea tempestate Potitiorum essent, puberes ad triginta, omnes intra annum cum stirpe extinctos; nec nomen tantum Potitiorum interiisse, sed Censorem etiam Appium, memori Deum ira, post aliquot annos luminibus captum. Auctor de Viris illustribus n. XXXIV. duas fuisse familias scribit ad Herculis sacra destinatas, Potitiorum, & Pinariorum. Potitios Herculis Sacerdotes pretio corruptos ab Appio Claudio, ut sacra Herculea servos publicos edocerent, unde caecatus est; gens Potitiorum funditus periit. De his sacris fusius Alexander Genial. Dier. Lib. II. Cap. 14. Meminit Dionysius Lib. I. Diodorus Siculus Lib. V. Valerius Max. Lib. I. Cap. 2. §. 2. aliique. Anno U. C. CDLXXIIII. Pyrrho Epirotarum rege in admirationem converso, quod ab exercitu suo maxime elephantorum pugna, victis pulsisque Romanis in Campania, inter Pandrosiam, & Heracleam urbes ad flumen Sirim, nulla post haec ab ipsis de pace mentio fieret, misso Romam Legato Cinea, viro magni ingenii, olim Demosthenis auditore, qui experiretur an pacem inire vellent, & ut gratiam potentum pretio quaereret; quum in Senatu de pace cum Pyrrho habenda ageretur, inclinante ad eam Senatu, ut narrat Plutarchus in vita Pyrrhi, Appius Claudius vir amplissimus, qui propter invalitudinem oculorum, iamdiu a consiliis publicis se abstinuerat, his auditis, lectica in Curiam delatus, stipatus filiis, & genero, [facto silentio ad eius praesentiam] magnificam habuit orationem, quam idem Plutarchus retulit, & laudat Cicero in Catone, & in Bruto, & in Tusculanis; qua, pacem foedusque fieri cum Pyrrho prohibuit, & animos omnium ad studium belli traduxit. Vide Plutarchum in Pyrrho, Ulpianum Lib. IV. ad edictum Pom. tit. de Origine iuris Lib. II. Missi sunt contra Pyrrhum duces P. Sulpicius, & P. Decius Mus Consules; certamine commisso Pyrrhus vulneratus

est,

est, elephanti interfecti, XX millia caesa hostium; at ex Romanis tantum quinque millia, Pyrrhus Tarentum fugatus. Haec ex eodem Plutarcho loco suprascripto, ex Floro Lib. I. Cap. 18. ex Iustino Libro XVIII. & Val. Maximo Libro VIII. Cap. 14. §. 6.

Duos Appius gestit Consulatus, uti & haec Tabula testatur, primum anno CDXLVI cum L. Volumnio, ut prodit Livius Lib. IX. Cassiodorus, & Diodorus, & Cicero in Catone, qui auctor est inter duos Ap. Caeci consulatus, annos decem intercessisse. Secundum, ut item notatur in Fastis Consularibus, ad quos vide Sigonium, gessit anno CDLVII. cum eodem L. Volumnio e plebe; quamvis anno CCCLXXXVIII. ne consulatus cum plebeis communicaretur acerrime restitisset, ut memorat auctor de Viris illustribus. Hoc factum est quum Licinius Stolo Tribunus Plebis esset; qui legem tulit, ut alter Consul ex plebe crearetur; contra quam legem Appii oratio exstat apud Livium Lib. VI. Dec. I. Sabinos, & Samnites bello domuit, complura oppida cepit, Tuscorum exercitum fudit, anno ab urbe condita quadringentesimo quinquagesimo septimo, licet id alii aliis tribuant. In Censura libertinos quoque in Senatum legit; quam electionem nemo ratam habuit: quare paullo post a Q. Fabio Rulliano (qui Maximus cognominatus est) amoti sunt, ut narrat Livius Lib. IX. Dec. I. Idem quoque epulandi, decantandique ius Tibicinibus in publico ademit. Nam epulum olim exhibebatur civibus in dedicationibus templorum, in triumpho, in spectaculis, in funere. Verum Tibicines ira commoti Tibur uno agmine abierunt; sed paullo post a Romanorum legatis, nolentes dolo, & fraude revocati sunt, auctore Livio, loco suprascripto. Vir equidem fuit nobilissimus, & praestantissimus, consilio, & eloquentia summopere spectabilis; quem inter claros Oratores recenset Cicero summa cum laude.

Ta-

Tabula marmorea alta pedem Romanum I. *uncias* VII. *lata itidem circiter pedem* I. *inventa, ut plures veteres Codices testantur*, Arretii in Basilica; *quae hodie servatur Florentiae in regio Museo Mediceo*.

6 Q. F. MAXIMVS
DICTATOR . BIS . COS . V . CEN
SOR . INTERREX . II . AED . CVR
Q. II . TR . MIL . II . PONTIFEX . AVGVR
PRIMO . CONSVLATV . LIGVRES . SVBE
GIT . EX . IIS . TRIVMPHAVIT . TERTIO . ET
QVARTO . HANNIBALEM . COMPLVRI
BVS . VICTORIS . FEROCEM . SVBSEQVEN
DO . COERCVIT . DICTATOR . MAGISTRO
EQVITVM . MINVCIO . QVOIVS . POPV
LVS . IMPERIVM . CVM . DICTATORIS
IMPERIO . AEQVAVERAT . ET . EXERCITVI
PROFLIGATO . SVBVENIT . ET . EO . NOMI
NE . AB . EXERCITV . MINVCIANO . PA
TER . APPELLATVS . EST . CONSVL . QVIN
TVM . TARENTVM . CEPIT . TRIVMPHA
VIT . DVX . AETATIS . SVAE . CAVTISSI
MVS . ET . RE . MILITARIS . PERITISSIMVS
HABITVS . EST . PRINCEPS . IN . SENATVM
DVOBVS . LVSTRIS . LECTVS . EST

6. Romanis cruento proelio ad Trebiam victis, exercitu prodito, castris direptis, Flaminio Consule in acie extincto, magno metu Roma perculsa, ferociente compluri-

bus victoriis Hannibale, prima reviviſcentis Romanae Reipublicae ſalus, ſpes, ac praeſidium Fabius Maximus fuit, qui quum ceteris longe praeſtaret animi fortitudine, morum gravitate, & ſapientia, uno omnium conſenſu Dictator creatus, immaniſſimum, & callidiſsimum hoſtem non tantum virtute, ſed etiam conſilio, & cautiſsima cunctatione, qua *Cunctator* poſtea cognominatus eſt, domuit, fregit, devicit. *Maximi* appellationem putat Plutarchus in eius vita, eum fuiſse adeptum ob ſplendorem, & animi magnitudinem; *Verrucoſi* vero cognomentum a verruca, ſeu parva carnis elatione innata in ſuperioris labri extremitate; *Oviculae* tandem, ob morum clementiam, & manſuetudinem. Videndus hac item de re Plinius Lib. XXXIV. Cap. 7. & Alexander Genialium Dierum Lib. I. Cap. 9. Ceterum *Maximi* cognomen publico teſtimonio iam antea virtutis cauſa meruerat Q. Fabius Rullianus, quod patres a plebe diſſidentes reconciliaſset, ut Livius eſt auctor Lib. X.

Fabii, quemadmodum memoriae prodidit Plutarchus, ſtirpem ad Fabium Herculis filium referebant. Hinc Fabius Maximus anno ab Urbe condita DLXIV, Tarento ab hoſtibus recepto, Herculis ſignum inde tranſlatum in Capitolio dedicavit, locavitque iuxta aeream ſuam equeſtrem ſtatuam, ut ſcribit Plutarchus, itemque auctor de Viris illuſtribus n. XLIII. & Livius Lib. VII. Alexander Lib. II. Cap. 14. Genial. Dier. & Marlianus Lib. VI. Cap. 6. Rom. Antiq. Fuit autem ſimulacrum aeneum, auro perfuſum, imberbe, dextera clavam, ſiniſtra Heſperidum aurea mala praeferens; quod multos poſt annos Romae prope Scholam Graecam, & Forum Boarium in ruina arae maximae repertum eſt, teſte eodem Marliano Lib. II. Cap. 6. Topographiae.

Singula quae in hoc honorario marmore ſcripta ſunt in laudem Q. Fabii Maximi ordine nunc proſequar. Primum Dictator creatus anno DXXXII. C. Flaminium Nepotem Magiſtrum Equitum delegit; ſecundo vero Dictator factus anno DXXXVI. M. Minucium Rufum Magiſtrum Equitum

tum

tum elegit; qui ferox, & temerarius, eum criminando tanquam timidum, & segnem, effecit, ut populi iussu imperium sibi cum Fabio aequaretur, singulari, & antea inaudito exemplo; quod quidem passus est Fabius, duoque tum primum Dictatores facti sunt, sine Magistro Equitum, Fabius, & Minucius. Diviso exercitu, quum Minucius cum Hannibalis exercitu iniquo in loco conflixisset, magnoque in discrimine ob eius imperitiam Romanae Legiones essent, superveniente cum exercitu Fabio Maximo, praesentissimo periculo liberatus est. Quo beneficio victus, castra cum eo coniunxit, imperio statim se abdicavit, patrem suum salutavit Fabium, quo etiam nomine ab universo Minuciano exercitu appellatus est; tandem Fabius Hannibalem in agro Falerno inclusum subsequendo coërcuit, fregit, devicit. Qui Plutarchum in vita huius clarissimi Ducis adire voluerit, summa cum iucunditate, alia quae notari heic possent, observabit.

Venio nunc ad eius Consulatus recensendos ex Fastis Capitolinis. Quinquies, ut in hoc marmore scribitur, Consul fuit. Primum cum M. Pomponio Mathone, anno DXX. in quo Ligures vicit, deque iis triumphavit Kalendis Februarii. Templum item Virtutis, & Honoris dedicavit, ut memorat Cicero de Natura Deorum. Deinde Censor factus cum M. Sempronio Tuditano, anno DXXIII. Secundum Consul fuit cum Spurio Carvilio Maximo, anno DXXV. cuius meminit Cicero in Catone, & Cassiodorus. Tertium iniit consulatum cum T. Sempronio, ut memorat Livius, anno DXXXIIX. Quartum cum M. Claudio Marcello, anno DXXXIX. Quinctum vero gessit cum Q. Fulvio Flacco, anno DXLIV. quo in consulatu Tarentum cepit, triumphavitque, qui triumphus primo clarior, & illustrior fuit, teste Plutarcho. Vide Ciceronem de Oratore II. in Catone, Livium Lib. XXVII. Hac inclyta Calabriae urbe capta, primores ex familia Brutorum iugulati sunt, interfecti Tarentinorum infiniti, triginta millia venditi, & triginta millia talentorum ex praeda hostili in

aerarium relata. De qua oppugnatione scribit Livius Lib. XXVII. Plutarchus in Fabio Maximo, D. Augustinus Lib. I. Cap. 6. de Civitate Dei, Silius Italicus Lib. XV. Concluditur elogium appellaturque Fabius Dux aetatis sue cautissimus, & rei militaris peritissimus; nam optime exploratis consiliis, & fraudibus ferocientis hostis, prudenti cunctatione eum fregit, Romanamque Rempublicam collabentem restituit. De eius Augurali dignitate loquitur Cicero in Catone. Sexaginta tribus annis eum fuisse Augurem scribit Plinius Lib. VII. Cap. 48. Consulendus item Sigonii Commentarius in Fastos, & Triumphos Romanos pag. mihi 60.

Marmoris fragmentum, quod ad hanc diem visitur caemento inclusum in parastata Xysti maioris Plateae Arretii; alt. Ped. Rom. I. unc. II. lat. unc. XIII.

7

L. AEMILIVS
L. F. PAVLLVS
COS. II CENS. INTERREX. PR. AED
CVR. Q. TR. MIL. TERTIO. AVG
LIGVRIBVS. DOMTIIS. PRIORE
CONSVLATV. TRIVMPHAVIT
ITERVM COS. VT. CVM. REGE
:::SE. BELLVM. GERERET. AP
CTVS. EST. COPIAS. REG
VS. QVIBVS ::::AC
:::::: DE I::::
S. CEI :::

7. Inter haec clarissima Romanae Reipublicae lumina meri-

merito Arretini omni laude dignum censuere L. AEmilium Paullum, cuius res gestas perpetuo monumento describi, & posteris mandari curarunt. Singulari virtute, & rei militaris peritia huius praestantissimi viri effectum est ut florentissimum potentissimumque Macedonum regnum, terrarum imperio potitum, Romanis victricibus aquilis subderetur, ac tributum solveret; e summo fortunae culmine post centum quinquaginta annos, quibus floruit, deiectum in miserandum finem, devicto, & in triumphum ducto cum filiis Perse Rege.

AEmiliae gentis antiquissimam originem, amplissimos honores, magistratuum insignia, virosque inclytos, qui ex ea prodiere, nemo est in Romana Historia adeo rudis hospes qui nesciat. Plura de ea scripsere Plutarchus in Paullo AEmilio, Alexander Genialium Dierum Lib. I. Cap. 9. Volaterranus Comment. Urb. Lib. XIII. Cap. 3. Richardus Streinnius de Gentibus, & Familiis Romanorum. L. AEmilius Paullus Lucii Paulli filius fuit; qui in bello, contra Hannibalem apud Cannas, strenuae adversus hostes pugnans, interiit. AEdilitatem primum omnium magistratuum consecutus est suffragiis populi Romani, praelatus duodecim competitoribus, qui omnes postea consules fuere. Augur deinde factus, huic dignitati summam addidit amplitudinem, & maiestatem. Durante adversus Antiochum bello, ad hoc missus est, non cum sex, ut ceteri Praetores, sed cum duodecim securibus, adeo-ut dignitas consularis imperio eius inesset. Bis signis conlatis, superato hoste, interfectis circiter triginta hominum millibus, urbibus ducentis quinquaginta in deditionem receptis, pacata provincia, ne una quidem drachma ditior quam profectus erat, Romam reversus est.

Anno U. C. DLXXI. tandem post tres repulsas, quae virtutem eius non fregerunt, sed potius acuerunt, cum Cn. Baebio Pamphilo Consul factus, bellum gessit adversus Ligures, bellicosos homines, & mirifice omnibus pugnandi artibus instructos. Cum octo millibus militum, adver-

sus

ſus triginta millia hoſtium feliciter conflixit, deque his in fugam verſis, triumphum egit, de quo Livius Lib. XXXIX, Plutarchus, aliique. Rerum geſtarum ordinem in tabula pictum in conſpectu populi Romani in Capitolio poſuit. Septuaginta Epirotarum Urbes, teſte Polybio, funditus evertit. Haec in primo conſulatu memoratu digna ab eo geſta ſunt.

Sequenti tempore, quieti ſuae dum conſulit, ſexageſimum iam agens aetatis annum, ſolum auguriis, & omnibus ſtudiis, & artibus in erudiendis filiis intentus; iterum conſuli deſignato anno DXXCV. cum C. Licinio Craſſo, Macedonia provincia demandata eſt, neque expectatum ut ſortito id fieret. Ad bellum igitur profectus Perſen Macedonum Regem ingenti proelio ad Pyduam fuſum fugatumque caſtris exuit, deletiſque eius copiis, quum in inſulam Samothraciam profugiſſet, vivum cum coniuge & liberis cepit, deque eo triumphavit. In ea pugna, unius horae ſpatio, ut ſcribit Plutarchus, caeſa ſunt Macedonum ſupra viginti quinque millia, Romanorum vero, ut ferunt, fere centum, aut octoginta. Macedones infra duos dies totam Macedoniam AEmilio dediderunt. Pugnae, & victoriae nuntius intra pauciſſimos dies Romam adlatus eſt, ſedente populo in theatro ad ſpectaculum ludorum equeſtrium; quo audito ingens ubique plauſus, & maxima omnium laetitia excitata eſt. Tanta vero clementia eum fuiſse praeditum narrant, ut Perſis Regis adverſam fortunam lacrymis ſit proſecutus, eumque humi proſtratum erexerit, ſibique adſidere iuſserit: eum increpatus quod degeneri voce rerum a ſe geſtarum gloriam vel imminueret, vel deturparet; ſeque indignum oſtenderet qui cum tanto hoſte manus conſeruiſſet.

Paulli triumphus fuit omnium celeberrimus, pompàque non antea viſa glorioſiſſimus. Per triduum eum triumphaſse ſcribit Plutarchus, atque ut in Capitolino eius triumpho notatum eſt IIII. III. & pridie Kal. Decembres. Primo die ſigna, tabulaſque, ſecundo arma, theſauros, pecu-

pecuniasque ; tertio captivos ipsumque Regem cum duobus filiis Philippo, & Alexandro esse transvectos. Eiusdem triumphi meminit Orosius, Florus, & Velleius, qui bis millies centies H-S in aerarium ab eo inlatum prodit. Summam omnis captivi auri, argentique translati H-S millies ducenties fuisse Valerius Antias tradit, ut refert Livius. Plutarchus tantam vim pecuniae a Paullo inlatam memorat, ut cives usque ad Hirtium, & Pansam Consules tributum nullum contulerint. At Cn. Octavius Kal. Decembris de eodem Rege Perse navalem triumphum egit, ut in Capitolinis Tabulis scriptum est ; qui tamen sine captivis, & sine spoliis fuit. Huiusce victoriae triumphique monumentum, facta ab eo Romae memoratur duplex Porticus, quae Corinthia appellata est a capitulis aereis columnarum, auctore Festo Lib. XIII.

Summa vero fuit Paulli abstinentia, summa in felicitate, & in adversis animi moderatio, & constantia. Nam pauperem domum uti invenerat reliquit, fortunamque in tanta laetitia saevientem memorabili exemplo virtutis superavit. Ex quatuor namque filiis quos habuit, duos quos in sua potestate retinuerat, intra paucos dies amisit ; alter sexdecim annos natus, quincto ante triumphum die, mortuus est ; alter duodecim annorum aetatem ferens, tertio post triumphum die, teste Plutarcho, decessit : adeo nil stabile, & firmum in humanis rebus esse potest ; summamque laetitiam saepius dolor, & luctus occupant. In tanta fortunae varietate haud animo fractus, moerentem populum in concionem vocavit, & quasi consolatione non indigeret, fortunae gratias egit, quod si quid adversi Reipublicae imminebat, sua esset calamitate decisum. Ob haec omnia & a Senatu, & a populo concessum est ut Ludis Circensibus triumphali veste uteretur. In eius censura censa sunt civium Romanorum capita trecenta millia supra triginta septem.

Vetu-

Vetusta haec Tabula intercidit ; sed in aliquibus MSS. Codicibus dicitur exstare Arretii in Basilica , sub Statua C. Marii.

8

C. MARIVS. C. F. COS. VII. PR.
TR. PL. Q. AVG. TR. MILITVM EX
TRA SORTEM BELLVM CVM IVGVR
THA REGE NVMIDIAE COS. GESSIT
EVM CEPIT ET TRIVMPHANS IN
SECVNDO CONSVLATV ANTE CVR
RVM SVVM DVCI IVSSIT TERTIVM
COS. APSENS CREATVS ET IIII COS.
TEVTONORVM EXERCITVM DELEVIT
V. COS. CIMBROS. FVDIT. EX IIS ET
TEVTONIS ITERVM TRIVMPHAVIT
REMPVBLIC. TVRBATAM SEDITI
ONIBVS TR. TR. PL. ET PRAETOR. QVI
ARMATI CAPITOLIVM OCCVPAVERANT
VI. COS. VINDICAVIT POST LXX. ANNVM
PATRIA PER ARMA CIVILIA EXPVLSVS
ARMIS RESTITVTVS VII. COS. FACTVS
EST DE MANVBIIS CIMBRICIS ET TEVTONIS
AEDEM HONORI ET VIRTVTI ET VICTOR.
FECIT VESTE TRIVMPHALI CALCEIS
PATRICIIS. MVLTATIVS M. F.

8. Magnorum Ducum bellica virtus, quamvis interdum saevitia, ferocitate, deterrimisque animi morbis obscurata fuerit, magna tamen in laude, & admiratione apud omnes semper fuit, nec sine aliquo honoris monumento posteris commendata ; quod haec Tabula declarat praeconiis C. Marii insignis : quem virum neque propter dignitatem lau-

laudare satis quisquam commode, neque propter crudelitatem abunde vituperare potest.

Sed singula in marmore scripta, quae ad Historiam, & ad eius laudes pertinent, exponenda a nobis sunt. C. Marius, municeps Arpinas, humili atque obscuro loco natus, nulla maiorum commendatione, amplissimos honores consecutus est; in quibus, ut auctor est Sallustius de Bello Iugurthino n. 63. adeo praeclare se gessit, ut amplioribus semper dignus haberetur. Cicero eius conterraneus Lib. II. Tusculanarum Quaest. *hominem rusticum*, Florus Libro III. Cap. 16. *nobilitatis inimicum fuisse* tradunt. Sed Valerius Maximus Lib. II. Cap. 1. §. 17. cum non esse damnandum rigoris rustici crimine scribit. Plutarchus, qui vitam eius scripsit, durum, & bellicosum animum ei naturam effinxisse narrat, adeoque laboris patientissimum. E numero Senatorum eiectus, duas in petendo honore AEdilitatis repulsas passus est; tamen quod fortassis nulli contigit, Consul, summo populi studio, septies creatus est, & quidem bis absens. De eius Consulari dignitate scripsere Plinius Lib. XI. Cap. 45. & Florus Lib. III. Cap. 3.

Primum igitur, septimo post Praeturam anno, Consul factus est cum L. Cassio Longino, anno ab Urbe condita DCXLVI. ut testatur Cicero Libro de Officiis III. & Cassiodorus. Causa cur factus fuerit Consul, cum a spe consulatus longe abesset, haec fuit, auctore Velleio Paterculo Lib. II. c. XI. Marius Legatus Metelli *criminatus Metelli lentitudinem, effecit, ut, cum commeatu petito Romam venisset, Consul crearetur, bellique paene patrati a Metello, qui bis Iugurtham acie fuderat, summa committeretur sibi. Metelli tamen, & triumphus fuit clarissimus, & meritum; virtutique cognomen Numidicum inditum*. Gellius Lib. XII. Cap. 9. meminit orationis, quam Metellus habuit in triumpho suo. In Africam igitur cum exercitu profectus, obtenta extra sortem ea provincia, quae iam Q. Caecilio Metello fortissimo viro contigerat, Iugurtham Numidarum, Bocchum, Iugurthae socerum, Maurorum reges, primum levibus proeliis, demum acerrimo bel-

lo fudit, vicit, & armis exuit. Iugurtham poſtmodum vivum a Boccho, Sullae opera, accepit, deque eo triumphavit, & Romam, quod vix credi poterat, ante currum ſuum duci iuſſit, cum duobus eius filiis, auctore Salluſtio, Plutarcho, Floro Lib. III. Eutropio Lib. IV. Oroſio Lib. V. Cap. 14. Fuit enim hoc in more poſitum Romanorum ut in triumpho victus, & captivi victoris currum praecederent, de quo luculenter diſſerit Alexander Genialium Dierum Lib. VI. Cap. 6. Contigit hic triumphus in ſecundo eius conſulatu cum C. Flavio Fimbria, anno DCXLIX, quem conſulatum abſens accepit, & Libya accitus, iniit Kalendis Ianuariis, anni apud Romanos initio, teſte Plutarcho; quo etiam die de Numidis, & Rege Iugurtha triumphavit, ut legitur in Faſtis. Romanis legionibus ſecundum Conſul C. Marius aquilas primus proprie dedicavit, teſte Plinio Lib. X. Cap. 4. Salluſtio in Iugurthino, & Plutarcho. In eo triumpho auri ſeptem & tria millia pondo Romam delata fuiſſe feruntur. Argenti autem non ſignati quinque millia ſeptingenta octogintaquinque pondo. Numiſmatum vero, drachmarumque ſepties mille, & viginti octo myriades extitere. Poſt pompam Marius Senatum in Capitolio convocavit, ac, ſive ignorantia, quod eum mos patrius fugeret, ſive quod fortuito ſic faceret, incivilius habitu triumphali ingreſſus eſt. Sentiens autem Senatum aegro animo id fere, ſtatim aſſurgens, ſuſcepta purpura, ad concionem rediit, ut narrat idem Plutarchus.

Tertium Conſul abſens creatus, anno DCL. collegam habuit L. Aurelium Oreſtem, cuius conſulatus mentionem faciunt Plutarchus, qui reliquos ordine recenſet, Plinius Lib. II. Cap. 59. Caſſiodorus, Florus Lib. III. Interim timoris Romae tantum fuit, quantum vix Annibalis tempore, Punicis bellis. Nam Cimbri vaſtatis omnibus, quae circa Rhodanum, & Pyrenaeum ſunt, per ſaltum in Hiſpaniam tranſgreſſi, ibique multa loca depopulati, a Celtiberis fugantur. Reverſi in Galliam, bellicoſis Teutonibus ſe coniun-

coniungunt. Marius, flagrantissimo plebis studio, adversus eos Consul, & Dux creatus, severe, & rigide milites in disciplina militari continebat; aequitate interim patefacta cum iudicasset sororis filium C. Lucium, quem Trebonius multoties tentatus, ne pudicitiam violaret, constanter repulerat, iure caesum fuisse. Tertium consulatum in apparatu belli consumpsit; non ausus congredi cum Cimbris, donec invicta illa rabies consenesceret, Floro teste Lib. IV. Cap. 3. Illi, tripartito agmine, defendente castra Mario, per Alpes, claustra Italiae transituri, Romam se capturos confidunt. Marius, mira velocitate occupatis compendiis, praevenit hostem, prioresque Teutones sub ipsis Alpium radicibus assecutus, ad Aquas Sextias duobus proeliis delevit; in quibus caesa traduntur hostium ducenta millia, capta nonaginta; ut in Epitome LXIIX. ex Eutropio Libro V. Floro Lib. III. Cap. 3. Haec gesta sunt in quarto C. Marii consulatu cum Q. Luctatio Catulo, anno DCLI.

Consul quintum cum M'. Aquilio factus, anno DCLII. Cimbros, qui per Noricum profligato Q. Catulo Proconsule irruperant in Italiam, collatis signis funditus delevit; caesa traduntur hostium centum quadraginta millia, capta sexaginta. Marius totius Urbis consensu, & acclamationibus exceptus, pro duobus triumphis, qui offerebantur, uno contentus fuit; dum interim servata Roma, & Italia, laeti omnes Romani cum filiis atque uxoribus Mario, & Diis Servatoribus domi libarent, ut narrat Plutarchus. Marius, ut in secundis rebus mansuetum se praeberet, cum Q. Catulo triumphare, gloriamque cum eo communicare instituit; quem triumphum laudat Iuvenalis Satyra VIII. a Sigonio adductus in Commentario in Fastos, & Triumphos Romanos pag. 104.

Sextum iniit Marius Consulatum cum L. Valerio Flacco, anno DLIII, obsequiis populi, maximaque omnium benevolentia laudatus. Sed turbata eo anno Republica seditionibus Tribuni Plebis, & Praetoris, quas describit Valerius Maximus Lib. IX. Cap. 7. Plutarchus, Appianus, alii-

que, Marius seditionis auctores Glauciam Praetorem, Saturninum Tribunum Plebis, & Saufeium Quaestorem in Capitolium armis prosecutus obsedit, & incisis aquarum fistulis ad deditionem compulit, ac contra fidem omnes interfecit; Saturnini vero aedes ab imis fundamentis diruit.

Anno DCLXV. L. Sulla, & Q. Pompeio Consulibus, C. Marius cum bellum civile excitasset, quod ei belli gerundi contra Mithridatem, regem Ponti, provincia demandata non esset, armis Sullanis urbe eiectus, in Minturnensium paludibus iacuit; a Minturnensibus captus, ac postmodum dimissus, in Africam delatus est. Post haec accersitus a Cinna Consule, urbem cepit, eamque caedibus & rapinis vastavit, ut memorant Appianus Libro I. Velleius Libro II. Florus Libro III. Cap. 21. Epitome LXXVII. & XXXX. Inde, primus omnium Romanorum, Consul VII. creatus cum Q. Cinna, anno DCLXVII. eodem die quo magistratum iniit, Sex. Licinium Senatorem de saxo deiici iussit, editisque multis sceleribus, Idibus Ianuariis decessit, teste Plutarcho, duodeseptuaginta annos natus, domum relinquens collectis opibus refertissimam, fortunamque suam identidem crudelem appellans, quod ante quam consilia, & desideria sua peregisset, mortem obiret.

Marius aedes suas prope Forum exaedificaverat, ut a pluribus etiam aliis, suae partis cultoribus, limina frequentarentur. Habuit & apud Misenum magnificas aedes, atque effeminatiores, quam talis viri dignitas, qui tot bella gesserat, pateretur. Quo vero tempore AEdem Honori, & Virtuti victor fecerit, incompertum mihi est. Post quintum eius consulatum id evenisse puto, cum Cimbros fudisset deque iis, & Teutonibus iterum triumphasset, ut in Arretino hoc elogio narratur. Neque vero, ut id quoque dicam, scriptum fuisse puto in hoc marmore, ut in aliquibus MSS. legitur, AEDEM . HONORI . ET . VIRTVTI . ET . VICTOR. quasi & *Victoriae* AEdem communem dedicaverit. Nam de AEde Victoriae facta a C. Mario, nullam apud veteres scriptores mentionem fieri observo; verum memoratur

ratur AEdes Honoris, & Virtutis a Vitruvio Lib. III. Cap. I. & in Prooemio Lib. VII. quam omni cultu C. Mutius architectus perfecit. In haec loca vide Philandri adnotationes.

Hoc triumpho adeo gloriatus est Marius, ut triumphali habitu, & calceis patriciis hanc AEdem facere, seu dedicare voluerit. An vero id fecerit eadem veste triumphali, nempe toga picta, & tunica palmata, purpureo colore insigni, quibus usus fuerat in triumpho, itemque calceis patriciis, qui mullei dicti, vel a suturis, vel a colore rubro, & puniceo, ut Balduinus ostendit de Calceo antiquo Cap. X. minime id adfirmare audeam. Fortassis lege lata a Tribunis plebis factum est ut omni triumphantium cultu in hac AEde dedicanda uteretur; quo honore cumulatus legitur Cnaeus Pompeius apud Paterculum Lib. II. c. 40. cui concessum est, lege lata, ut in Ludis Circensibus corona aurea, & omni cultu triumphantium uteretur; in scenicis autem praetexta, coronaque aurea, quod ille non plus quam semel usurpare sustinuit. Propria vero vestis eorum qui Diis sacrificia, vota, & dedicationes faciebant alba, & lintea erat. Fuit etiam in usu triumphantium alba vestis, ut observavimus in veteri inscriptione adlata in Columbario, sive Monumento Libertorum, & Servorum Liviae Augustae pag. 135. in qua legitur officium M. Cocceii Ambrosii Liberti, qui Imperatoris fuit PRAEPOSITVS. VESTIS. ALBAE. TRIVMPHALIS. sed diximus Imperatorem fortassis usum fuisse ea veste non in triumpho, sed in triumphalibus ludis, & spectaculis, vel etiam in cenis, quae post triumphum praebebantur.

AEdem Honoris, & Virtutis constat ex hoc lapide factam fuisse ex manubiis Cimbricis, & Teutonicis. Veteres manubias dixere spolia quaesita de vivo hoste nobili per deditionem, ut auctor est Pedianus in tertia contra Verrem; eratque haec praeda Imperatorum, ex qua quod vellent facerent. Aulus Gellius Lib. XIII. Cap. 23. manubias esse vult pecuniam vel ex hoste captam, vel ex praeda vendita redactam. Alii e contra simpliciter pro quali-

cum-

cumque praeda, nec solum ab hoste, verum etiam a cive petita. Vide Turnebum in Adversariis Lib. XVI. Cap. 15.

Devictis Cimbris, Teutonis, & Iugurtha Numidarum rege, deque his actis triumphis omnium nobilissimis, quam praeclarum, & illustre fuerit C. Marii nomen in Romana Republica declarant in eius honorem aeternitati consecrata monumenta, posteris quoque maxime clara perenni scriptorum testimonio. Eius siquidem tropaea, quae hoc tempore in Capitolio condita sunt, posterorum admirationi consecrata memorantur a Plutarcho in eius vita, a Velleio Paterculo Lib. II. c. 5. a Vitruvio, loco superius descripto, & a Sidonio Apollinare in Endecasyllabis ad Magnum Felicem; quae cum L. Sulla disiecisset, a C. Iulio Caesare restituta fuere, ut narrat Suetonius c. 51. Quo vero in loco primum posita fuerint haec tropaea, ostendit Famianus Nardinius in Descriptione Romae antiquae Lib. IV. Cap. 2. neque ad Traianum Augustum, de Dacis triumphantem, pertinere posse diserte, & luculenter ostendit Fabrettus, Cap. IV. de Columna Traiani pag. 102. & sequentibus. Haec ipsa tropaea, ornatus caussa, statuta supra arcus Aquae Marciae, velut in nobili fastigio, expressa visuntur in nummis; quorum unum, haud suspectum, protulit Goltzius in Fastis ad annum Urbis DCLIII. pag. 158. ex quo perspicuum est ea C. Mario quintum Consuli, de Iugurtha, de Ambronibus Teutoniis, Cimbrisque triumphum agenti, dedicata fuisse. Post Cimbricam victoriam cantharis potasse, Liberi Patris exemplo, traditur, auctore Plinio Lib. XXXIII. Cap. 11. Mirum igitur non est si tot monumentis elogiisque praeclaro in loco positis ubique honoratus fuerit; cum in eo uno, ut ait Cicero pro Lege Manilia, spes, & incolumitas Romani imperii posita esset; hac de re merito ab universo populo habitus tertius Romae instaurator; qui profecto si Gratiis, Musis, Graecarumque literarum studiis litasset, haudquaquam certe, quantum bello optimus, tantum pace pessimus, immodicus gloriae, insatiabilis, impotens, semperque inquietus fuisset.

Ta-

Tabula marmorea alta pedem Romanum I. & unc. XIII. lata itidem pedem I. quae exstat in Museo Iohannis Hieronymi Equitis Baccii.

9 L. LICINIVS L. F.
LVCVLLVS
COS. PR. AED. CVR. Q.
TR. MILITVM AVG.
TRIVMPHAVIT DE REGE
PONTI MITRIDATE
ET DE REGE ARMENIAE TI
GRANE MAGNIS VTRIVSQVE
REGIS COPIIS
COMPLVRIBVS PROELIS TERRA
MARIQVE SVPERATIS
CONLEGAM SVVM PVLSVM A
REGE MITRIDATE
CVM SE ISCALCHADONA CON
TVLISSET OPSIDIONE LI
BERAVIT

9. Haec quoque marmorea Tabula fertur inventa anno MDCLXXXVIII, iuxta Portam, vulgo appellatam *Colcitrone*, cum murus quidam dirueretur, qui fuit pars Arcis, conditae anno MCCCXXXVIII, tempore Athenarum Ducis; ac proinde eodem loco, ac tempore detecta, quo & superius adlata Tabula in honorem M. Valerii Maximi

pag.

pag. 235. Continet elogium L. Licinii Luculli, quem Cicero, in Oratione pro Lege Manilia, fortem virum, sapientem hominem, magnum Imperatorem merito appellat. Primum stipendia fecit sub signis L. Sullae; qui eius constantia, & humanitate ductus tantum illi auctoritatis, atque virtutis tribuebat, ut ubi quid fortiter, ac strenue agendum esset, quoad vixit, eius opera potissimum uteretur; cui etiam commentaria rerum suarum inscripsit, teste Plutarcho. Summa in eo fuit cum eruditione eloquentia, qui commentaria scripsit de bello Marsico, cui ipse cum Sulla interfuit. Praeterea cum Hortensio summo Oratore, & Sisenna Historico praeclarissimo persaepe dicendo, & scribendo certavit. Sed plena quum sint eius laudibus veterum scriptorum monumenta, nil opus est in his diutius immorari. Singula vero, quae in hoc Arretinorum elogio leguntur, indicatis auctorum locis, qui de eius laudibus scripserunt, breviter explicanda sunt.

Quaestor in Asiam profectus est; ibique per multos annos admirabili quadam laude provinciae praefuit, & ob quaestorium munus ludos quam magnificentissimos edidit. Deinde absens factus AEdilis cum fratre, continuo Praetor, in Africam postmodum missus est. Augurali dignitate ornatum fuisse memorat haec Tabula. Mortuo Sulla, habitis paullo postea comitiis, una cum M. Aurelio Cotta Consul declaratus est, U. C. anno DCLXXIX. cuius muneris meminit Plutarchus, Cassiodorus, Appianus in Mithridatico, Plinius Lib. XXXVI. Cap. 6. Cotta ad observandam Propontidem, & ad debellandam Bithyniam missus est; Lucullo renovandi belli cum Mithridate Ponti Rege provincia data, quamvis primo ei Gallia Cisalpina sorte contigisset. Bellum igitur cum Mithridate, qui per quadraginta annos Romanis restitit, absque ullo publici aerarii impendio, novem annis felicissime gessit; quem fudit, profligavit, eiusque astus singulari prudentia, & consilio compluribus proeliis terra marique superavit. Eupatoriam, & Amisum, civitates Ponti nobilissimas, expugnavit.

Collegam ſuum Cottam, terra marique profligatum a Mithridate, ſexaginta navibus, & militum quatuor millibus ſtrage amiſſis Chalcedone obſeſſum, ſummis obſidionis periculis, virtute, adſiduitate, conſilio liberavit. Secundo proelio ad Cizicum urbem exercitum Mithridatis fame ferroque delevit, pulſumque e Bithynia Regem, variis belli, ac naufragiorum caſibus fractum, coegit in Pontum profugere. De eadem obſidione Appianus pluribus verbis in Mithridatico, & Plutarchus in Luculli vita. Silentio minime praetereunda Ciceronis verba in Mureniana: *L. Luculli vero res tantae extiterunt, ut neque maius bellum commemorari poſſit, neque maiore conſilio, & virtute geſtum: nam cum totius impetus belli ad Cyzicenorum moenia conſtitiſſet, eamque urbem ſibi Mithridates Aſiae ianuam fore putaviſſet, qua effracta, & revulſa, tota pateret provincia; perfecta ab Lucullo haec ſunt omnia, ut urbs fideliſſimorum ſociorum defenderetur, & omnes copiae Regis diuturnitate obſidionis conſumerentur*. Eadem & pro Archia Poeta:

Mithridatem, in illo timore, & fuga, erepta ex omni impetu regio, ac totius belli ore, ac faucibus Aſiae urbe clariſſima Cyzicenorum, Tigranes Rex Armenius excepit, diffidentemque rebus ſuis confirmavit, & afflictum erexit; qui cum eo iuncto exercitu peditum equitumque propemodum infinito, quem accurate enumerat Plutarchus, cum Luculli pauciſſimis militibus concurrerunt, ab his vero fracti, ac deleti, magna felicitate ſuperati ſunt, hoſtium in oculis; ſplendidiſſimis Aſiae regiis Tigranocerta, Cabyra, Sinope, Niſibe captis, direptis, incenſis; tota Aſia ſeptentrionali uſque ad Phaſidem, orientali uſque ad Mediem, auſtrali uſque ad rubrum mare Romano adiecta imperio; optimis ſaluberrimiſque legibus, & inſtitutis temperata; patefacto Romanis Legionibus Ponto, qui antea ex omni aditu clauſus fuerat; obtritis confractiſque tot victoriis regibus florentiſſimis, ac potentiſſimis; qui nihil aliud prorſus quam nuda corpora referentes, in vaſtas ſolitudines ſilvaſque inacceſſibiles, ceu ferae aufugerunt; ac niſi militum contumacia, & avaritia ſummum Imperatorem in me-

dio victoriarum cursu destituisset, facile omnium interiectarum gentium victor, Romani imperii terminos trans Bactra Indumque protulisset.

Post haec Luculli triumphus Romae fuit ornatissimus, quem describit Plutarchus. Triumphavit de his Regibus ab U. C. anno DCXC. Cicerone, & Antonio Consulibus. Ex tam ingenti rerum gestarum gloria postmodum Lucullus, quo nemo prudentior, nemo solertior, nemo eloquentior, aut doctior inter duces Romanos fuit, in luxum voluptatesque adeo defluxit, ut reliquum vitae in iocis, & deliciis, abiecta Reipublicae cura, egerit; quare merito eius vita Plutarcho visa est veteribus comoediis longe simillima, quarum primae partes rebus domi militiaeque gestis, postremae vero conviviis, potationibus, cantu procaci, facibus, omnique lusus genere continentur. Nam in iuventutis flore mirificus in eo fuit discendi ardor, in audiendis fovendisque doctissimis viris incredibile studium, summa in Historia conscribenda laus, in Philosophicis disciplinis comparandis promovendisque industria singularis; at in senectute otio deditus, tantum repente mutatus est, ut qui regendo orbi terrarum idoneus habebatur, seipsum regere non posset, & Callistheni Liberto, seque, remque familiarem committeret, sola fama delectatus cenarum in Apolline, amoenitate hortorum, deliciis, & magnificentia villae Tusculanae, vestium omnis generis multitudine, supellectilis denique sumptuosissimae regio splendore.

Praestantissimorum Ducum Romanae Reipublicae explicatis elogiis, superest ut de eorum aetate, ac stylo, atque hoc amplius de loco ubi posita fuerint, de auctore, qui ea dedicavit, verba faciam. Ut primum e tenebris vetustatis in lucem prodiere, docti viri iudicarunt haud scripta fuisse ea tempestate, in qua tot summorum Imperatorum apud omnes vigebat memoria, verum consequentibus seculis; nam nullo umquam tempore fama rerum, quas praeclare gesserant, deleri profecto potuit. Quare Gruterus, qui ex his tria tantum elogia edidit in suo Thesauro

vete-

veterum Inscriptionum, (neque vero inter spuria, & suppostitia reiecit) nempe Q. Fabii Maximi pag. CCCCVI. 7. Appii Claudii Caeci pag. CCCLXXXIX. 4. Caii Marii pag. CCCCXXXVI. 3. ad duo tantum notavit, pronuntiavitque clamare stylum non esse Fabiani, & Paulliani aevi, quod & ego de omnibus adfirmo. Sunt enim multa, si orthographiae leges, & usitatam eo seculo loquendi scribendique rationem probe perpendamus, itemque fabrilia non pauca errata, quibus insperfa sunt, vel elegantiam literarum, quibus caelata conspiciuntur a manu haudquaquam imperita, quae sane cum aliis Tabulis antiquioribus temporibus scriptis minime conferri possunt. In Tabula honoraria Q. Fabii Maximi, superius edita pag. 241. legitur, RE. MILITARIS. PERITISSIMVS. pro REI MILITARIS. qua phrasi frequenter utitur Livius, Cornelius Nepos, Suetonius, aliique scriptores; quamvis haud iudicandum esse tam cito fabrile erratum diligentissimus Vincentius Borghinius velit, qui, ut inferius dicam, idem elogium edidit in Dissertatione de Origine Florentiae pag. 186. In altera in honorem Appii Claudii scriptum est TYRRHO REGE, pro PYRRHO REGE. In fine vero AEDEM. BELLONA FECIT. pro AEDEM. BELLONAE FECIT. verum id accidit ut E praetermissa sit non scalptoris vitio, sed in eo angulo marmoris fractura. Quod etiam si secus esset, tamen idem mendum non insolens; nam aureo quoque seculo irrepsisse alibi observavimus in Tesseram honestae Missionis Militum Legionis Primae Adiutricis, quae edita est in Prima Parte pag. 257. nam in fine legitur IN ARA GENTIS IVLIA, pro IVLIAE, uti in altera eiusdem Tesserae facie scriptum est. In lapide vero, qui ad laudes L. Licinii Luculli pertinet, adspirationis nota omissa est, scriptumque, MITRIDATE, pro MITHRIDATE, quod frequenter contigisse in compluribus aliis antiquis monumentis observatum est; perperam item scriptum CALCHADONA pro CHALCEDONA, seu CHALCEDONEM. Cetera huius generis menda, si quae alia sunt, facile legentibus patebunt, quae in ipsis quoque aureo se-

Kk 2 culo

culo caelatis Tabulis non raro occurrunt. Quare haec ipsa monumenta in honorem praeclarissimorum Ducum Romanorum scripta, genuina, & sincera esse constanter adfirmos non eo tamen aevo, vel proximo, quo illi vivebant, sed sequioribus seculis concinnata ex his quae ab Historicis multo antea celeberrimis posterorum memoriae de iisdem prodita fuerant. Siquidem, ut supra observavimus, haec elogia cum his quae ab Historicis narrantur, vel in Capitolinis Tabulis notantur, probe consentiunt. Si quis vero de eorum sinceritate dubitet, argumento deducto ex specie marmoris, quod subcaeruleum est, & ex parvitate Tabularum (in quibus scripta sunt) quod praesertim a me de his dicitur, quae in Regio Museo Mediceo conspiciuntur, quas non semel accurate vidi, a veritatis anquirendae studio, mea quidem sententia, quam longissime distat: nam marmoris genus cum aliis, quae in Etruria nascuntur, convenit, nobisque cognitum est; quod vero attinet ad Tabularum figuram ea elogia postea renovari potuerunt, refecta scriptura ex prioribus exemplaribus; quod & in sepulcralibus Titulis a veteribus interdum factum fuisse alibi notavimus.

Vetus haec consuetudo scribendi gesta illustrium Virorum, eorumque virtutes aeternandi *per titulos, memoresque fastos*, ut ait Horatius, agens de Augusti laudibus Carm. Lib. IV. Ode XIIII. originem apud ipsos Romanos habuit ab iis praesertim familiis, ex quibus prodiere maximi illi Imperatores; quorum decora atria imaginibus plena, aerea Tabulae in funebri eorum pompa expositae, & ingentia marmora eorum laudibus insculpta ostentabant; ex quibus, ut ait Cicero in Bruto, Historia facta interdum mendosior. Sed ipsum Romanae eruditionis, & eloquentiae parentem audiamus. *Nec vero* [inquit] *habeo quemquam antiquiorem, cuius quidem scripta proferenda putem, nisi quem Appii Caeci oratio haec ipsa de Pyrrho, & nonnullae mortuorum laudationes forte delectant; & hercules hae quidem exstant. Ipsae enim familiae sua quasi ornamenta, ac monimenta servabant, & ad*

usum,

usum, si quis eiusdem generis occidisset, & ad memoriam laudum domesticarum, & ad illustrandam nobilitatem suam: quamquam his laudationibus Historia rerum nostrarum est facta mendosior. Multa enim scripta sunt in eis, quae facta non sunt, falsi triumphi, plures Consulatus, genera etiam falsa, & ad plebem transitiones, cum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunderentur genus: ut si ego me a M. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Ser. Sulpicio Cos. anno X. post exactos Reges fuit. A Romanis igitur in Latii opida, & municipia derivatum est studium conquirendi, conficiendique elogia in honorem praeclarissimorum Ducum Romanae Reipublicae; vel quod ex eorum familiis aliquem sibi patronum delegissent, vel quod multa a maioribus eius gentis beneficia, vel decus, aut gloriam suscepissent. Hinc facile, meo quidem iudicio, evenire potuit, ut superiores laudationes non solum ab Arretinis, verum etiam a Florentinis, ab Ariminensibus, atque ab aliis Municipibus, & Colonis, ad perennem tam excellentium virorum memoriam propagandam, publico in loco statuerentur, dicarenturque; ab aliquo celebriori emendatiorique exemplari excepta, ex quo varia apographa ubique sparsa fuerint. Hac mea coniectura variorum antiquorum Codicum fides, & auctoritas, haud quidem parvi facienda, percommode salvatur. Nam quod allatae superius Tabulae Arretii exstiterint perspicue testantur plures antiqui Codices, quos vidi in celeberrima Florentina Bibliotheca Strozia; testatur Codex Bibliothecae Cl. V. Alexandri Gregorii Marchionis Capponii, qui ex eo descriptas laudationes Q. Fabii, & C. Marii mecum humanissime communicavit, quarum in rubrica adnotatum est *Arretii*; testatur vetus MS. praelaudati Iohannis Hieronymi Baccii Patricii Arretini, & alterum maioribus literis exaratum pictumque, a Sponio, & in novissima Gruteri editione laudatum, quod fuit celeberrimi Viri Francisci Redii Patricii Arretini, Archiatri Cosmi III. Magni Ducis Etruriae, nunc penes eximium eius Nepotem, non sine laude a me memorandum, Gregorium Baiulivum Redium, ex quo plu-

res

res ineditas inscriptiones, literariae Reipublicae donandas, non exiguo plane labore decerpsi. In his Manuscriptis Codicibus non tantum adnotatum est Inscriptiones Q. Fabii Maximi, Appii Claudii Caeci, & C. Marii Arretii olim exstitisse, verum etiam *Arretii in Basilica* positas fuisse sub statuis eorumdem illustrium Virorum. Codex Redius bombycinus praefert auctoris nomen, & tempus, quo descriptus, & pictus fuerit, cum hac epigraphe:

VENECIIS. DIE. XV. AVG. MCCCCLXXIIII. ALEX. STRO....
SCRIP. ET. PINX.

Haec notata sunt in anteriori pagina membranacea, ad cuius oram quatuor tantum literae supersunt STRO... reliquae ablatae, exscisso eiusdem membranae labro, vel cultro, vel novacula. Huius eximiae Sylloges antiquarum Inscriptionum auctor fuit, ut auguror, ALEXANDER STROZIVS, e Gente, Florentiae antiquissima, & nobilissima. An id assererem dubius saepe mecum animo cogitavi; sed cum non semel hunc Codicem mecum perofficiose communicasset Cl. Gregorius Redius, ex eo deprehendi ad Strozios pertinuisse, in quo duobus in locis nempe pag. 64. & 180. haec notata alia manu occurrunt; ni vero ab aliquo studioso antiquitatis, memoriae caussa, descripta fuerint.

V . F
PALLAS STROCIVS EQ. HETRVSCVS
BONIS OMNIB. ET VTRAQ. LINGVA
INSIGNIS
QVOD INGRATAE PATRIAE
NEGAVERAT
ET. S. POS. ET. S.

Altitudine palmum aequat, latitudine fere dimidium. Constat XCII. paginis; in primis membranaceis in interio-

ri

ri facie antiquae Urbis Romae peraccurata delineatio exhibetur; in duodecim vero sequentibus descriptus est Valerius Probus *de Antiquorum Notis*, atque in principio hunc habet titulum: RES PRISCAE. VARIAQ. ANTIQVITATIS MONVMENTA VNDIQVE EX OMNI ORBE COLLECTA. Nolui haec silentio praeterire, quum praestantissimus Iustus Fontaninus Archiepiscopus Ancyranus pag. 86. & 87. in Addendis Commentario in Dicum argenteum Votivum Veterum Christianorum, duas Christianas Inscriptiones ineditas, formula DE DONO DEI & DE DONIS DEI insignes, ex hoc Codice produxerit, quas a me libenter, etsi serius quam oportebat, acceperat.

Verum quamvis ex pluribus Codicibus Manuscriptis, ut diximus, constet elogia Q. Fabii Maximi, & C. Marii *Arretii in Basilica* posita fuisse, aliqui tamen, quos vidi, habent *Arimini*. Fabii elogium primum editum est inter Epigrammata antiqua Urbis, curante Iacobo Mazochio pag. 18. & Arimini exstare in rubrica notatur, quod etiam in Appiani collectione legitur ac pag. 176. C. Marii elogium, producitur, & in Gruteriano Thesauro p. CCCCXXXVI. 3. sed praetermisso loco ubi reperiatur, verum varia cum orthographia, & pluribus vocibus antiquo scribendi stylo expressis: nempe EX. IEIS. ET. TEVTONEIS. & pullo post, DE. MANVBIEIS. CIMBRICIEIS. ET. TEVTONICEIS, & CALCEIS. PVNICIEIS. In eodem Thesauro Gruteriano ibidem n. 2. vulgatum est fragmentum eiusdem elogii C. Marii, quod Romae vidit, & descripsit Smetius in aedibus quondam Pomponii Laeti, literis grandibus formosisque; quod etiam testatus est Piccartus in Collectione n. 62. Arimini item exstare dixit Th. Dempsterus, qui edidit in Paralipomenis ad Rosini Antiquitates Romanas Libro V. Cap. XXXVI. Sed hi auctores cum in aliquibus Codicibus scriptum invenissent *Ar*. fortassis lapsi sunt interpretantes *Arimini*, pro *Arretii*; quae etiam Cl. Redii opinio est, superius pag. 224. exposita. In Codice MS. membranaceo Fr. Iohannis Iucundi Veronensis, penes Ill. Equitem Antonium Fran-

Franciscum Marmium, in rubrica notatur haec eadem elogia exstare *Arimini*; sed in margine adscribitur, alibi inventas fuisse duas statuas, scilicet *Arretii in Basilica*, unam C. Mario, alteram Q. Fabio dicatas, cum iisdem duobus epigrammatis, quae Iucundus describit. Sed quod elogium C. Marii Arretii fuerit non leve argumentum esse potest quod cum fracta sit Tabula marmorea in inferiori parte, eo modo ut exhibetur a Grutero pag. CCCCXXXVI. 3. fragmentum illud quod deest, ad haec tempora servatur Arretii in Museo Baccio, in quo haec scripta sunt;

M. VLATIVS. M. F

quae item leguntur in Codice Redio in fine elogii C. Marii, quod cum altero Fabii Maximi Arretii in Basilica reperiri dicitur, sed scriptoris incuria aliter scriptum; nempe MVLTATIVS M. F. pro M. VLATIVS. M. F. Ulatia familia eruditis iampridem cognita est, quae nominatur in Romano lapide penes Gruterum pag. CCCCLXVI. 7. Hunc M. Ulatium arbitror elogia his praecellentissimis Viris dedicasse in Basilica Arretinorum. Sed ut in ceteris, ita in hoc sua cuique sententia. Maiorem mihi scrupulum iniicit Vincentius Borghinius in priscis monumentis producendis expendendisque diligentissimus; qui de origine Florentiae disserens pag. 184. & 185. in Florentino Theatro inventam fuisse narrat marmoream Tabulam ornatam laudibus Q. Fabii Maximi, & cum ea defossum caput statuae eiusdem praestantissimi ducis; quod summo civium moerore, rudis quidam, & inelegans homuncio, qui repererat, ne taedio ac molestia afficeretur in eo ostendendo, defossa terra temerario ausu abscondit, qua ipse potius, maiori facta sui aggestione, obrui certe debuerat. Sed quo tempore id contigerit non indicat Borghinius, qui tamen pag. 185. eam Tabulam elogio Fabii Maximi insignem producit iisdem verbis, & lineis distinctam ad exemplum superius allatae. Verum decimo quarto seculo detectam fuisse non incertus vates auguror; certe hac tempestate viris

doctis

doctis cognita, & perspecta fuit. Id arguunt tres ultimi versus, qui ex eodem elogio desumpti, ut mea fert opinio, relati sunt in veteri inscriptione in honorem praestantissimi Florentinarum copiarum Ducis Iohannis Acuti, Equitis Britannici, cuius equestrem pictam imaginem inter illustres Viros, & de sua Republica benemerentes, Florentini in Maiore Ecclesia posuerunt. Inscriptio ita se habet:

IOANNES. ACVTVS. EQVES. BRITANNICVS.
DVX. AETATIS. SVAE. CAVTISSIMVS.
ET. REI. MILITARIS. PERITISSIMVS.
HABITVS. EST.
. PAVLI. VCCELLI. OPVS.

Iohannes Acutus bellica virtute, & egregiis animi dotibus ornatissimus, merito a Florentinis Q. Fabio Maximo comparatus, obiit XVI. Kalendas Iunias, anno MCCCXCIII. magnifica funeris pompa elatus, multisque laudibus de more publice exornatus. Equestrem eius imaginem pinxit eximius Paulus Uccellius, qui ut narrat celebris Vasarius in eius vita, mortuus est anno MCCCCXXXII. annum agens aetatis suae octogesimum tertium. Matthaeus Palmerius Florentinus in suo Chronico, singularem virtutem, & prudentiam Iohannis Acuti commendans; iisdem laudibus, quae in allata inscriptione leguntur, usus est, paucis mutatis hoc pacto: *Iohannes Acutus, Eques Britannicus, Dux aetatis suae cautissimus, & longa militia magnam rei militaris gloriam affecutus, Florentiae diem obiit*. Neque vero ex his argui potest auctorem elogii in honorem Iohannis Acuti fuisse Palmerium, de quo suspicari videtur Leopoldus Meliorius in *Florentia illustrata* pag. 34. Nam Palmerius natus est anno MCCCCV. quo quidem tempore imago Iohannis Acuti procul dubio picta fuerat ab Uccellio, & ornata superius allata epigraphe, ex elogio, ut diximus, Fabii Maximi desumpta. Insignem Codicem Chronici Matthaei Pal-

merii inscriptum Petro Medici, Cosmae filio, ex certis notis autographo valde proximum, antea nobis incognitum, nuper detexit Dominicus Maria Mannius Typographus Florentinus accuratissimus, ingenii elegantia, & eruditione apprime mihi carus; qui Codex cum altero Continuatoris Chronici Mathiae Palmerii Pisani, latebat in Bibliotheca Patrum Carmelitarum Florentiae. In eo, quod scire tamdiu optarunt viri eruditi, notatus mensis Aprilis, in quo obiit celeberrimus Chronista Matthaeus Palmerius; annus vero haudquaquam dubius ex Codice Annalium Bartholomaei Fontii ex celeberrima Bibliotheca Marchionis Riccardii, in quo scriptum est: *Anno MCCCCLXXV Matthaeus Palmerius, septuagesimo aetatis anno, Florentiae obiit. Funus honorifice elatum est. Laudavit e suggestu insigni cum oratione Alamannus Rinuccinus in S. Petri Maioris Aede*. Hac de re per epistolam, quae edita est in Parte I. Tom. II. Ephemeridis Literatorum Europae, cura Ioannis Angeli, monuit idem Mannius Cl. V. Iohannem Baptistam Recanatum. Quum igitur ex his non levibus rationum momentis perspicuum sit, Q. Fabii elogium inventum fuisse in Theatro Florentino, ac cognitum viris doctis seculo decimo quarto; quumque auctoritate plurium MSS. Codicum antiquorum liquido constet Arretii extitisse in Basilica sub statua eiusdem Fabii Maximi, facile, ut opinor, non omnino apud eruditos viros improbabilis erit mea coniectura, plura adlatorum elogiorum autographa per Municipia, & Colonias Romanorum sparsa fuisse, quae statuis in honorem tam illustrium Virorum vel publico, vel privato in loco, vel in Museis dedicandis subiicerentur, adeoque tum Arretii, tum Florentiae, tum Arimini aliisque in Municipiis exstare potuisse; quae postea imperitorum hominum incuria alicubi interciderint. Hae vero Inscriptiones, quae bono fato superfuerunt, adeo celebres, & famosae extiterunt, ut summi doctique viri his lucubrationes suas ornare non praetermiserint, quod maxime omnium fecit doctissimus Sigonius in Commentariis in Fastos Romanos & Capitolinos, ut de Streinnio, Augustinio, aliisque sileam. Reli-

Reliquum est ut de Basilica, in qua collocata ab Arretinis fuere haec praeclara monumenta, aliquid addam his quae mecum in superiori Epistola pag. 225. V. C. Redius communicavit. Cum Civitatum ornamenta sint praeclara aedificia, si quis Basilicas in his praecipuum locum habere arbitretur, a rei veritate minime procul dubio aberrabit. In his convenire priscis seculis solebant Magistratus, ut iudicia tum publica, tum privata exercerent, de rebus agendis pertractarent, testamentorum recitationem audirent, servos manumitterent, in memoriam illustrium virorum honores decernerent; de re publica optime meritis praemia, malis vero poenas darent. In his varia fuisse tribunalia discimus ex Plinio in Epistola ad Maximum ex Lib. II. Basilicarum aedificia ampla, & magnifica, & spatiosa fuere, plurimis fulcita columnis, duplici ordine, quae utrinque porticus constituebant, & subdialem inambulationem praebebant, ut auctor est Vitruvius, iis qui tum publicis tum privatis usibus & negotiis vacabant. Haec in singulis Municipiis, & Coloniis Romanorum extitisse veteres auctores testantur, atque omnium disertissime Suetonius, qui de Augusti morte haec narrat c. 100. in eius Vita. *Corpus Decuriones Municipiorum, & Coloniarum a Nola Bovillas usque deportarunt noctibus, propter anni tempus; cum interdiu in* BASILICA *cuiusque opidi, vel in aedium sacrarum maxima reponeretur*. Neque ad hanc rem dilucide exornandam desunt veterum lapidum testimonia. Nam in Gruteri Thesauro legimus Neapoli Basilicam, atque in ea Curiam fuisse pag. CCCCXLIV. 2. Spoleti Basilicam a solo omni cultu factam fuisse a Sex. Volusio Meliore, Auguratus insignibus exornato, ob honorem Quatuorviratus sui, pag. CLXXI. 1. Apud Caerites etiam magnificam Basilicam fuisse constat ex marmorea Tabula ibidem edita pag. CCXIV. ex qua intelligimus a Decurionibus concessum fuisse Vesbino Augusti Liberto locum publice sub porticu Basilicae Sulpicianae, uti Augustalibus in eum locum congregatis Phetrium faceret; ut alias civitates praeteream, in quibus etiam duas

Basilicas fuisse testantur Gruterani lapides pag. CLXXI. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Vitruvius Basilicae Coloniae Iuliae Fanestris aedificandae praefuit, ut de se ipso testatur Libro V. Cap. I. Quod autem in Basilicis statuae in honorem vel Deorum, vel praeclarissimorum hominum poni solerent, subiecta, ut credi potest, rerum ab eis gestarum memoria, intelligi facile potest ex aliis apud Gruterum antiquis tabulis, ac praesertim ex duabus pag. CLXXI. 7. & MLXXX. 11. quae docent Gabinium Vettium Probianum Virum Clarissimum, Praefectum Urbi, statuam Basilicae Iuliae a se noviter reparatae, quae ei ornamento esset, adiecisse, ac dedicasse XV. Kalendas Februarias, per T. Arrium Bassianum C. V. Curatorem operum publicorum, P. Cornelio Anulino iterum, & M. Aufidio Frontone Consulibus, anno videlicet U. C. 951. Christi vero 199. Dubitari igitur haudquaquam potest an Arretii Basilica fuerit insigni in loco constituta, nempe Foro coniuncta [nam ibidem collocari solebant] & quidem ornata, ut mos erat, pulcherrimis inauraturis, marmoribus, columnis, musivis operibus, pavimento, opere vel tessellato, vel vermiculato, itemque praestantissimorum Virorum statuis, ac monumentis rerum ab ipsis gestarum; quod evincunt ea licet pauca a nobis superius allata, quae temporum, vel civium incuria non interciderunt. Quod vero laudatio Q. Fabii Maximi apud nos non perierit, servataque sit altera in honorem Appii Claudii, debetur studio doctissimi P. Victorii, apud quem citarunt Gruterus, Augustinius, aliique. Plinius in Historiae Naturalis Libro XXXIV. Cap. IV. statuarum originem exponit, aitque effigies hominum perpetuitatem merentium exprimi non consuevisse nisi aliqua illustri causa; quae res excepta deinde est a toto orbe terrarum humanissima ambitione. *Et iam* [inquit] *omnium Municipiorum Foris Statuae ornamentum esse coepere, prorogarique memoria hominum, & honores legendi aevo basibus inscribi, ne in Sepulcris tantum legerentur. Mox in Foro, & in domibus privatis factum, atque in atriis. Honos clientum instituit sic colere patro-*

patronos. Neque adfirmare vereor ſtatuam, & inſcriptionem L. Petronii Tauri Voluſiani, Patroni Ordinis Arretinorum, hac in Baſilica, vel in proximo Foro, quod etiam ſtatuis illuſtrium virorum exornari ſolebat, conlocatam fuiſſe. Plinius item in epiſtola 17. Lib. I. Cornelio Titiano laudat Titinii Capitonis egregium ſtudium, omnique laude dignum, qui tum publico, tum privato in loco imagines Heroum colebat, reſque ab ipſis geſtas carminibus exornabat; cuius verba non pigeat audire. *Titinius Capito ab Imperatore noſtro impetravit, ut ſibi liceret ſtatuam L. Sullani in Foro ponere. Pulchrum, & magna laude dignum amicitia principis in hoc uti, quantumque gratia valeas, aliorum honoribus experiri. Eſt omnino Capitoni in uſu claros colere; mirum eſt, qua religione, quo ſtudio imagines Brutorum, Caſſiorum, Catonum domi, ubi poteſt, habeat. Idem clariſſimi cuiuſque vitam egregiis carminibus exornat. Sciat ipſum plurimis virtutibus abundare, qui alienas ſic amat.* Praeter ſtatuas ſolebant etiam in honorem praeſtantium hominum poni tum in Baſilicis, tum in Muſeis, in Bibliothecis, & in domibus protomae, quae vel e marmore, vel ex aere erant. Plures protomae ſummorum Philoſophorum, ac Poetarum, atque in primis divini Homeri, ut docti viri credunt, praeſtanti artificio ex aere factae, nuper circa littus Inſulae prope Labronem Etruriae Portum, quae *Meloria* appellatur, repertae ſunt, atque in regium Muſeum Mediceum tranſlatae; quae profecto indicant ibidem aliquod pervetuſtum, ac nobile Muſeum fuiſſe. Marmoreae protomae mentionem fieri obſervo in veteri inſcriptione Gruteriani Theſauri pag. CCCXIV. 2. quam Emundo Figrelio, qui luculenter egit de Statuis illuſtrium Romanorum ſingulari Libro, aliiſque auctoribus, qui idem argumentum pertractarunt, incognitam fuiſſe cenſeo, quum de his inter res notabiliores non meminerit; eratque Figrelio maxime opportunus de his agendi locus Cap. XVII. in quo de forma Statuarum, & de Hermarum origine tractat; a quibus, ni mea me fallit opinio, viriles, vel muliebres protomae, vulgo (*i buſti*) originem habuere. Gruteriana Graece inſcripta Tabula ita ſe habet.

Η ΙΕΡΑ

Η ΙΕΡΑ ΤΑΞΙC ΤΩΝ ΠΑΙΑΝΙCΤΩΝ
ΤΩΝ ΕΝ ΡΩΜΗ ΔΙΟC ΗΛΙΟΥ
ΜΕΓΑΛΟΥ CΑΡΑΠΙΔΟC ΚΑΙ ΘΕΩΝ
CΕΒΑCΤΩΝ ΕΤΕΙΜΗCΑΝ ΕΜΒΗΝ
ΠΡΟΦΗΕΗΝ. ΠΑΤΕΡΑ ΤΗC ΠΡΟ
ΓΕΓΡΑΜΜΗΝΗC ΤΑΞΕΩC ΠΡΟΤΟ
ΜΗ ΜΑΡΜΑΡΙΝΗ. Η. ΑΝΑΤΕΘΕΙCΑ
ΕΝ ΤΩ ΟΙΚΩ ΤΩΝ ΠΑΙΑ
ΝΙCΤΩΝ ΤΗ ΠΙ. Α. ΝΩΝΩΝ
ΜΑΙΩΝ. Η. ΕCΤΙΝ ΚΑΤΑ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙC. ΠΑΚΩΝΙΑ
ΕΠΙΚΟΥΡΑΤΟΡΟC ΜΕΤΕΙΛΙΟΥ
ΑΜΠΛΙΑΤΟΥ ΠΡΕCΒΥΤΕΡΟΥ
CΕΞΤΩ ΕΡΟΥΚΙΩ ΚΛΑΡΩ
Β. ΓΝΕΩ. ΚΛΑΥΔΙΩ
CΕΒΗΡΩ ΚΩC

Hoc eft : *Sacer Ordo Paeanistarum, qui Romae Iovis Solis Magni Serapidis, & Divorum Augustorum (appellantur) honorarunt Emben Prophetam, Patrem suprascripti Ordinis Protome marmorea; quae posita est in AEde Paeanistarum Pridie Nonas Maias; qui dies apud Alexandrinos Pachon XI. Curatore Metilio Ampliato Seniore . Sex. Erucio Claro , & Cn. Claudio Severo Coss.* anno fcilicet U. C. 898. Chrifti vero 146.

Sublata de his Tabulis manu , fupereft , ut ex vetuftis monumentis reliquos illuftres Viros memoremus , qui vel

gene-

generis splendore, vel officiorum amplitudine, & dignitate Arretium nobilitarunt, inter quos eminet C. CILNIVS MAECENAS, vir plane summus, Augusti consiliorum moderator, & familiaris; qui amplissimo literarum, literatorumque patrocinio, nomen suum omnibus Musarum patronis pro titulo fecit. De eius origine ex Etruscorum Regum sanguine, illustrium Poetarum testimonio adeo celebri, de rebus ab eo praeclare gestis, deque egregiis virtutibus omni laude prosequendis, nil opus est ut diutius laborem, cum hanc spartam cumulate expleverit vir omni aevo clarissimus Iohannes Henricus Meibomius, qui de eius vita, moribus rebusque gestis singularem librum conscripsit. Priscam Maecenatis familiam fuisse *Cilniam* insigni testimonio diserte ostendit Tacitus Annalium Lib. VI. n. 11. qui ita de eo loquitur: *Ceterum Augustus bellis civilibus* CILNIVM MAECENATEM *equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam praeposuit*. *Caius* vero Maecenatis praenomen fuit, auctore Dione Lib. XLIV. Patris vero *Lucius*, ut docet lapis Gruterianus pag. DCCCCXLV. 10. Id quoque firmatur Macrobii testimonio Saturnal. Lib. II. Cap. IV. qui ait Augustum in familiari epistola ad Maecenatem, eum appellare iocose solitum *Cilniorum smaragdum, & Arretinum laser*. Quibus in locis itemque apud Livium, & Silium Italicum, apud quos Cilnii, & Cilniorum genus memoratur, Codices qui habent *Cilinum*, vel *Cilinium*, vel *Cillinium*, vel *Licinium* itemque *Ciliniorum*, incuria librariorum foede corruptos esse ostendit doctissimus Lipsius in Notis, atque in Lib. I. Antiquarum Lectionum Cap. XXII. ita concludit. *Hi porro Cilnii sunt, nisi fallor, a quibus primam originem C. Maecenatis, illius Musarum patroni, petendam esse argumento est gentile eius nomen Cilnius; argumento & hic Livii locus, qui Cilnios istos Etruscos Arretinos constituit. Atqui profecto Maecenas populo Etruscus, Domo Arretinus fuit, ut colligitur ex Epistola Augusti apud Macrobium, in qua praeter cetera delicata nomina* laser Arretinum *a patria prima vocatur. Emendandus ita Livius infra*, seditionibus tantum Arretinorum compositis, & Cilnio genere-

cum

cum Plebe in gratiam reducto ; *ubi item vulgati habent* Licinio. *In Silio Italico error similis Lib. VII.*

Cilnius Arreti Tyrrhenis ortus in oris
Clarum nomen erat :

ubi perperam vulgo Cilinus ; *nec dubitandum quin aspexerit ad gentem , & ortum Maecenatis . Huius in Livio lectionis habeo non solum testem , sed etiam approbatorem eruditissimum Victorem Giselinum* . Eandem sententiam tuetur Meibomius Cap. III. n. 20. qui item alios praeclarissimos auctores recenset . Accedit vetustorum lapidum auctoritas , ex quibus cognoscimus CILNIAM gentem apud Arretinos diu floruisse ; nam in Arretino Suburbio haec exstabat inscriptio , ut testantur veteres Codices manuscripti , quos vidi in Florentina Bibliotheca Stroziae Domus . Fabrettus vero , qui hanc edidit, Inscriptionum Ant. Cap. X. n. 569. ex Schedis Barberinis ait exstare in Hortis Iustinianeis.

10

C. CILNIO. P. F. POM
PAETINO
LEGAT. TI. CAESARIS
AVG.
PRAETORI. TRIB. PLEBIS
QVAESTORI. TRIBVNO. MILITVM
PROCONSVLI

10. Illud quoque liquet ex hoc marmore CILNIAM Familiam in POMPTINAM Tribum relatam fuisse ; in qua , civitatis iure donati Arretini , suffragium tulere ; quod etiam plures Arretinorum lapides perspicue docent . *Pomptina* vero Tribus , supra Urbanas omnes , praecipua nobilitate

litate insignis, una ex Rusticis fuit; ceteris addita anno U. C. CCCXCV. ut memoriae proditum est a Livio Lib. VII. ab agro *Pomptino* sic dicta; nam mendum in Festo esse suspicatur Sigonius, qui eam *Pontinam* videtur appellare, ut forte sit a *Pontia*, opido Volscorum; certe contra lapidum antiquorum fidem, qui omnes habent POM. vel POMPT. non vero PON. seu PONT. Summi honores, quibus functus est C. Cilnius Paetinus, Tiberii Caesaris Legatus, cuivis, ut puto, in antiquorum lapidum studio non peregrino, dilucide patent. Qui vero sequitur Titulus ad eandem Cilniam familiam pertinens, ad hoc tempus exstat Arretii, insertus in quodam stylobate Porticus maximi Fori, atque haec continet.

11

D . M
CILNIAE IVS
TINAE
CONIVGI IN
COMPARABILI
QVAE VIXIT AN
XXX::::: D. XXIX
FLAVIVS ANNI
ANVS
B . M

11. Cum superiori inscriptione hanc quoque produxit Fabrettus loco suprascripto, atque haec adnotavit: *Agnosce hic Maecenatis gentem, omnium literatorum amantissimi*. Ad alium vero lapidem, qui Volaterris exstat, quem supra

vulgavimus pag. 168. n. 12. inscriptum C. Cilnio Varo Quatuorviro Volaterranorum, idem Fabrettus Cap. X. n. 306. adiecit, *Gentilem hic, forsanque Civem Maecenatis agnoscimus*; quod verum est si C. Cilnium Varum Arretio oriundum faciamus, non vero quod tum Maecenas, tum C. Cilnius Varus Volaterris orti sint, quod quidem nemo ut video, veterum scriptorum destitutus testimonio, hactenus pronuntiavit. Neque vero Maecenatis genus, & origo, ut aliqui fecere, quos recenset Christophorus Adamus Rupertus in Epistola XXXIV. Thomae Reinesio inscripta pag. 217. ad Caecinam Volaterranum, cuius meminit Plinius Lib. C. Cap. 24. & Lib. XI. Cap. 37. de quo etiam supra egimus pag. 159. referenda est; id enim nullo antiquitatis testimonio, sed potius figmentis inniti, Meibomius adserit in suo Maecenate Cap. II. Omnium vero pessime, & contra rei veritatem fecere, qui eius originem ad Liciniorum genus perperam trahentes, auctoritate Livii ex corrupto eius textu, inscriptionem hanc recentem, & ineptam pro vetusto quodam monumento, ut Liciniani Etruriae opidi, in Senensi ditione, augustam facerent originem, commenti sunt, quorum nomini parcendum mihi omnino esse duxi. Ea vero ab indocto quodam conficta inscriptio, ne aliquem fortassis in posterum decipiat, ut ipsum Th. Dempsterum decepit, qui protulit Lib. II. Cap. LV. de Etruria Regali, heic proferendam esse censui.

A. MAECENAS. DECVRIONESQ. ARET. VETERVM
LICINIOS. EXILIO. RESTITVERE

In quodam MS. Codice Iohannis Hieronymi Baccii Patricii Arretini dicitur haec inscriptio reperiri apud Stoppiellum, quod rus secundo ab Urbe Arretio lapide distat. At in MS. M. Attilii Alessii exstare scribitur Arretii apud Cyrum Visdominum. Hoc modo conceptam edidit Gamurrinius Tom. I. Histor. Genealogicae pag. 12. At in quodam MS. Bibliothecae Stroziae Florentiae, quod saepius in manus habui, ita exhibetur.

A. MOE-

A. MOECENAS. REX. DECVRIONES. ARRETINORVM VETERVM LICINIOS EXILIO RESTITVTOS

Qua quid putidius ineptiusque excogitari possit non invenio. Nam ut ostenderet Maecenatem Arretinum esse, atque ex regum progenie (quare non pauci Clusinum etiam fecere, ex Porsena Etruscorum Rege ortum ducentem, alii vero de quibus Th. Dempsterus in Etruria Regali Lib. II. Cap. LIV. & LV. ex Cilnio Etruscorum Rege, qui Arretii Regiam habuit) ponit hunc Aulum Maecenatem Regem, cum potius aliquem ex Cilnia Gente ponere debuisset; ex qua, ut diximus, prodiit C. Cilnius Maecenas, quem equestris ordinis fuisse dicunt Horatius Carm. Lib. I. Ode XX. & Lib. III. Ode XVI. Propertius Lib. III. Eleg. IV. Martialis Libro VIII. Epigr. LVI. & Libro X. Epigr. LXXIII. & Lib. XII. Epigr. IV. Velleius Lib. II. c. 88. Tacitus Lib. VI. Annal. c. XI. Dio Lib. LV. Etruscoque Regum sanguine ortum. Postea Decuriones Arretinorum Veterum nominat, qui magistratus, ut Romae Senatores, plurimis post Etruscos Reges seculis, regendis municipiis datus est. Cetera ex corrupto Livii textu, & contra historiae fidem turpissimo lapsu concinnavit; nam Livius Lib. C. Cilnium genus [Licinium ipsi volunt] praepotens, divitiarum invidia pelli armis coeptum, non vero pulsum fuisse testatur. Verum vix tanti haec sunt, ut operose refelli debeant. Illud quoque semel monuisse sufficiat, non paucos ad hanc usque diem errare in orthographia nominis Maecenatis, quod vel in prima, vel in secunda syllaba cum diphthongo OE scribere consueverunt, nempe MOECENAS, vel MECOENAS. Posteriorem hanc orthographiam tuetur Christianus Becmanus in Origin. Lat. Ling. Sed contra utramque, veterum monumentorum, & numismatum stat fides, ut videre etiam est in pluribus Titulis Conditorii Libertorum & Servorum Liviae Augustae, in quibus plures Liberti, ac Servi a Maecenate domino, Maecenatiani appellantur.

Arretini, ut veriſimile eſt, Maecenatis civis optimi praeſidio, Auguſto valde cari, atque accepti, rem ei maxime gratam facturi, publici monumenti honore proſecuti ſunt Lucium Caeſarem eiuſdem nepotem, ex Iulia eius filia & Agrippa genitum, adoptione ad imperii ſucceſſionem cum Caio Caeſare fratre evectum; quem etiam, ut augurari libet, Piſanorum exemplo, Patronum Coloniae ſuae adſciverunt. Exſtat in eius honorem ab iiſdem poſitum hoc marmor coronide circumquaque ornatum, atque praegrandibus, & elegantiſſimis literis, Auguſteo aevo inſculptis, eiuſdem nomine inſcriptum, quod eius ſtatuae ſubiectum fuiſſe ut credam, nil prorſus repugnat. Altitudine pedes Romanos duos, & uncias octo, latitudine vero pedes item duos & uncias quatuor non excedit. Inſertum nunc eſt in ſtylobate ſub Xyſto Fori Arretinorum, & haec continet, quae, ut dicebam, equeſtris, ſeu pedeſtris ſtatuae dedicationem indicant. M. Attilius Aleſſius in Commentariis Antiquitatum Arretinarum, quae MSS. nuper vidi in Bibliotheca Nobilium Doniorum Florentiae, ſe vidiſse, ac deſcripſiſſe teſtatur Arretii in Horto Petri Francinii de Monte Acuto.

12



L. CAESARI PONT
MAX


12. Sed contra hanc meam opinionem, quod hoc monumentum in honorem Lucii Caeſaris ab Arretinis dedicatum

tum

tum fuerit, illud facere videtur, quod Pontificatus Maximi dignitas eidem tribuitur, quae certe solis Imperatoribus competebat, & quidem uni tantum eorum, si duo Augusti Principes una imperarent; quod luculenter ostendit Norisius in Dissertatione II. in Cenotaphia Pisana Cap. VII. pag. 170. & 171. notatque primum Caelio Balbino, ac Pupieno Maximo, adversus Maximinum, Imperatoribus a Senatu creatis, una cum ceteris imperii augustis titulis, Pontificatum Maximum utrique delatum fuisse, auctore Capitolino Cap. VIII. in vita eorumdem. Id etiam fusius probat Bosius de Pontificatu maximo Imperatorum, & Pagius ad annum CLXI. n. VI. Praeterea certissimum illud est Lucium Caesarem ne quidem Pontificem declaratum fuisse, creatumve Pontificem Romae in aliquo Collegio. De Caio Caesare eius fratre constat scriptorum, & antiquorum lapidum testimonio penes Gruterum pag. CCXXCIV. 4. & Panvin. Lib. II. Fast. ad A. U. DCCXLIX. a Senatu, & Populo Romano, ob honorem Domus Augustae Kalatis comitiis Pontificem creatum fuisse, numquam vero Maximum; qua dignitate solus Augustus fungebatur. Quid igitur de huius lapidis inscriptione dicendum est? reiiciendane est inter spurias, ut aliqui facili negotio de huiusmodi inscriptis saxis iudicant? Nequaquam id ego faciendum censeo; imo genuinam sinceramque & antiquam epigraphen esse ostendo. Verum equidem est Lucium Caesarem Pontificatu, eoque minus Maximo haudquaquam insignitum fuisse; attamen quod in Municipio, & Colonia Arretinorum Pontifex Maximus vel adulationis caussa a Decurionibus renuntiatus fuerit, huius marmoris testimonio, rationumque momentis quis inficiari potest? Fuisse in Municipiis, & Coloniis Pontifices nemo in antiquitatis eruditione vel aliquantulum versatus ignorat. Nam id perspicue antiqua marmora testantur. Pauca libet indicare in Gruteriano Thesauro pag. CCCV. 10. CCCXLV. 8. 9. CCCXCIV. 7. CCCXCV. 8. CCCCLXXIX. 8. & pag. LXVI. 3. in quo sacra publica municipalia memoran-

rantur. Hos Pontifices Coloniarum, & Municipiorum vel ad tempus, vel perpetuos fuisse constat ex adlato superius Pisano lapide pag. 15. in honorem Felicis Herculei Pontificis Perpetui Reipublicae Pisanae. Sex vero Pontifices in his constitutos fuisse docet Cicero in Agraria secunda n. 92. his verbis: *Huc isti Decemviri, cum numerum colonorum ex Lege Rulli deduxerint, centum Decuriones, decem Augures, sex Pontifices constituent*. Hunc tamen numerum non semper, & ubique servatum observo ex veteri inscriptione a Grutero adlata, in qua in solemni, ut opinor, statuae dedicatione in honorem Tiberii Caesaris, Albani Pontifices quatuor tantum nominantur pag. CCXXXV. 8. Fuere quoque in Collegiis Pontificum Municipalium Pontifices tum Maiores; tum Minores; vel dignitate, vel officio, vel antiquiori cooptatione inter se distincti. Priorum frequens habetur mentio in antiquis saxis e Gruteriana supellectile pag. CCCLX. 3. 4. CCCLXI. 1. CCCLXIII. 2. CCCCXXXIII. Posteriorum vero pag. CXXIX. 8. CCCCXI. 1. Pro huius generis Pontificibus, quos nominare possemus, sufficiat T. Statulenus Iuncus, Princeps Coloniae Pisanae, qui Flamen Augustalis fuit, & PONTIFEX. MINOR. PVBLICORVM Populi Romani SACRORVM; cuius Pontificatus dignitatem inexhausta eruditione illustrat Emin. Norisius in Cenotaphia Pisana Dissertatione I. Cap. V. qui agit de Pontificum maiorum & minorum distinctione, eorumque Collegiis. Exemplo Collegii XV Pontificum Romae instituto, inter quos erat qui PONTIFEX MAXIMVS appellabatur, Municipia, & Coloniae Collegium Pontificum habuere, vel Maiorum, vel Minorum; atque inter hos is MAXIMVS nuncupatus, *qui primus in id Collegium venit, item minimus, qui novissimus*, auctore Festo in V. *Pontifices Minores*. Nec desunt exempla constituti Pontificis Maximi in Collegio Pontificum Municipalium; nam lapis Andinus prope Mantuam, positus est P. VERGILIO P. F. PONT*ifici* MAX*imo* SABIN*orum*, qui populi Trans-Padanae regionis sunt in Euganeis; quem explicat Reinesius in suo Syntagmate Classe VI. n. 100.

100. quem operaepretium est ut consulas. De hoc item Pontificatu Maximo in Collegiis Municipalibus, sive Colonicis, nonnulla notavi in Classe IV. n. 1. Inscriptionum Antiquarum ex Collectaneis Donianis. Hoc igitur modo Arretini, cum Lucium Caesarem Augusti filium honoris caussa in Collegio Pontificum cooptassent, Pontificem esse Maximum, huiusque summae dignitatis publicum exstare hoc monumentum voluerunt. Quod vero apud Arretinos Collegium fuerit, in quo praeclari viri Pontificatus munere fungerentur, perspicue id etiam docet omnium rarissima, atque insignis haec marmorea Tabula, qua maiorum incuria stratum fuerat pavimentum Ecclesiae S. AEgidii, sub Paroecia S. Pancratii in Valle Ambrae, Dioeceseos Arretinae; quae ne intercideret, delereturve, nuper egregia cura Ill. Gregorius Baiulivus Redius auctor fuit ut transferretur in Claustrum Monachorum Camaldulensium S. Mariae in Gradibus, quae haec notatu digna habet.

13 
L. VALERIO
L. F. POM
IVNIORI. EQ. P
IVRAT. AD SACRA
ETR. PONT. Q. AED. II. VIR
ACCENSO. VELATO
PLEBS VRBAN
L D D D

13. Hanc primus omnium edidit Gruterus ex Pighianis schedis, pag. CCCCLXXIX. 1. verum inemendatam, ac praesertim in tertia linea, nempe EQ. R. pro EQ. P. qui &

Fa-

Fabrettum decepit Inſcriptionum Ant. Cap. VI. pag. 434. Ita vero interpretanda eſt : *L. Valerio L. F. Pomptina Iuniori ; Equo Publico , Iurato ad Sacra Etruriae , Pontifici , Quinquennali ; AEdili , Duumviro , Accenſo Velato , Plebs Urbana ; Loco Dato Decreto Decurionum* . In ſingulis honoribus , qui in marmore recenſentur , explicandis , aliquantulum immorari oportet . Primum vero de equeſtri eius ordine , [fuit enim Equitum in Municipiis , & Coloniis cenſus CCCC millium nummûm] qui primus inter ceteros honores recenſetur , quod equo publico exornari meruerit , cum de eo nonnulla ſuperius dixerimus , ſupervacaneo labore nolumus heic rurſus lectorum aures obtundere. Plura de his ſcire cupientibus Sigonium indico de antiquo Iure Italiae Lib. II. Cap. VIII. & Noriſium in Cenotaph. Piſ. Diſſert. I. Cap. III. Illud quanta fieri poteſt diligentia inveſtigandum , explicandumque eſt quid ſibi velit honorifica appellatio IVRATI AD SACRA ETRVRIAE , [ſive ETRVSCA , ut Fabrettus interpretatur , loco paullo ante ſupraſcripto ; Sirmondus tamen ad Themiſtii orationem XII. & Scaliger in Indice Gruteriani Theſauri interpretantur AD SACRA ETRVRIAE, quod magis placet] cuius in hoc tantum lapide ab Urbana Plebe Arretinorum dicato , una ut auguror cum ſtatua in honorem L. Valerii Iunioris , ſingularis , ac difficilis exſtat memoria . Exponendum igitur videtur quae nam fuerint Sacra Etruriae , ſive Etruſca , & qua de cauſa , qui his ſacris adhibebantur IVRATI dicerentur ; qua in re dilucidanda non parum torſi meum ingenium , amicorumque exercui iudicium . . . .

Iuratum ad Sacra Etruſca L. Valerium Iuniorem dici puto in hoc marmore , quod cum ipſe Augur eſſet , iudicium faceret dignitatis eorum , qui in Collegio Augurum cooptandi erant ; cuius iudicio adprobationique ceteri omnes Augures ſtarent , quique cooptatos iuxta Augurum Etruſcorum inſtituta inaugararetur . Hanc meam explicationem haurio ex Ciceronis eximio quodam loco , in quem dum legerem eius libros de Oratore , cum ſuperiora illuſtrium

um Virorum elogia exponerem, forte fortuna incidi. Principio igitur Libri de Claris Oratoribus, qui dicitur Brutus, ita inquit: *Cum e Cilicia Rhodum venissem, & eò mihi de Q. Hortensii morte esset adlatum, opinione omnium maiorem animo cepi dolorem. Nam & amico amisso, cum consuetudine iucunda, tum multorum officiorum coniunctione me privatum videbam, & interitu talis AVGVRIS dignitatem nostri COLLEGII diminutam dolebam: qua in cogitatione,* & COOPTATVM ME AB EO IN COLLEGIVM *recordabar, in quo* IVRATVS *iudicium dignitatis meae fecerat:* & *inauguratum ab eodem, ex quo* AVGVRVM *institutis in parentis eum loco colere debebam.* Quod vero Cicero Romae in Collegio Augurum cooptatus esset, in Philippica II. id non tantum ipse tribuit Q. Hortensio, verum etiam Cnaeo Pompeio, testaturque his verbis: *Quod enim ipse me AVGVREM a toto Collegio expetitum Cn. Pompeius & Q. Hortensius nominarunt; neque enim licebat a pluribus nominari.* Quo testimonio quid clarius apertiusque adferri possit ad huius lapidis explicationem iudicet aequissimus Lector. Neque vero eruditis viris placere posse arbitror Francisci Mariani Viterbiensis explicationem, qui in Dissertatione de Etruria Metropoli Cap. IX. pag. 59. hunc Arretinum lapidem a Grutero adlatum citat, eumque illustrans ait: *Sacra Etrusca dicebantur, in quibus lege sacrata vir virum legebat*; adducto Livii loco Lib. XI. & pluribus in locis, non videns inter legem sacratam, & Sacra Etruriae magnum esse discrimen, ad hunc ipsum lapidem digitum intendens, ait iuratum dici ad Sacra Etrusca eo quia *ritus Etrusci in continendis exercitibus observabantur.* Qua explicatione quid obscurius, alieniusque a rei veritate inveniri posit, viri in antiquitatis cognitione non omnino rudes iudicent; neque vacat in his refellendis curam ponere. Augurandi apud Romanos artis & disciplinae auctores fuisse Etruscos nemo ignorat, neque ut id probetur, rationum auctoritatumque indiget momentis. Sacra item auguria habita fuisse certum est, cum maiorem partem Sacrorum constituerent, eaque praecipue sacra ob id censerentur, quod praesertim ad Deum pertinerent, quaeque in Deorum sacrifi-

ciis frequentius captarentur, vel ex avium volatu, quem, ut ait Ammianus Marcellinus Histor. Lib. XXI. Deus dirigit; vel ex fulminum sacris alis, de quibus supra diximus pag. 81. Si quis autem velit IVRATVM appellatum fuisse tum eum qui in Augurum Collegio nominabat, & cooptabat, tum etiam eum qui nominabatur, & cooptabatur, non repugno. Ut enim huic quoque opinioni assentiam facit praeclara in antiquis monumentis explicandis doctissimi Panvinii auctoritas, qui in Libro de Civitate Romana, de Augurum Collegio disserens, haec notat: *Quum enim* SACRORVM *arcana neminem qui Augur non esset cognoscere vellent; ubi quis Augur cooptatus esset*, IVRE IVRANDO *adigebatur*, *Augurum res nemini se dicturum; privatum vero eum postea factum, eo sacramento liberum esse nolebant*. Contra vero milites ad militiam nonnisi iuramenti sacratione interposita, ut Festi utar verbis, admissi, nequaquam aliter quam soluti sacramento ab ea liberabantur. Neque etiam Consules ad consularem dignitatem accedebant, nisi prius iurassent; cuius consuetudinis diserte meminit Plinius in Panegyrico ad Traianum. Iurabant quoque cum magistratu abirent, ut docet Cicero in Pisoniana. *Ego cum in concione, abiens Magistratu, dicere a Tribuno plebis probiberer, quae constitueram; cum is mihi tantummodo ut iurarem permitteret, sine ulla dubitatione iuravi Rempublicam atque hanc Urbem mea unius opera esse salvam. Mibi populus Romanus universus illa in concione non unius diei gratulationem, sed aeternitatem immortalitatemque donavit, cum meum IVSIVRANDVM tale, atque tantum*, IVRATVS *ipse una voce, & consensu approbavit*. Illud quoque silentio praetereundum non est, hac loci opportunitate, eos penes quos iudicandi eligendique potestas esset, IVRATOS esse appellatos. Senatus IVRATI meminit Plinius Hist. Nat. Lib. VII. Cap. 34. *Vir optimus*, inquit, *semel a condito aevo iudicatus est Scipio Nasica a* SENATV IVRATO. Tacitus item audiendus Annalium Lib. IV. 21. *Relatum & de Cassio Severo exule, qui sordidae originis, maleficae vitae, sed orandi validus, per immodicas inimicitias, ut iudicio* IVRATI SENATVS *Cretam amoveretur, effecerat*. Senatus

tus

tus vero iuratus, ut ad eum locum pluribus auctorum locis adductis notat Lipsius, tunc erat cum Deum testem advocabat, se censiturum quod e fide sua, reque publica videretur. Apud eumdem Tacitum Histor. Lib. IV. 6. item fit mentio MAGISTRATVS IVRATI, his verbis. *Ceterum eo Senatus die, quo de imperio Vespasiani censebant, placuerat mitti ad Principem Legatos. Hinc inter Helvidium, & Eprium, acre iurgium. Priscus eligi nominatim a* MAGISTRATIBVS IVRATIS, *Marcellus urnam postulabat, quae Consulis designati sententia fuerat.*

Quod si haec mea interpretatio non placeat, quam tamen non omnino improbandam sperare libet, aliam propono, nempe quod L. Valerius Iunior initiatus fuerit Sacris Etruriae, nempe Bacchi mysteriis; in qua sententia esse videtur Vir Clarissimus mihique amicissimus Matthaeus AEgyptius, qui elegantissimum, atque omnigena eruditione refertissimum, dum haec scribo, Commentarium in lucem edidit in vetus Senatusconsultum de Bacchanalibus, in quo hanc inscriptionem laudat pag. 63. quod quidem Opus Auctario, quamplurimisque antiquis Inscriptionibus ad hanc diem incognitis, Neapoli exstantibus, locupletare nunc studet. Sacra enim Etruriae intelligit Bacchanalia: nam ut ipse observat pag. 16. cum Phoenicum AEgyptiorumque religiones, ac praecipue Bacchi cultum Tyrrheni addidicissent, in Italiam importarunt, Tyrrhenosque Ionii sinus accolas docuerunt; a quibus tandem Bacchanalia, Dionysia, Corybantica, sive quocumque tandem appelles nomine, foeda illa mysteria Etruscis Campanis tradita, ad Romanos pervenere. Dicitur autem L. Valerius Iunior IVRATVS AD SACRA ETRVRIAE, quod scilicet in secundo gradu ea Mysteria participaverit, nempe iusiurandum praestiterit, nemini se ea arcana sacra enuntiaturum; quos gradus ex Clemente Alexandrino, & Harpocratione idem eruditissimus Auctor enumerat. Quod autem Sacris Mysteriis initiati per varios gradus probari deberent, atque hic ritus, & consuetudo diligenter observaretur, dixi in explicatione

Vasionensis arae in Classe II. n. 12. Inscriptionum Antiquarum ex Collectaneis Donianis, quam L. Aponius Chrysomallus Deo Invicto Mithrae OB . GRADVM . PERSICVM. DEDICAVIT . Exstat etiam apud Gruterum pag. CCCXV. 3. in Cordubensi lapide, si tamen legitimus est, mentio cuiusdam viri INITIATI HERCVLIS Sacris . Ex quibus omnibus constat per multa secula ritum initiandi occultis Deorum Sacris, iurandique probationes durasse; adeoque Arretii celebre, & perantiquum fuisse vel Augurum Collegium, vel Bacchi sacra mysteria maxime cultu frequentata fuisse.

Ad alia , quae in hoc insigni marmore scripta sunt , nunc revertor . Atque illud notandum est quod primum in eo expositis dignitatibus , atque officiis , quae perpetuo exornabant L. Valerium Iuniorem , alia recensentur quae temporaria erant , quaeque non omnia simul ab eo geri poterant . In Scaligeriano Indice ad Gruterum Cap. III. Ministrorum Sacrorum , nota illa Q, quae aliam PONT . subsequitur in hoc marmore , exponitur *Quinquennalis* , quasi L. Valerius Iunior fuerit *Pontifex Quinquennalis* ; quare nonnulli putarunt Pontifices ad quinquennium creatos fuisse . Verum duas in antiquis monumentis expressas dignitates , & quidem diversas censet Norisius in Cenotaphia Pisana Dissertatione I. Cap. V. pag. 73. ut Quinquennales fuerint in Coloniis , qui Romae Censores dicebantur ; quod erudite probat . Verum ego heic cum nota illa Q praecedat aliam AED. ad eius Quaesturam , non ad Quinquennalitatem refero ; nam in sexcentis lapidibus [uti etiam in vetustis saxis interpretantur magni viri Manutius , & Scaliger] frequentes sunt Quaestores , AEdiles : Praeterquamquod ad designandam Quinquennalitatem non unica Q. sed duabus QQ saepius utuntur veteres ; cuius rei exemplum habes in Classe IV. Inscriptionum Ant. ex Donianis Collectaneis n. 1. in qua legitur C. AVFIDIO . C. F. CAM VERO. PONT . Q. II. VIR . QQ. in qua illustranda non paucis exemplis ibidem ostendi , interpretandum esse *Pontifici* , *Quaestori* , *Duumviro* , *Quinquennali* , quod etiam in hoc Arretino lapide adfirmo.

Illud

Illud praeterea huius lapidis, itemque aliorum, quos indicabo, auctoritate observandum est, in recensendis dignitatibus, & officiis usitatiori stylo nullum servari ordinem, contra Fabretti sententiam, qui Capite VI. Inscript. Ant. pag. 434. ait: *Tritum enim est a prioribus exiguis titulis, prout cursus bonorum postulat, semper ad insigniores, crescentibus cum aetate meritis, inscriptiones procedere; & tamen in Grutero pag. CCCCLXXIX. 1.* [loquitur de hoc Arretino marmore] *post titulos* Equiti Romano (*Equo publico* legendum addita formula *exornato*, *honorato*) Iurato ad Sacra Etruriae, Pontifici (adde *Quaestori*) AEdili, Duumviro, *iste* Accensi Velati *ultimus summusque reponitur*. Sed hanc Fabretti opinionem moderandam esse, utpote non semper veram, complures lapides manifeste ostendunt, in quibus nulla dignitatum titulorumque recensendorum habetur ratio, ut a minoribus gradatim ad maiores procedatur; idque superius ad Arretinum lapidem notavimus pag. 194. nam promiscue frequentius exponuntur, prius tamen personalia, dein realia munera laudantur; ac duo praesertim apud Gruterum pag. CCCCLXXXIII. 3. CCCCLXXXV. 6. in quibus officium ACCENSI VELATI in ingenuis viris praeponitur aliis titulis Duumviratus, & Quinquennalitatis, &c. Nam si verum esset a minoribus muneribus ad maiora recensenda procedi in inscriptionibus, licet hunc Arretinum lapidem excipiat Fabrettus, Accensi Velati officium maius habendum esset municipali Pontificatu, Duumviratu, Quaestura, AEdilitate, quod procul dubio falsum est. Siquidem Accensi Velati titulo plures Liberti insigniti occurrunt; qui ita appellati fuere, quod vel Sacris Collegiorum apparerent, vel quod in ministerio Consulum, & Magistratuum occuparentur. At L. Valerio Iuniori, Equestri dignitate conspicuo in Municipio suo, & Colonia Arretinorum, ingenuo, ac nobili patre orto, tale ministerium Libertorum proprium, minime convenit. Neque etiam eo officio functum credendum est, quod militibus accensus fuerit, ut in demortuorum militum lo-

cum

eum subrogaretur, & defectum legionum suppleret, ut de his explicat Salmasius de Re Militari Romanorum Cap. XIV. & XV. nam & id L. Valerio prorsus indignum est. Sed quo in genere Accensorum Velatorum [quos in Collegium coaluisse primus omnium observat Fabrettus Cap. VI. Inscr. Ant. pag. 433.] recensendus sit, docet omni aevo clarissimus Philippus a Turre, Episcopus Adriensis in Commentario in Inscriptionem M. Aquilii Cap. III. pag. 35. postremae Romanae editionis, in quo meminit huius L. Valerii *Accensi Velati*, eiusque officium, & munus eruditissime illustrat, quod scilicet in re sacra ministerium praestiterit. *Cieri quippe*, inquit, *oportuit populum ad sacrificia, horam designari, & silentium, quo religionis maiestas constat, indici*. VELATOS vero appellari in inscriptionibus Romanos Cives observat, quod & ipsi velato capite Sacerdotibus sacrificantibus ministrarent; quod etiam diserte probat non paucis auctorum testimoniis, ad quem prudentem lectorem remittimus.

Locus in quo vel statua, vel inscripta marmorea Tabula dedicaretur in honorem L. Valerii Iunioris datus legitur Plebi Urbanae decreto Decurionum Arretinorum; quod quidem, eorum auctoritate adhibita, locoque publico ab ipsis dato, magnopere viri, qui honorabatur, dignitatem, ac decus augebat. Non semper tamen constat in ponendis statuis ac Titulis, a Plebe, sive Urbana, sive ab Incolis, Decurionum auctoritatem requisitam. Nam id observari potest tum in pluribus editis inscriptionibus, tum etiam in his, quas superius adduxi pag. 54. & 55. ad Senensem lapidem, atque in hac marmorea Tabula, quam subiicio, quae vel temporum iniuria, vel civium negligentia intercidit. Hanc Arretii olim extitisse adfirmat M. Attilius Alessius Civis Arretinus, paullo superius laudatus, itemque Iohannes Petrus Stephanonius, qui descripsere, atque ex his Cl. Iohannes Baptista Donius in suis Collectaneis, qui dicunt positam fuisse in AEdibus Priorum, sive in Curia; Idem testatur MS. Baccianum praelaudatum, itemque Gamurrinius Tom. I. pag. 53. quam Fabrettus edidit ex

Sche-

Schedis Barberinis Cap. XI. n. 83. non indicato, ut solet loco, ubi exstaret. Ea igitur haec habet.

14

SEX. SATRIO. SEX. F.
PAL. IVSTO
PRAEF. FABR. AVG
QVAESTORI. AEDILI
II. VIR
PLEBS VRBANA
PECVN. SVA

14. Hunc lapidem aliunde Arretium advectum fuisse suspicari quis posset, cum Sex. Satrius Iustus, non *Pomptinam* Tribum, Arretinorum Civium propriam, sed *Palatinam*, in qua census fuerat, perspicue praeferat. Verum, ut superius dicebam pag. 95. suspicor nobiles viros, qui Augusti imperio, in Coloniis ab eo deductis, magistratus gessere, vel earumdem Curatores fuere, indulgentia Romanorum Imperatorum, Tribuum Coloniarum suarum, in quibus descripti fuerant, nomen praeferre maluisse; quae tamen opinio accuratius expendenda erit. Certe cum tanta fuerit maiorum nostrorum incuria, vel ignorantia in his prisci aevi reliquiis, vel negligendis, vel perdendis, vix credi potest eos aliunde haec monumenta, quae hodie tantam tum Civibus, tum Civitatibus dignitatem, ac splendorem afferunt, ad se advehi curasse. Illud etiam eruditorum observatione non prorsus indignum adiiciam, frequenter Cives alicuius Coloniae, seu Municipii, ad honores gerendos aliorum Municipiorum, & Coloniarum honorifice

rifice accitos fuisse ; quod notari potest in sequenti lapide, qui ad hanc diem visitur Arretii in Xysto medianae partis AEdium Priorum, qui tamen in medio fractus est.

15

Q. SPVRINNAE. Q. F.
P. QVINTIANO
EQ. PVB. LAVR. LAVN
AEDIL. II VIR. CVRAT
KALEND. PLEB. ARRET
CVR. REIPVBL. VETVLO
NENSIVM. PLEBS
VRBANA
L. D. D. D.

15. Haec inscriptio, in gratiam tironum in antiquitatis studio, ita interpretatur : *Quinto Spurinnae Quinti Filio, Pomptina* [Tribu] *Quintiano, Equo Publico, Laurenti Lavinatium, AEdili, Duumviro, Curatori Kalendarii Plebis Arretinorum, Curatori Reipublicae Vetuloniensium, Plebs Urbana Loco Dato Decreto Decurionum*. Liquet igitur Q. Spurinnam Quintianum Civem fuisse Arretinum, ex Equestri Ordine, qui in Municipiis, & Coloniis dignior erat Decurionum Ordine, atque apud Cives suos complura gessisse munera, nempe AEdilitatem, Duumviratum, Curatoremque fuisse Kalendarii Arretinorum, cum tamen fuisset Curator Reipublicae Vetuloniensium. Neque vero (ni meus me fallit animus) tertius versus ita legendus atque explicandus est, ut Q. Spurinna Equo publico exornatus fuerit apud Laurentes Lavinates ; videtur enim mihi Equestri Ordini adscri-

ptus

ptus fuisse apud Arretinos cives suos, non vero apud Laurentes Lavinates. Additae vero notae LAVR. LAVIN. ut supra diximus cum Reinesio pag. 198. quae interpretantur *Laurenti Lavinatium*, indicant Q. Spurinnam Quintianum eo in Municipio, & Colonia cooptatum fuisse in religioso coetu, atque, ut credibile est, Iunonis sacerdotio insignitum, quae ibidem in celebri Collegio a peculiaribus Sacerdotibus, peculiaribusque sacris impensius colebatur. Nec novum, aut incognitum est viris doctis curam duorum Municipiorum, sive Coloniarum uni homini demandatam fuisse; nam lapis testatur Q. Spurinnam Arretinum Civem, ut Tribus Pomptina indicat, fuisse Curatorem Kalendarii Plebis Arretinorum, de quo munere supra disseruimus pag. 23. itemque Curatorem Reipublicae Vetuloniensium. Nam, ut paucis in re tam perspicua utar exemplis, apud Gruterum pag. XLV. 2. & CCLXXVI. 3. C. Iulius Priscianus V. C. Curator fuit Reipublicae Pisauriensium, & Fani Fortunae, uti interpretor, deleto mendo; pagina vero CCCCXXXIII. 1. C. Luxilius Severus Egnatius Proculus, Pomptina Tribu valde nobili census, Curator fuit Reipublicae tum Pisauriensis, tum etiam Fanestris, itemque earumdem Coloniarum Patronus. Hac loci opportunitate item observo unum eumdemque Civem magnificentissimum aedilitatis munus gessisse in duabus Coloniis, seu Municipiis, quod de T. Catinio Severo memorat Puteolanum marmor editum a Reinesio, ex Donii Collectaneis, Classe VI. n. 22. qui fuit Curator, & AEdilis Coloniae Puteolanorum, itemque AEdilis, & Triumvir bis in Colonia Auximatium. Idem adfirmari poterit de aliis muneribus, de quibus non est huius loci alia adferre exempla. Patrocinii honorem atque hospitalem tesseram oblatam summis viris a pluribus Municipiis, & Coloniis, Collegiis, & Provinciis superius pag. 209. adnotavimus.

Scribitur in hoc lapide VETVLONENSIVM. sed apud Plinium Lib. III. Cap. 4. *Vetulonienses* appellantur; quod genuinae nomenclaturae propius accedit. De situ Vetu-

lonienfium in Etruria non conftare adfirmat Th. Dempfterus de Etruria Regali Lib. IV. Cap. XIII. Sed ex antiqua Tabula Itineraria colligere pofsumus, eos conftitutos fuifse inter Vada Volaterrana, & Populonium. Vetuloniam Urbem collocat Phil. Cluverius Ital. ant. Lib. II. pag. 472. circa paludem Calidarum Aquarum, quam *le Caldane* vocant ex Plinio Lib. II. Cap. 103. & fluviolum Corniam; aitque exftare etiam hodie inter Populonii ruinas, & Turrim S. Vincentii III. millibus pafsuum a mari, infignes Urbis antiquae reliquias, vulgari vocabulo *Vetulia* dictas, & Silvam iuxta, feu circum fitam *Vetletta*. Nuper vero Fr. Marianus, ubi Viterbium eft, Vetuloniam extitiffe contendit, de Etruria Metropoli Cap. XVII. XVIII. & XIX. ubi hanc infcriptionem pluribus mendis foede corruptam adfert, atque exiftimat Quintum Spurinnam Vetulonienfem fuiffe; cuius fphalmata virorum doctorum caftigationes defiderant.

Nec dubitandum certe eft Vetuloniam unam fuiffe ex XII principibus Etruriae Urbibus, & quidem antiquiffimam, fummaeque dignitatis; quae Etrufcis incolentibus, Lucumonem habuit, fupremo faftigio, fummoque magiftratu in capitalibus Etruriae urbibus infignem; quod memoriae prodidit Dionyfius Halicarnaffeus Libro II. a qua multa honoris infignia acceperunt Romani, tefte Silio Italico Lib. VIII. Punicorum v. 485. qui ita cecinit:

Maeoniaeque decus quondam Vetulonia gentis.
Biffenos haec prima dedit praecedere fafces,
Et iunxit totidem tacito terrore fecures.
Haec altas eboris decoravit honore curules,
Et princeps Tyrio veftem praetexuit oftro.
Haec eadem pugnas accendere protulit aere.


Perfpicuum eft etiam eodem Dionyfio auctore Lib. III. Vetulonienfes cum Clufinis, Arretinis, Volaterranis, & Rufellanis fociali foedere iunctos fuiffe; nam de communi fententia hi tantum Etruriae populi polliciti funt fubmifsuros fe auxiliorum quantum opus fuifset Latinis, qui contra Tarquinium Prifcum auxilium petebant & a Sabinis, & ab Etrufcis.

ſcis. Vetuloniam, Municipium fuiſse Romanorum, ex eo probat Cluverius loco ſupraſcripto, quod in antiqua inſcriptione [hanc procul dubio indicat apud Gruterum pag. MXXIX. 7. cuius in Theſauro ſingularis haec eſt] memoratur VETVLONENSIVM PLEBS VRBANA. Sed perperam interpretaſse mihi videtur; nam VETVLONENSIVM appellatio cohaeret Reipublicae, PLEBS vero VRBANA ſpectat ad Arretinos, qui hoc publico perhonorifico monumento poſteris commendarunt Q. Sperinnam Quintianum Civem ſuum. Nam hactenus minime legi in vetuſtis ſaxis, exempli gratia, INTERAMNATIVM PLEBS VRBANA; ſed PLEBS VRBANA INTERAMNATIVM; & ſic de ſingulis, quod per ſe quiſque cognoſcere poteſt in Scaligeriano Indice Cap. X. in vocibus PLEBS, & POPVLVS. Non raro etiam PLEBS VRBANA abſolute ponitur, non indicata Colonia, ſeu Municipio; tunc vero ad eos Municipes, & Colonos ſpectat, ubi marmor erutum fuerit. Huiusce rei exemplum, ut ad noſtra ſemper digitum intendam, habes in Parte I. pag. 201. ubi Auguſtalibus epulum, & Plebi Urbanae diviſiones iubentur; neque vero de aliis Auguſtalibus, neque de alia Plebe Urbana, quam de Florentina intelligendum eſt. Illud obſervandum eſt in hoc lapide, *Pomptinam* Tribum notari unica tantum initiali littera P. quod Fulvio Urſino, Viro longe eruditiſſimo, inuſitatum, ac novum fortaſse viſum eſt; nam Gruterus, qui ab eo accepit, & vulgavit pag. MXXIX. 7. poſt eamdem literam P..... puncta quaedam, quae lacunam defectumque litterarum indicarent, adpinxit, quae non habet marmor; locumque ſiluit ubi reperiretur. Frequentius tamen notata eadem Tribus unica tantum initiali ſyllaba POM, id eſt *Pomptina*, ut in ſequentibus ſepulcralibus Titulis, qui Arretii exſtant. POMPT. vel POMPTIN. interdum etiam ſcriptum occurrit, ut inferius oſtendam. Nec raro etiam omiſsa Tribus, ut in adlato ſuperius lapide pag. 62. in honorem Q. Fabii Celeris Equitis Arretini, & in reliquis adferendis, videlicet in Urna Sex. Saenii Priſci, & in lapide qui ſpectat ad A. Paccium,

& Q. Cavium Duoviros Arretinos, qui Pontem dedicavere.

Quod superest ad explicationem huius inscriptionis, quam suppositam fuisse arbitror statuae Q. Spurinnae, illud monebo apud Suetonium in Iul. Caesare c. 81. & Val. Maximum Lib. I. Cap. 6. & Lib. VIII. Cap. 2. auctoritate huius lapidis legendum esse *Spurinnam*, non *Spurinam*; quem constat fuisse aruspicem Romae insignem, Arretio fortassis oriundum, atque huiusce Q. Spurinnae Quintiani gentilem, qui fatalem diem Iulio Caesari praedixit. Huius item gentilem, & Arretinum credo, Spurinnam iuvenem illum pudicissimum, quem Etruscum fuisse testatur idem Valer. Maximus Lib. IV. Cap. 5.

In Urna marmorea alta pedem I. longa pedem item unum supra dimidium apud Nobiles Forti.




16. Quantae vero virtutis, ac laudis fuerint Arretini in Romana Republica, & quanto in honore apud Imperatores Tiberium Claudium, & Vespasianum, & Titum, liquido ostendunt haec duo fragmenta e Tiburtino lapide, litteris hodie fugientibus, quae exstant Arretii in Via Sacra, in muro Monialium D. Catharinae, e regione Horti Monachorum Casinensium. AR-

17 ARTIO . L . F . POM
RO . TRB . MIL . LEG . III . III VIR . V
AED . CVR . PR . LEG . TI . CLAVDI CAE
PR . PROVINCIAE . MOESIAE . LEG . IV . SCYT
V . MACED . PROCOS . PROV . ACHAI
A . SOR . B . M . EX D . D . P

17. An nomen huius praestantis viri, qui laudatur in marmore, fuerit ARTIVS, cuius familiae fit mentio in Gruterianis pag. DXCIII. 4. an vero LARTIVS, cuius item frequentior habetur in iisdem memoria, alii investigabunt. Fractum enim marmor in paucis suppleri potest. Ex secunda linea liquet fuisse Tribunum Militum Legionis Tertiae, Triumvirum Viarum curandarum; quod munus iisdem notis expressum vide apud Gruterum CCCCXCII. 4. Ex tertia linea AEdilem Curulem, Praetorem, Legatum Tiberii Claudii Caesaris. Ex reliquis Propraetorem, ut arbitror, Provinciae Moesiae, Legionis Quartae Scythicae, Quintae Macedonicae, Proconsulem Provinciae Achaiae. In ultimo versu, A . SOR . B . M . legendum putarem EXTRA . SORTEM . eo quod forte contingeret summis viris regimen Provinciarum; quod ex scriptoribus Romanae Historiae notum est; praesertim ex Velleio, qui ait Lib. II. n. 18. *forte obvenisse Sullae Asiam provinciam*; idque de Lucio Lucullo adfirmat Lib. II. n. 33. Id quoque diserte confirmat Atinensis inscriptio n. 145. in Classe V. a me edita in Collectaneis Donianis, quae haec tribuit C. Vettio Cossinio Rufino, PROCONSVLI . PROVINCIAE . ACHAIAE SORTITO. Melius igitur, ut heic observo, τὸ SORTITO quadrat Proconsuli Provinciae Achaiae, quam ut putaveram, PONTIFICI . DEI . SOLIS. Talem vero tantum-

tumque honorem hic Arretinus Civis consecutus esse videtur, ut EXTRA SORTEM Proconsul in Provinciam Achaiam mitteretur. Aliud exemplum adfero in honoraria Tabula superius edita pag. 248. quae C. Marii res gestas continet; in qua scriptum est eum EXTRA SORTEM bellum cum Iugurtha Rege Numidiae, dum Consul esset, gessisse: quod magis probandum puto ab eruditis viris, quam si quis suppletis literis legat, ARTIA . SOR . B . M .. vel LARTIA . SOR . B . M . nempe *Lartia*, vel *Artia Soror benemerenti*; quasi ab eius sorore hoc monumentum positum fuerit; quod quidem cum reliquis notis non concordaret, EX . D . D . P . quae indicant positum illud fuisse *ex Decreto Decurionum publice*, non vero a privata aliqua persona, sive ab eius uxore. Perperam Gamurrinius in Tom. I. Genealog. pag. 53. pro ... ARTIO, posuit ARITIO.



18. Quod igitur inter cetera, quae nos fugiunt, nomen non appareat Civium Arretinorum tam summae virtutis, ac dignitatis, vitio dandum est non tantum temporis voracitati, verum etiam incuriae ipsorum Arretinorum, qui haec praeclara monumenta neglexerunt. In hoc marmore solum superest cognomen. FIRMO igitur Tribuno Legionis

gionis Quartae, ut opinor, Scythicae, ornamenta praetoria a Senatu decreta sunt; cuius eximii honoris auctores fuere Imperatores Vespasianus, & Titus. An scriptum in lapide sit PRAETORICIS, dubitare aliquis potest, cum in aliis non paucis iam editis *praetoria* semper, non vero *praetorica* ornamenta appellentur. Sed ita quoque sua tempestate legit M. Attilius Alessius Iuris Consultus, superius a nobis laudatus, qui Historiam Arretinarum Antiquitatum scripsit anno MDLII. quamvis hodie paene desperatae lectionis sint, uti me monuit Cl. Redius, qui summo labore, & diligentia hos lapides descripsit. Quae nam vero fuerint ornamenta praetoria, re in Provinciis feliciter gesta, in praemium decreta summis viris, fusius heic dicendum esset, nisi haec omnibus cognita essent ex doctorum virorum commentariis. Ea vero, ut summatim colligam, fuere, latus clavus, toga praetexta, paludamentum, & sella curulis. Insignia item pene omnia Consulum Praetoribus tribuunt, sex tantum ante eos delatis fascibus, cum Consuli duodecim praeferrentur; praeterea triumphalem currum, tunicam palmatam, sive pictam, aureamque coronam; ius item praesidendi ludis triumphali habitu, signumque dandi mittendis quadrigis in Circensibus; quae ab Iuvenale Sat. X. v. 34. describuntur. In ultima linea pro HASTA, scriptum puto HASTIS. Hastae purae, ita appellantur, quod nulla ferrea cuspide munirentur, uti ex Virgilio intelligi potest AEneid. Lib. VI. v. 755.

Ille, vides, pura iuvenis qui innititur hasta

Hae vero, praemio dabantur ab Imperatoribus iis, qui tunc primum vicissent in proelio, ut docet Servius in eumdem Virgilii locum, quae vel aureae, vel argenteae fuere. Singularia D. D. *Donis Donatum* indicant, inter quae etiam coronae aureae tres recensentur. Alium his consimilem honorarium lapidem, sed fractum, qui intercidit, profero ex Libro Manuscripto Bibliothecae Stroziae n. CCCLVI. in 4. & ex alio in quo descriptus fuit ab Angelo Acciaiolo Nobili Viro Florentino, anno MCCCCLXV. quem Arretii eo tempore exstitisse testatur. 19.

19 IO . L . F . POM
O . SAL . PAL . X VIR
III VIR . A . A . A . F . F . IIII VIR
DAR . TR . MIL . Q . ET . LEGAT
HAIAE . TR . PLEB . PRAETORI
: : D : : :

19. Prae ceteris haec notanda ſunt de hoc anonymo Cive Arretino, Salium Palatinum fuiſse, & Triumvirum Monetalem, ad quem auri argenti aeris, flandi feriundi cura pertinuit. Salii duodecim iuvenes ſpectatiſſimi fuere, patricio ex genere, qui ideo Salii appellati ſunt, quod, menſe Martio, in honorem Martis Gradivi, auctore Numa Pompilio, puniceis tunicis induti, aereis balteis gladiiſque ſuccincti, aeneas in capite galeas portantes, altas, in ſpeciem coni eductas, quarum iconiſmum exhibet Fabrettus Inſcriptionum Ant. Cap. II. pag. 115. dextra lanceam, aut virgam, aut quid tale tenentes, laeva ancilia, per Urbem, & in Forum, & in Capitolium, per multos dies, ingentibus tripudiis, ſolemnique ſaltatu incederent, carmina canentes in laudem armatorum Deorum, arma item pulſantes. Palatini vero dicti ſunt, quod ſacra in Palatio factitarent, ubi eorum Sacrarium fuiſse dicitur a Sex. Rufo, & P. Victore. Haec deſumpta a me ſunt ex M. Varrone, Sex. Pompeio Feſto, T. Livio Lib. I. Plutarcho in Numa, & Dionyſio Lib. II. quorum loca illuſtrat Panvinius in Libro de Civitate Romana, fuſius de Saliis Palatinis ediſſerens. Saliis Palatinis, qui & Salii Martiales Capulati dicti fuere, ut oſtendit Fabrettus loco paullo ante dicto, in hoc Collegium a Magiſtro Saliorum, non autem a populo cooptatis, ſimiles, ut opinor, fuere Salii Albani, vel Arcis Albanae, quorum in pluribus inſcriptionibus Gruterianis

nis, & apud eumdem Fabrettum mentio habetur. Hanc ſaltationem ad ſua uſque tempora duraſse Quintilianus memorat Inſtitut. Orat. Lib. I. Cap. XI. His addendi Salii Collini, qui, ut opinor, per Romanos Colles ſaliebant; Salii Herculanei Auguſtales in honorem Herculis Auguſti inſtituti; itemque Salii Hadrianales, adulationis cauſa, ut videtur, ad laudandum Hadrianum Imperatorem Saliaribus carminibus deſtinati. Compertum item eſt horum lapidum auctoritate quam nobiliſſimis, & ampliſſimis legationibus apud Caeſares functi fuerint hi viri, quorum vel nomina vel cognomina ignoramus; de quo praeclariſſimo munere lectores non moror, cum de eo luculenter ſcripſerit eruditiſſimus Carolus Paſchalius, aliique.

Sed ut eo revertar unde deflexeram, Pomptina Tribus in his quoque Arretinis monumentis expreſsa per primam ſyllabam occurrit, quae heic profero.

20




20. Marmoream hanc arculam, quae intercidit, epigraphe tum Etruſca, tum Latina inſignem, hoc modo delineatam inveni in Libro MS. laudatae Bibliothecae Stroziae, ſub numero CCCLVI. in 4. quae, me libenter communicante, primum edita eſt in Dempſteriano Opere de Etruria Regali Tab. LXXXIII. n. 6. ad quam haec adnotavit praeſtantiſſimus Senator Bonarrotius §. XLV. *Inſcriptio Latina poſt Etruſcam videtur fuiſſe viri, qui cineres ſuos recondi voluerit, vel cum oſſiculis uxoris, vel patris, aut alterius*

 con-

consanguinei Etrusci: nam non par est credere, Romanum virum eiectis cineribus defuncti Etrusci, suos in eadem urna [ut sumptui parceret] recondi voluisse; id enim communis gentium religio, & praecipue Romanorum, erga defunctos vetabat. Paucissimae huius generis Inscriptiones sunt, Etruscis, & Latinis characteribus insculptae, alteramque tantum heic indicare possum, quae exstat Pisauri, in honorem Titi Atii Haruspicis Fulguriatoris; in qua, ut idem Senator Bonarrotius suspicatur §. XLVI. ad artis signum versus ex lingua Etrusca additus esse videtur. Hanc editam vide in notis ad Dempsterum Lib. III. Cap. 13. pag. 251. & quidem accuratius quam apud Fabrettum Cap. X. n. 171. exhibetur.


In marmorea Urnula apud Buxetum reperta, anno MDCLIV. quae Arretii non exstat.

21



In muro Ecclesiae S. Geminiani Arretii Tabula marmorea laeva parte effracta, quae ibidem hoc tempore exstat.

22



21. Hunc L. Valerium Festum consobrinum fuisse puto L. Valerii Iunioris Equo publico exornati, Iuratique ad Sacra Etruriae, de quo supra disseruimus. IVNIORIS cognomen in viris etiam familiae Marciae observari potest in altero lapide n. 22. heic relato, ad quam item pertinet haec inscriptio.

In

In lapide Tiburtino in pariete Fontis, quae Canalis dicitur, e regione antiquae Ecclesiae S. Mariae Plebis.

23

COCCEIAE MONTAN
Q. MARCIVS FRVCTVS
CONTVBERNALIS

Ibidem, in lapide Tiburtino.

24

L. LARONIO DIOGENI
PRISCVS LIBERT. IN
FR. P. XII. IN AGR
P. X.

Ibidem, in adsimili lapide.


25

AVREL : : : : :
P. F. : : : : : : :
IN FR. P. XI
IN A. P. XII

Eodem pariter modo notatur Tribus Arretinorum in militaribus saxis, ex quibus non omnino iniucundam fore heic arbitror nomenclaturam multorum virorum, qui militiae operam dedere, eiusdemque non postremis muneribus egregie functi sunt. Neque vero illud praetereundum est Pomptinam Tribum, ut de Scaptia supra diximus pag. 191. ad alias Colonias pertinere potuisse, quod ex aliis inscriptionibus intelligi potest, quae non Arretii, sed alibi reperiuntur. Nam Marini exstat marmorea basis a Grutero edita pag. MLXXXIX. 6. in honorem L. Acilii Eutychetis, nobilis Archimimi, Parasiti Apollinis, Tragici, Comici primi sui temporis, qui in Pomptina Tribu [scribitur in ea POMPT.] census fuit; quem Decuriones Bo-

villenſes magnis honoribus adfecerunt, appellaruntque Primum omnium Adlectorum Scaenicorum Patrem. Si enim Arretii, vel in eius Agro ſuburbano non conſtet lapides erutos eſſe, vel poſt Tribum POMPTINAM, non ſit adſcriptum ARRETII nomen, haudquaquam cenſendum eſt eos ad Arretinos Cives pertinere; quod de aliis quoque ſimilibus ſaxis adfirmo. In his tamen, quae ſubiicio dubitari non poteſt, quod milites Arretini Cives non ſint,

Tiferni, *vulgo* Città di Caſtello, *in Umbria*, *in Eccleſia S. Floridi*, *ara marmorea praegrandis*.



Militibus fere ſemper patria adiungitur, & quidem frequen-

quentius ablativo casu, voce, interdum, ut probe videmus, DOMO praeposita; interdum etiam in accusativo, ut CLEMENS PISAS, pro PISIS, ut in militari laterculo Musei Medicei, edito in Parte I. pag. 31. Frequentius tamen absolute ponitur in sexto casu, quod indico ex subiectis exemplis Militum Arretinorum, qui militaverunt in Cohorte VI, imperante Septimio Severo Augusto;

C. LVSI*us* FESTVS ARRETIO

C. FARSEIVS FIRMVS ARR*etio*

ex alio laterculo ibidem edito pag. 132. Item in alio adsimili penes Fabrettum Cap. III. n. 536. nominantur

M. VETILIVS. M. F. POM. PVDENS. ARRET

M. AELIVS. M. F. POM. IVSTVS. ARRET

qui militarunt anno ab U. C. 930. Christi vero 178. Gavio Orfito, & Iuliano Consulibus. In quo quidem laterculo, & in alio apud eumdem Cap. IV. n. 512. & n. 513. advertere libet patris praenomen cum Tribu Militum, & Patria, indicatum fuisse. Nomina vero Militum, eorumque cognomina in recto casu descripta sunt, ut hinc coniicias eos in dedicatione alicuius statuae, vel arae, vel templi stipem contulisse. Cum vero eorum nomina per nomenclatorem recensenda exponuntur, ut in Florentinis Tabulis, quas vide in Parte I. pag. 125. & 129. & in basi Nobilium Mutiorum a Fabretto edita Cap. IV. n. 91. vocativo casu efferuntur, quod etiam hodie apud nos in Collegiis, & Sodalitatibus servatur in recensione eorum, qui adlecti sunt. Persaepe etiam pro ablativo casu gentilis in recto usurpatur, ut in praenotato Mediceo laterculo. FESTVS NOLENS. VIRRIVS NOLENS. idest, *Nolensis*, cuius patria fuit *Nola*. Ita quoque plura habes huiusmodi exempla in Classe VI. ex Donianis Collectaneis, in qua n. 145. TIBVR & n. 160. TANVS. TVDEVS. lego TVDER n. 195. & in Classe X. n. 47. legitur Q. VALERIVS SYMPHOR. NATIONE MISENENSIS. In sepulcralibus Militum

Titu-

Titulis non moror; nam id est in ipsis usitatissimum, quod hoc tantum exemplo ostendo ex Donianis Collectaneis. Exstat hic Titulus prope AEdem S. Andreae, Via Cassia.

A. SETINIVS. M. F. POM
MAXIMVS. ARRETIO
MIL. COH. II. PR.). VIBI
MILIT. AN. VIIII. VIX. AN. XXX

In primo versu emendatur Fabrettus Cap. III. n. 84. qui habet A. SETIMVS. Perutile heic erit adnotare, horum lapidum auctoritate, hodie quoque scribendum esse ARRETIVM, non cum simplici R. ARETIVM, in qua orthographia peccant ineruditi, & quod turpius ipsi Arretini, veteri quidem sphalmate, quod ab his, Annio auctore, originem habuit, qui Arretium, ab *Aretia* Iani uxore, vel ab *ariditate* nomen perperam ducere voluere. Nec venia ulla dignum censeo Th. Dempsterum, qui in Lib. V. Cap. VII. cum Tifernatem basem evulgasset C. Aninio Gallo dicatam, in qua meridiana luce clarius legitur ARRETIO, postea observat a Latinis scribi unica R. quorum exemplum, falsum quidem, deinceps sequitur. Nam in corruptis editis libris frequenter occurrit; sed in emendatis, vel etiam in MSS. tum Graecis tum Latinis Codicibus *Arretii* nomen duplici RR semper effertur, atque ita omnino scribendum est. In schedis suis Petrus Bonamicus notavit a P. Angelo Morellio Arretino Generali Praefecto Ordinis Servorum M. V. donatum sibi fuisse numisma antiquum ex aere, inventum in olla cum aliquot aliis in diruendis muris antiquis Arretii, regnante Cosmo I. Medice, in quo sculpta erat mulier capite turrito cum epigraphe ARRETIVM; fides sit penes auctorem. Sed ut in viam redeam, plerumque etiam genitivo casu effertur militum patria, ut videre est

est in Clafse VI. Infcript. Antiquar. ex Donianis Collectaneis, in quibus ALBE. i. e. *Albae* n. 158. CAELAETHRAE n. 159. DYRRACHI. n. 166. feriptum occurrit. Nec raro etiam *oriundi* dicuntur, fignificato patriae nomine, vel fecundo, vel fexto cafu; exempli gratia, ne ab eadem Claffe VI. ex Donianis Collectaneis recedamus, ORIVNDVS FABRATERI n. 30. ORIVNDO MYRIANDRO. n. 29. ORIVNDVS GAZA. n. 168. Per quam frequenter etiam fingulari nota N. vel NAT. *natio* exprimitur; ut in iifdem Donianis Collectaneis NAT. CAPSA. n. 25. NAT. DELMATIA n. 47. NAT. THRACIA n. 108. NAT. CORCYRA n. 112. & in Gruterianis CCCXXXIII. 8. DXVIII. 9. DXLVII. 3. quarum infcriptionum nota N. vel NAT. exponitur in Scaligeriano Indice *Natione*; quod etiam facit Reinefius in fuo Indice, & Urfatus in Commentario de Notis Romanorum. Integre vero exprefsum eft NATIONE in pluribus militaribus faxis; atque hoc exemplum fufficiat ex lapide in Hortis Iuftinianeis, ad quem vide Reinefium Claffe VIII. n. XIII. & Fabrettum Cap. V. n. 70. pag. 357. & 394.

D . M
T . AVRELIO
SPERATO . EQ. SING.
TVRMA AVRELI
SABINIANI NATIONE
RAETO. VIX. A. XXXVII.
MILITAVIT. A. XVIIII
AVRELIVS . QVINTVS
DVPLICARIVS. HERES
ET . AVRELIVS . AVRIANVS
SESQ. SECVNDVS . HERES
AMICO . OPTIMO . F . C

Si vero poft eam notam patria in genitivo cafu ponatur, legendum eft *Natus*, vel *Nato*, ut docet Tudertinus

nus lapis, a me editus, in Donianis Collectaneis Classe VI. n. 15. in quo expresse scriptum est. C. EDVSIVS. SEX. F. CLV. NATVS. MEVANIAE. & alter Romanus ibidem relatus n. 155. NATVS TREMONTIAE. Sed *nationis* appellatio non raro Municipiorum, & Coloniarum nominibus in vetustis saxis praeponitur, & quidem Arretio, uti haec marmorea Tabula indicat fracta, & mutila apud Fabrettum edita Cap. III. n. 52. & variante orthographia; quae tamen integra habetur in Donianis Collectaneis Classe VI. n. 181. & exstare dicitur Romae, in Domo Laelii Gratiani.

DIS MANIBVS
C. ANICIO. IVSTO. MIL.
CHO. XI. VRB. VIX. AN. XXXVII
M. A. XVII. NAT. ARRETIO
FECIT STATILIA. HELPIS. CON
B. M. ET. FIL. ANICIAE. IVSTAE
VIX. A. IIII. M. VII. D. X. ET. M. PON
TIO. FORTVNATO. MIL. COH. XII. VR
V. A. XXXV. M. A. XV. NAT. PICENO
FECIT STATILIA HELPIS. ET. SBI.
ET. P. T. RQ. SVIS

Huc quoque spectant aliquae inscriptiones, in quibus Romanas Tribus *nationis* vocabulum praecedit; ut in Donianis Collectaneis Classe VI. n. 139. APTIO. ACCEPITINO NAT. PAPIRIA. Si quis vero aliud clarius exemplum velit, observet hunc lapidem a Cl. Vignolio editum in Selectis pag. 212. in quo *Ousentinam* Tribum *Nationis* nomen praecedit, in quam censi fuere Mediolanenses; & alii diversarum civitatum, ut docet Festus de verb. signif. Lib. XIII.

Haec

D . M
M. ATILIVS. MAXIMVS
VETERANVS. AVG.
NATIONE
sic OFFENTINA. MEDIOLAN
AETRIA. SECVNDA
CONIVGI. B. M. FC


Haec in vetustis lapidibus adnotata, non parum lucis; ut opinor, adferunt eidem Festo, qui ait: Nationem, *idem apud antiquos*, natum. *Cincius, genus hominum, qui non aliunde venerunt, sed ibi nati sunt, significare ait; qui &* nationem *ait non tantum universim de omnibus, sed & de singularibus quoque hominibus seiunctim dici solere*. Ex quibus colligere possumus, *nationem* in his antiquis militaribus saxis idem significare ac *natum*; nec eam appellationem ad loca referri debere, sed ad ipsos milites, qui in ipsis nati sunt; aliter enim ipsa Municipia, Coloniae, denique Tribus censendae essent *nationes*, quod absurdum videtur.

Ex celeberrimis, ac nobilissimis Municipiis, seu Coloniis frequenter tum viri, tum mulieres cognomen desumere consuevere, quod quidem & alibi me adnotasse memini. Ab Arretio cognomentum accepit Claudia uxor Ti. Claudii Aucti Sexviri Augustalis, & Decurionis Brixiensis, quae ARRETINA nominatur in antiquo lapide, quem ex Octavii Rubei Monumentis Brixianis (ad quem lectorem remittimus) Fabrettus Cap. V. n. 301. quamvis imperfectum evulgavit. Meminit Cicero in oratione pro A. Caecina n. 33. *Arretinae* cuiusdam mulieris, cuius libertatem defendit; aitque se vehementer contendisse, Arretinis civitatem adimi a Sulla victore non potuisse; quare postea, quod Decemviri

ſtlitibus iudicandis, prima actione non iudicaverant, re quaeſita, & deliberata ſacramentum ſuum iuſtum iudicaviſſe. Idem cognomen profert P. Helvius in hoc marmoris fragmento, e quo quidem & ex ſequentibus perſpicuum eſt Helviam familiam, e qua Helvius Pertinax Imperator, inter praecipuas Arretii floruiſſe. Eſt etiam VII ab Arretio lapide Rus, quod hodie appellatur *Albianum*, & ab aliquibus *Elbianum*, ut credere fas eſt, ab Helvia familia.

Marmoreae Urnae fragmentum inventum Rure, quod dicitur Teneti, ab Urbe Arretii II. lapide, exſtat nunc in Muſeo Baccio.


26



P. HELVIO ARRE
NO
SEXVIR AE

Marmorea Tabula in Clauſtro Monachorum Camaldulenſium Arretii in S. Maria in Gradibus.


27



D . M
HELVIAE
P . F
TERTVLLAE
CRESCENS
LIB.

In Urna marmorea, olim poſita in anteriori pariete Eccl. S. Florentii, ſecundo ab Arretio lapide, nunc penes Gregorium Redium Equeſtris Ordinis, ex dono Hieronymi Baccii Nob. V.

28



P. HELVIO CRESCENTI
HELVIA TIGRIS
LIBERTA ET VXOR
PATRONO
B. M. FECIT

28.

28. Hanc ipsam urnam nuper praelaudatus Gregorius Redius Academicis Etruscis Cortonensibus dono dedit; ex qua discimus Helviam Tigridem, libertam, & uxorem se appellare P. Helvii Cresentis, virumque suum honoris causa patronum nominare; de qua consuetudine plura Fabrettus Inscr. Ant. Cap. IV. pag. 289.

De Sexviris nonnulla superius delibavi pag. 54. & 55. ab aliis, ni fallor, haud observata, quadam veluti racematione facta. Sed cum in adlato lapide Arretino n. 26. in tertia linea scriptum sit SEXVIR A... cui adhaeret alia litera, quae cum fractum sit marmor, probe cognosci vix potest an sit P. vel E. certe de Sexviro Augustali, ut interpretatur praelaudatus Gamurrinius Genealog. Tom. I. pag. 46. intelligi minime potest. Si bene tamen oculis video, suppletis litteris, legendum arbitror AEDILI, exemplo adsimilis inscriptionis in Donianis Collectaneis Classe V. n. 152. quod P. Helvius Arretinus Sevirali, & AEdilicio munere exornatus fuerit in suo Municipio & Colonia Arretinorum; in qua & AEdiles fuisse iam supra monuimus. Quum locus abundet in his paginis, ad eas explendas adlatam a Donio Ticinensem inscriptionem heic repono; & alteram apud Fabrettum Cap. V. n. 334. in qua aedilitatis honor huiusce Civis Mediolanensis Seviratui praepositus est.

L. TITIVS. C. F
MONTANVS
VI VIR. AEDIL
II. VIR. SIBI. ET
C. TITIO. C. F. POL
LANONI PATRI

HERCVLI
Q. EVFEMVS *sic*
Q. F. OVF
LVCILLIVS. AED
VI. VIR
CVRATOR. AERARI
MEDIOL. HERCVLI
V. S. L. M

Hinc ansam arripio adnotandi diversum ordinem, constituisse in Municipiis, & Coloniis Sexviros, & Sexviros Augustales. Discrimen inter utrosque observo in his praesertim inscriptionibus, quas adduco, paucis usus exemplis. Prima edita est in Gruteriano Thesauro pag. CCCCLXIII. 9. Altera in Donii Collect. Cl. V. n. 190. Tertia ibidem n. 216.

D M
ROMATIAE. L. F
SEVERIANAE
FILIAE. OPTIMAE
QVAE. VIX. AN. XII
L. ROMATIVS
TROPHIMVS
VI. VIR. ET. AVG. COM
VI. VIR. MEDIOL. ET
PVBLICIA. L. F
ATILIA
PARENTES.

T. AEBVTIO. T. L
LEONAE
VI. VIR. ET. AVG
I. ARR. FI. ET. INDVSTRIAE
H. I. R. I

COLL. DENDR
C. CRISPIVS. HESPERIO VIVIR
BRIX. ET. VER. NOMINE SVO
ET MARIAE SYNETHIAE
VXORIS ET IN TVTELA DEDIT
H-S . . . .

Igitur

Igitur L. Romatius Trophimus [qui procul dubio pertinet ad L. *Romatium* Firmum , non ut in editione Pauli Stephani , & in tertia emendatiore Claudii Minoe I. C. *Romanum* ; de qua germana lectione mihi constat ex collatione nuper a me facta cum veterrimo Florentino Codice MS. Bibliothecae Marchionis Riccardii , Epistolarum Plinii iunioris : quem Romatium idem Plinius in Lib. I. Epist. XIX. municipem suum , item condiscipulum , & contubernalem appellat] Sevir , & Augustalis fuit Comi , itemque Sevir Mediolani ; quemadmodum in adlato lapide C. Crispius Hesperio Sevir fuit Brixiae , & Veronae . Seviri magistratum in Municipiis , & Coloniis componentes , diversi , ut mea fert opinio , fuerunt ab Seviris Augustalibus , qui in suo Collegio religiosi viri erant , & sacris rebus praeerant ; patronasque Collegii sui etiam feminas sibi adscivere , ut liquet ex Donianis Collectaneis Classe V. n. 123. quibus iurisdictio , non sacerdotium negatum fuisse constat . Sevirum vero munus , & iurisdictio fuit in civilibus . Si enim diversi non essent Seviri Augustales a Seviris qui Municipiis , & Coloniis praeerant , cur in sexcentis lapidibus inter se distinguerentur , ut primi Seviri tantum , vel alia appellatione adiuncta , Seviri Seniores , & Iuniores ; alteri vero vel Seviri Augustales , vel Augustales tantum , tam frequenter dicerentur ? Hanc difficultatem praeinspexit doctissimus Norisius in Dissert. I. Cap. VI. qui tamen contrarium sensit , adseruitque Seviros Augustales eos dictos fuisse , qui in Collegiis , sive Corporibus Augustalium sex primi nominabantur , ut in ordine Decurionum decem primi ; adeoque coniunctione ET in adlatis lapidibus , & penes Gruterum XLIII. 8. LXVIII. 3. pag. CCCCIX. 5. CCCCLXXII. 8. CCCCLXXV. 6. CCCCLXXXI. 3. tum Augustalitatem , tum etiam peculiarem in eodem Collegio dignitatem Seviratus exprimi adfirmat . Sed postea , quasi mutata sententia , subdit : *verum probabilius dicentur Seviri in memoratis elogiis , Sexprimi inter Corpora Artificum designari* ; quod an verum sit , nunc non vacat expendere .

Non

Non igitur confundendi sunt vel cum Sexprimis Artificum Seviri, qui Magistratum constituebant, vel cum Seviris Augustalibus, religiosis plane hominibus, qui in Coloniis & Municipiis; exemplo Sodalium Augustalium Romae institutorum a Tiberio Caesare in honorem Augusti, sacris praeerant; quo quidem discrimine admisso, Reinesii, Norisii, & Fabretti difficultates, & concertationes, quae ab eo proponuntur Cap. V. Inscript. Ant. pag. 403. facile diluuntur. Notandum est etiam quod in pluribus inscriptionibus Seviri cum Decurionibus coniunguntur, & statim post eos nominantur. Praeterea advertere heic quoque libet multa Augustalibus veluti religiosis viris tribui, quae Seviris numquam tributa leguntur. Ea sunt triclinia omni cultu, itemque lucernis bilychnibus, & candelabris exornata; vineae, praedia, funda donata, ut publice epulas exercere possent, & facilius strationes publicas obire; quae omnia perspicue docet marmorea basis emendatior edita a Fabretto Cap. V. pag. 404. Frequenter etiam Sevirorum Augustalium coetus, *Corpus* appellatur, ut in pluribus inscriptionibus; raro tamen, aut semel *Ordo*, ut apud Gruterum pag. CCCCLXXV. 3. ORDO . DECVRIONVM . ET AVGVSTALIVM . ET . PLEBS . VNIVERSA. Nil autem horum Seviris, qui magistratum constituebant. In eo vero convenisse puto, quod utrique a Decurionibus creabantur. De Seviris Augustalibus constat ex antiquis tabulis, & diserte quidem apud Gruterum pag. CCCCIX. 5. eosque interdum auctos legimus maiori honoris gradu, nempe distinctos bisellio inter ceteros, ut in propria sede vel etiam in ludis sederent; quare Seviri Augustales *Bisellarii* appellati fuere, ut in Gruteriano Thesauro pag. MXCIX. 2. quos honoris gradus vel gratuito a Decurionibus, vel pecunia erogata, vel publicis constructis operibus, vel editis ludis, & gladiatoriis muneribus consequebantur. De Seviris vero dubitandum non est, cum magistratus omnes municipales, & colonici a Decurionibus crearentur. Huic meae de Seviris lucubrationi duas heic inscriptiones ad Ar-


reti-

retium ſpectantes lubet adnectere, quae hodie extant in porticu Eccleſiae Angularienſis, vulgo [*d' Anghiari*] celebri loco, multorum proeliorum fama cum Arretinis, & Florentinis. Angularium oppidum ſitum eſt ad ripas Sonariae, fluvioli non longe ab Arretio decurrentis. Marmorea haec arcula luſtralis aquae miniſterio poſita erat in Eccleſia, quam in Porticum transferendam curavit Carolus Senator Strozius anno MDCXXII. Conſtat L. Corpennium Sabinum, natione Arretio, Sevirum fuiſse Polae. Ita eadem nota adhibetur in Veneto lapide apud Gruterum CCCLX. nempe VI. VIR. AVG. TERG. ET. POL. i. c. *Seviro Auguſtali Tergeſte, & Polae*; ni tamen quis legere mavelit POLENTINO, Coloniae Polentiae.

29



30



30. Alteram votivam puto, dedicatam Libero Patri fuiſse, ex qua eiuſdem Numinis cultus his in locis eruitur.

Duumvirum Arretinorum nunc adtexenda ſunt nomina, qui praecipuum magiſtratum conſtituebant, annuamque iuriſdictionem, uti Romae Conſules, exercebant. Nil tamen abſque Decurionum conſenſu, & adprobatione gerere eos potuiſse oſtendunt Piſanae Tabulae in honorem Caii, & Lucii Caeſarum, & haec Arretina inſcriptio, quae Pontem, [fortaſſis IANINIVM, cuius tamen nomen deeſt extrito, ac maxime eo in loco labefactato marmore Tiburtino; ſiquidem hodie & pons exſtat Arretii, qui Ianinus ab

Iano

lano, vulgo *Giannino* appellatur] factum fuisse docet a Duoviris A. Paccio, & Q. Cavio, & quidem EX D. D. *Ex Decreto Decurionum*, qui, ut pueris notum est, in Municipiis, & Coloniis, veluti Romae, erant Senatores. Deest post nomen gentilitium Tribus; desunt tum A. Paccio, tum Q. Cavio cognomina, quod maximae vetustatis huius lapidis non obscurum indicium est, uti etiam observat Fabrettus Inscr. Ant. Cap. III. pag. 461.

Arretii, Tiburtino in marmore in anteriori pariete Ecclesiae Sodalitatis S. Catharinae V. & M. in Platea S. Francisci.


31

A. PACCIVS. A. F.
Q. CAVIVS. L. F.
DVOVIR
EX D. D. PONTEM
: : : : : : : VM. D. COE

31. Postremas singulares notas D. COE. interpretor *dedicandum coeravere*; quae tamen formula dedicationis, ut luculenter observat Vir eruditissimus Alexius Symmachus Mazochius Cap. III. in Campanum Amphitheatrum, non importat *καθιέρωσιν*, idest consecrationem, sed primum tantum rei usum, & publico usui dedicatum Pontem designat. Rem nonnisi pergratam antiquitatis cultoribus me facturum arbitror si heic apponam marmoris fragmentum inscriptum ex locupletissimo Museo Nobilium Victoriorum Romae, quod mecum communicavit Ill. Franciscus Eques Victorius, in quo notatu digna est Putei dedicatio, ut arbitror, in publicum usum. Insigne etiam in hoc est Consulum collegium, nempe M. POMPEIO MACRINO

P. IV.

P. IVVENTIO CELSO, ita restituendum est in ultimo versu; qui Consules fuere anno U. C. DCCCCXVII. Christi CLXIV. quorum praenomina, ac nomina, frustra a Panvinio sollicitata, emendavit ex lateris signo Fabrettus Inscr. antiq. Cap. VII. pag. 507. & 508. In superiori vero parte huiusce marmoris, quod Romae e quodam muro erutum est, anno MDCCXXVIII. anaglyphi duarum Nympharum, apparent reliquiae, fluente ad pedes aqua.



O\RINVS, legendum puto QVIRINVS, a Romuli cognomine, appellatione desumpta. Pro D, videndum an scriptum sit F. ut dicat, *faciendum coeravere*. Gamurrinius Genealog. Tomo I. pag. 32. (uti recentiores antiquarii solent) adulationis gratia, ad Actiorum nobilem familiam detorquet hanc inscriptionem, legitque AP. ACCIVS; sed ut optime Ill. Redius observavit, maius spatium intercedit inter A. & P. quam ab P, ad secundum A. In secundo versu cum scriptum sit Q. CAVIVS, legendum tamen auguror *Q. Gavius*; quod scribendi genus antiquissimum esse constat, convenitque huius lapidis antiquitati; cum pro G veteres primum usi sint littera C; quare legimus in pervetusta C. Duilii Columna, LECIONES, MACISTRATVS, PVCNANDO. Vtriusque tamen familiae *Caviae*, & *Gaviae* in com-

pluribus lapidibus mentio habetur. Sed in saxis valde detritis vix aliquod discrimen inter C, & G inveniri potest; cui difficultati ut occurrerent veteres, maxime Augustea aetate, τὸ G in vetustis monumentis caelandum hoc modo G G curavere, ut dixi in Praefatione ad sepulcrum Libertorum, & Servorum Liviae Augustae, & Caesarum pag. XVIII. Illud quoque confirmat opinionem meam quod in veteri lapide; qui exstat Burgi in Etruria, inferius a me afferendo, Sex. Gavius Arrius nominatur, in Pomptina Tribu Arretinorum census.

Explicata Magistratuum Arretinorum nomenclatura, superest ut Quinquennales, qui in Coloniis iidem ac Romae Censores fuere, & Triumviros in sequenti fragmento ex Tiburtino lapide ostendam.


In labro superiori Cisternae Arcis Arretinae.

32



Marmorea Urna in Museo Baccio.

33



His adiicio L. Ausinium Arrianum ex Romano lapide *Curatorem Civium* Municipii Arretini; cuius munus fuit bona privata civium Arretinorum praesertim Romae curare; ni vero legendum sit *Collegio Centonariorum* Municipii Arretini L. Ausinium Arrianum aliquod opus donasse; cuius rei penes eruditum lectorem iudicium esto. Hanc vero

po-

posteriorem lectionem magis probarem, exemplo marmoreae Arae inscriptae, quam protulit Philippus Antoninus in libro Antiquitatum Sassinatium pag. 35. in qua singularia C. C. M S. explicat *Collegii Centonariorum Municipii Sassinatis*; quo evincimus Collegium Centonariorum Arretii fuisse.

L. AVSINIVS. L. F. PVBL. ARRIANVS
C. C. MVNICIP. ARRETIN

Aliquibus mendis corruptum edidit Gruterus pag. CCCLXXII. 12. paucioribus vero Panvinius de Imperio Romano pag. 736. ego vero ex antiquo Libro MS. Bibliothecae Stroziae; quo plane confirmatur Arretium tum Municipium, tum Coloniam fuisse; quae, ut Norisio adsentiar in Diss. I. Cap. II. pag. 22. in Cenotaphia Pisana, Plinio auctore Lib. III. Cap. 5. COLONIA FIDENS IVLIA dicta est, ab Iulio Caesare, qui eam deduxit, sortita illustre cognomen; cuius civitatis, quemadmodum & Volaterrarum, agros non Triumviri, veteri Reipublicae instituto, sed unus Q. Valerius Orca Propraetor in Etruria a Caesare rem magnam atque difficilem, ut ait Tullius Lib. XIII. Fam. Epist. 5. iussus perficere, veteranis divisit, quod idem Norisius loco suprascripto adnotavit. Municipium item Arretium appellat Isidorus Lib. XX. Cap. 4. & vetus Scholiastes in Persium Sat. I. v. 144. Coloniam Frontinus, & Cicero in Mureniana. Complura alia scire possemus si inscripti lapides exstarent, quibus prae omnibus Etruriae Urbibus Arretium locupletissimum fuisse constat. Bene profecto de posteris meruerunt, qui hos lapides nobis servarunt. Sed nunc primum reliquos, qui ad hoc tempus exstant proferamus, dein illos qui civium incuria perierunt.

In marmore; quod visitur in pariete Parthenonis Monialium D. Benedicti.

34



34. Fractum est marmor in duas partes, cuius hiatum duabus tantum adiectis litteris supplevi. Mutilam exhibuit hanc inscriptionem Gamurrinius Genealog. Tom. I. pag. 46. Perbelle supra encarpum, quod utrinque tenent Genii, sculpta est avis volitans, & iam iam subitura paratum laqueum. Laqueos inter dolosas aucupum artes numerari nemo ignorat; cuius inter ceteras meminit Ovidius Metamorphos. Lib. XV. v. 473.


Retia cum pedicis, laqueosque artesque dolosas
Tollite, nec volucres viscata fallite virga.

Hoc igitur laqueo mortem ipsam designari non dubito; nil enim & in sacris Paginis frequentius laqueorum similitudine, ad mortem ipsam, vel dolos significandos. Regius Psal-

Psaltes audiendus Psal. 123. *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Ciartiae familiae in magno Gruteri Thesauro in duabus tantum inscriptionibus fit mentio pag. DLXXX. 8. & pag. DCCLXIX. 5. Vide etiam Fabrettum Cap. VI. n. 158. Petroniam vero familiam Arretii praedivitem fuisse ostendit Rus suburbanum, quarto ab Arretio lapide, quod & hodie Petronianum, vulgo *Petrognano* dicitur. Idem cognomen Cn. Petronii, nempe ASELLIO, legitur diminutivum in alio Arretino lapide, quem subiicio.


In pariete Ecclesiae D. D. Comitum Montisacuti marmorea Tabula, in qua superne sculpta lupa puerulum lactans; infra vero colludentes pueri.

35



In columnae fragmento e Tiburtino lapide, quod cum sit perforatum pro superiori labro inservit puteo in quodam praedio Canonicorum Domus veteris extra muros.

36



36. Cluviae Quartinae Asellionis uxori, ut puto, Mulieres

lieres Vicanae memoriam in hac columna posuere. Singularia **VI A C**, quae sequuntur alii mihi explicabunt; fortassis *vixit annis centum*. Mulierum Vicanarum sit quoque mentio in Florentina insigni Tabula edita in Par. I. pag. 316. quibus Decreto Decurionum Florentinorum natali die Liviae Augustae mulsum, & crustulum ad aedem Bonae Deae eorum pecunia datum fuisse memoriae proditum est. Quare videmus in Colonicis solemnitatibus celebrandis, eas locum habuisse, & sacra, solis feminis permissa, ad Bonam Deam frequentasse. Quae vero fuerint Deorum fana, & aedes celebriores apud Arretinos, iam superius declaratum est. M. Atilius Alessius, de Arretinis Antiquitatibus optime meritus, ex priscis locorum appellationibus, quae ad hanc diem perennant, itemque ex antiquis plurium aedificiorum vestigiis, ex pavimentis pulcherrimis, tessellato opere stratis, ostendit in sua Historia MS. Arretii Templa, sive fana Iovis, Iunonis, Iani, Saturni, Palladis, Mercurii olim celeberrima extitisse; ut silentio praeteream Balnea Nymphis dicata, Thermas, Aquaeductus, Pontem, Porticus, Basilicam, Theatrum, Amphitheatrum, cuius insignia vestigia hodie conspiciuntur. De antiquo Fonte, cui Genium veteres dederunt extra Urbis moenia, eiusque Fano, & Apollinis Oraculo, meminit Anonymus auctor Vitae S. Bernardini Senensis Cap. XL. itemque Concilium Antisiodorense, ut notat Delrio in Disquisitionibus Magicis.

Imperante Cosmo I. Mediceo, dum in hac civitate, testante Vasario, munitionum fundamenta effoderentur, repertum est aeneum praegrande Chimerae signum, expressum in Tab. XXII. Operis Dempsteriani; quod hodie, quod praeclaro in loco Musei Medicei ab omnibus conspicitur, (nam antea sordido in loco iacebat) debetur consilio, ac studio Clarissimi Viri mihique carissimi Petri Andreae Andreinii Patrici Florentini, ut ipse mihi dum viveret testatus est. Etruscam octo literarum epigraphen praefert in anteriore dextro crure; incertumque est, ut


notat

notat Cl. Senator Bonarrotius, an nomen artificis eiusdem contineant, an Numinis, cui hoc pulcherrimum signum dicatum fuerit. Aliud eximium monumentum editum in eodem Dempsteriano Opere Tab. I. quod hodie exstat Bononiae in Museo Cospiano, olim ad Arretinos spectasse certissimo testimonio primus omnium, non sine voluptate, eruditis viris declaro. Patera praegrandis est, & insigni, ut ea ferebant tempora, opificio, inscriptis etiam Deorum nominibus, egregie celata, quae Iovis cultum apud Arretinos praecipuum fuisse ostendit; atque, ut arbitror, Minervae, cuius ortus ex Iovis capite in ea potissimum repraesentatur. Adstant, ut describit Praestantissimus Bonarrotius §. II. duae mulieres, obstetricum vices gerentes, & Iovi parturienti opem laturae. Mercurius (cuius simulacrum aheneum apud Arretinos conspicuum fuisse testatur Iulius Obsequens) brevi chlamyde semitectus, cum bipenni, qua Iovis caput aperuisse etiam fabulae Graecae testantur, nascentem Minervam admirabundus intuetur. Furto a nobili possessore sublatam credere fas est; nam quis adeo stultus indoctusque est, ut paucorum obolorum, ut ita dicam, sordida flagrans avaritia, patriam suam tam eximio monumento carere voluerit? Hanc igitur pateram optime delineatam eruditissimus meus Iohannes Baptista Donius a Cosmo Ricciardio Nobili Viro, & antiquitatum investigatore studiosissimo accepit; qua sua Collectanea exornavit, atque in lucem primus omnium edere cupiebat; nam in Classe V. pag. XXIX. haec adnotavit supra eiusdem paterae delineationem: *Reperta cum urna fictili, cinerum plena, quam operculi loco tegebat, Arretii, apud Franciscum Mariam Actium.*

Paterae, ut aliquid de his dicam, vel publicae, vel privatae fuere. Publicae constitutae erant in Templis Deorum, quibus ad res divinas Sacerdotes utebantur; quae Deorum imagines praeferebant, qui in iisdem Templis colebantur, uti haec insignis Arretina ostendit, qua Etrusci, sacrorum amplificatores, usi sunt. Privatae erant in unaquaque

quaque domo, & familia, teste Cicerone in Verrina IV. n. 21. & 22. quas a maioribus acceptas summa diligentia, & religione adservabant cum patellis, & thuribulis; erantque insignia Penatium hospitaliumque Deorum. Discrimen inter has habes ex eodem Cicerone; nam vel purae erant, nulla scilicet caelatura ornatae, vel graphice scalptis Deorum imaginibus; vel ornatae exstantibus sigillis Deorum, vel crustis, vel emblematis, quae ab his avelli poterant.

Huius loci opportunitas postulare videtur ut Arretinorum Artificum praestantiam in conficiendis fictilibus vasculis exornem; indicatis eorum nominibus, quae ex iisdem inscriptis in orbiculari fundo vasculis, Arretii sua tempestate repertis, collegit Marcus Atilius Alessius; quaeque eodem ordine referam, uti exposita sunt in eius Historia, quae MS. ut dixi exstat Florentiae in Doniana Bibliotheca. Testatur haec inventa fuisse anno MCCCCXCII. in ripa fluminis prope Pontem, dictum vulgo *delle Carciarelle*, praesente Card. Iohanne Medice, qui postea Leo X. P. M. fuit.



PRO-

46	47	48
PROI	PRO	DOMI

49	50	51
D O M I	D O M I T	P H I L C A L I

52	53	54
S I N	SINIS	HIL : PR

55	56	57
STABILI D O M	P H I L E C A L I D	MENOLA STRIGON

58	59	60
TELAMO CALDIS	L. S E L L I Q V A D R.	F E L I X C A L I D I

61	62	63
C A L I D S I R I C	A G A O C A L I D	L S C

DOM

64

DOM
ITI ☼

65

CALIDI
SECVND

66

I
NCE . CAD

67

ERO S CA
LID STR

68

M A M
CALIDI

69

PELEVS
CALIDI

70

HOMERVS
CALIDI

71

M A M
S I N S

72

SASA STRI
CAL DI

73

DOMO ☼

74

☼
D O M
☼

75

FAVSTVS
CALIDI

76

FAVSTVS
CALIDI ☼

77

SINIS CALI

78

S V N I

79

F E L

80

SYNIS

81

SINIS. T.

ME.

82	83	84
MENOLA / STRIGON	V C VV / C A L1 D	N I C E Po
85	**86**	**87**
C A L I D I	VMBRISCI / PHLoLOS	B V C C I / O. D O L.
88	**89**	**90**
A R V T / S A V F E I	QVARTIO / P. COR	L E T T I / o o o o o o o / S A M I A
91	**92**	**93**
R A S I N	C E L E R / R A S I N	HIL. PRO
94	**95**	**96**
S T A B I L I / C A L I D I	S Y N I / C A L I D.	A G A / C A L I D.
97	**98**	**99**
N I C E / C A L I D.	S Y N I S / C A L I D.	M A M A / C A L I D.

100	101	102
BVCCI L / CALID.	CHRY / SANI / L. TITI	RECEPV / MAN

103	104	105
PHILON / P. CORN	MAMA / CALID.	FELIX / CALIDI

106	107	108
A VIBI	SINIS CAL	SVAVIS

109
LYSIMA / CALID

Hi sequentes plantam pedis inscriptam referunt.


110	111
C. BOVGEN	M RV.

112	113	114
DVO SECVN	A. M. PRV	MECESC


115	116	117
L V M	M. ANNE	L. TEREN

CA.

118



119




120



His alias addo inſcriptiones ad antiquas Arretinorum Figlinas ſpectantes, in quibus Praediorum P. Aurelii Plutini, (f. Plautini) Stabuli P. Actii, & Caſtrorum Praetorianorum L. Silvinii Helpidiani, item Inſulae M. Vulpii Sulpicii ſit mentio; quas ex Schedis Burallii deſcripſit in ſuis Collectaneis Ioh. Baptiſta Donius, qui ait Arretii repertas fuiſſe.


In tegula.

121




In tegula.

122



In tegula.

123



In

In Vase fictili reperto in quodam puteo a Iacobo Burallio.

124

STABVLVM. P. ACTII

In tegula. Gruterus alibi repertam ait, CLXXXIII. 10.

125

CASTR. PRAET
L. SILVINI
HELPIDIANI

Artificum igitur Vascnlariorum, & Simpulariorum in his videmus per notas, vel monogrammata expressa nomina, itemque indicatum Magistrum Officinae fictiliariae, eiusdemque Officinae argumentum, palmam nempe vario modo expressam, & astrum. In aliquibus vasculis miro artificio fabrefactis efformata erant capita diademata Iovis Hammonis, Bacchi, itemque Faunorum, Silenorum, agrestiumque Numinum hianti, ut larvae, & oscilla solent, ore. In aliquibus etiam eorumdem vasculorum fragmentis visebantur ludicrae avium pugnae, leonum, & canum equorumque venationes, quadrigae, bigae Circenses; quae vascula tenuitate, & luciditate valde commendabilia erant. Ex his Figlinarum notis licet colligere non pauca Arretinarum Familiarum nomina, quae inferius cum ceteris enumerabo. Haec vasa, multiplicis figurae, rubra erant, Villanii quoque nostri Historici tempore celeberrima; quaeque [nam licuit aliquot videre] ea Asiatica, quae vulgo *Buccheri* appellantur, vivido colore, & splendore longe superant: quare haec maxime in usu, atque in deliciis in tota Italia apud veteres fuisse credibile est, in quibus etiam olera in mensis ministrari solebant, Sedulio Poeta auctore, qui ait;

Rubra quid appositum testa ministrat olus.

Scribit etiam praelaudatus Alessius in quodam Arretino Rure, quod *Chiani* appellatur, tertio circiter ab Urbe lapide, quoddam genus terrae albae inveniri, quae *Arretina* ap-

appellatur, ex qua vascula escaria conficiuntur, itemque ea praesertim vasa, quae ad vitrum liquandum aptissima sunt in fornacibus, in quibus haec creta magis magisque indurescit; cuius maximus usus est Venetiis, & per totam Italiam. Praestantes quoque fuere Arretini Artifices in lateribus quadratis conficiendis, quare ex his confectum murum egregio opere Arretii laudavit Vitruvius Lib. II. Cap. 8. & Plinius Lib. XXXV. Cap. 14. Libet etiam ex allatis Figlinarum notis coniecturam non omnino inprobabilem ducere, nempe ab Etruscis, qui in Italiam praestantissimas artes invexerunt, auxeruntque, tum Graecos, tum Romanos Artifices, tum etiam Statuarios, & Gemmarum Scalptores, denique Figliniarios didicisse nomina sua suis operibus apponere, atque inscribere. Idem dicendum arbitror de Architectis, qui in capitulis columnarum sua nomina interdum inscribere consueverunt. In vasculis igitur fictilibus escariis conficiendis, propter varias elegantissimas formas, & tenuitatem maxime commendandis, supra ceteras Etruriae, & Italiae Urbes, nobilitatem retinuisse Arretium merito adfirmat Plinius Lib. XXXV. Cap. 12. de quibus superius sermo est pag. 219. Tanto artificio elaborata fuisse haec vasa constat, ut crystallinorum, & murrhinorum splendorem ac gloriam obscurarint, teste Martiale, qui & apud Romanos in pretio fuisse testatur Lib. I. Epigr. 53.

Sic Arretinae violant crystallina testae:

tantumque Porsenae Etruscorum Regis lautitiem auxerint, & condecorarint, eodem auctore in Epigr. 96. Lib. XIV.

Praecipuo item artificio Arretinos praeditos fuisse constat in armis fabricandis, quod quidem observatu dignum est, praesertim Livii disertissimo testimonio. Plura enim Libro XXVIII. versus finem enumerat armorum genera, & bellica instrumenta, quae Arretini, Scipioni Consuli bellum adversus Carthaginienses paranti, suppeditarunt; atque ita scribit: *Etruriae primum populi pro suis quisque facultatibus Consulem adiuturos polliciti. Arretini XXX millia scutorum, galeas totidem, pila, gaesa, bastas longas, millium quinquaginta*

sum-

summam pari cuiuscumque generis numero expleturos : secures , rutra , falces , alveolos , molas , quantum in XL longas naves opus esset : tritici centum & XX millia modium in viaticum Decurionibus remigibusque collaturos . Ex quibus non solum Arretinorum liberalitatem , industriam , magnificentiam , verum etiam urbis splendorem , opulentiam , ubertatem , amplitudinem mente consequi possumus . Neque mirum esse debet nobilissimum hoc Municipium diu cum Romanis , Etruriae inhiantibus , vario marte conflixisse , multiplicesque terrores Romanis legionum aquilis incussisse . Fortissimos siquidem viros habuisse compertum est ; quorum exercitu , & Faesulanorum circumfluente , Catilinam alacrem redditum , ut contra patriam pugnaret , testatur Cicero in Mureniana.

Marmoreus Cippulus apud Nob. V. Petrum della Doccia ; repertus apud S. Lazarum ad primum ab Arretio lapidem.

126

D . M
Q. TEL. AS
CLEPIA
DI. FILIO
CARISSI
MO. TELLIA
HYGIA. ET
TEL. SATV
RNI &
NVS
B . M

In lapide Tiburtino , qui in Ecclesia S. Iacobi Commendae Hierosol. Religionis , ad lateralem portam , Urnae aquae lustralis pro basi inservit.

127

D . M
PVTHYCIO
SARGENI
A COEL
IANA F
CONIV
GI DVL
CISSIMO
B . M

In

In gradibus Portae Palatii, sive Episcopii Arretini, in lapide Tiburtino.

128

LVCCEIAE. A
LIB. NYMPHES
M. VOLASENNA. FEROX. F.
MATRI. PIAE
IN F. P. X
IN. AG. P. XII

Fragmentum marmoris apud Nobiles Viros Forti.

129


NI. SIVI
MVRRIA
SECVNDI
NA MARIT
. . B . M

128. Hodie hic lapis fractus ex omni parte est, & paene desperatae lectionis. Integrum dedi ope MS. Bibliothecae Stroziae, in quo anno MCCCCLXV descriptus fuit ab Angelo Acciaiolo Nobili Viro Florentino. Volasennam, sive Volasenniam Familiam claram item apud Volaterranos fuisse superius pag. 170. adnotavimus.

Hactenus, paucis exceptis, Inscriptiones Arretinas protuli, quae hodie supersunt, & in praedictis locis videri possunt; eas nunc referam, quas Arretii olim exstasse tum MSS. Codices, tum auctores fide digni adfirmant; sed hoc tempore non reperiuntur, & alio translatas fuisse credibile est. Constat enim Arretii inscriptiones tanto numero extitisse, ut derivata a maioribus voce & fama, saxa loquentia, *Sassi parlanti*, in Urbe fuisse ferantur: quod, ut notat Cl. Montfauconius in Diario Italico Cap. XXVI. pag. 381. profanum vulgus de lapidibus vocem emittentibus interpretatur; at sagaciores de inscriptionibus incisis apposite id dictum existimant. Quod vero inscriptiones, quae AEmilium Paullum, L. Lucullum, & Val. Maximum spectant, de quarum sinceritate dubitavit Montfauconius, suspicione non laborent, satis iam supra ostendimus.

Tc DIS

130




130. Petrus Bonamicus superius laudatus, scribit hanc inscriptionem exstare in AEdibus Brendagliorum Nobilium Arretinorum. Sed hodie Florentiae exstat in Urbanis Hortis Excellentissimae Domus Corsiniorum, quam editam vide in Parte I. pag. 165. Fabrettus, ut perfrequenter solet, non indicato loco, edidit ex Schedis Barberinis Cap. III. n. 291. ad quam vide quae erudite adnotavit.

131



132



131. Crispina Firma L. Crispini filia, uxor fuit L. Valerii Festi civis Arretini, cuius urnula una cum ea inven-

ta

ta est Buxeti, anno MDCLIV. quae superius edita est pag. 298. n. 21. Hinc libet colligere non semper coniugum cineres in una eademque olla conmixstos fuisse.

132. Haec inscriptio, ut legitur in Libro MS. Iohannis Hieronymi Equitis Baccii, exstabat in impluvio Domus Nobilium Gamurriniorum Arretii, ad D. Laurentium. In eo MS. Codice primae lineae litterae sunt V. V. quasi haec Tabula votiva dicata fuerit VENERI VICTRICI; sed descriptoris erratum perspicuum est ex sequentibus postremis, litteris licet detritis, quae interpretantur CLEMENS SIBI ET SVIS FECIT; adeoque singularia illa V. F. reponenda sunt, aliorum lapidum sepulcralium exemplo, quae interpretantur *Vivens Fecit*. Hac loci occasione silentio haud praetermittam M. Atilium Alessium in sua Historia inter homines illustres Arretinos memorare Clementem Arretinum, Virum Consularem, Praetorianis praepositum, Domui Vespasiani per affinitatem innexum, Domitiano gratissimum, & familiarem; cuius meminit Tacitus Histor. Libro IV. c. 68. &, uti aliqui volunt, Suetonius in Domitiano c. 11. Sed *Arricinum* non *Arretinum* scribendum emendandumque ostendit doctissimus Ful. Ursinus ex antiqua inscriptione, in qua legitur M. ARRICINIVS. CLEMENS, qui Consul fuit cum L. Novio Asprenate, imperii Domitiani anno XIII.

133

D . M
CLAVDIAE
GALLAE
OPTIMAE
MATRI
GALLVS ET POSTVMA
FILI

134

D . M
POMPONIA
HEVRESIS
C. IVLIO. APRILI
CONIVGI. B. M
ET SIBI

133.

133. Idem Liber MS. Equitis Baccii docet hanc inscriptionem olim adservatam fuisse in AEdibus Nobb. Rosselliorum, quae, postea dirutae, locum dederunt aedificio Collegii Presbyterorum Societatis Iesu.

134. Hunc lapidem ex Schedis Georgii Vasarii Nobilis Viri Arretini, Architecti, & Pictoris celeberrimi, ac praestantissimi descripsit Donius in suis Collectaneis; proditumque memoriae est a Vasario exstasse in pariete AEdis S. Petri Minoris; quod etiam Baccianum MS. testatur. Edidit Ill. Comes Malvasia inter Marmora Felsinea pag. 354. ex Schedis Vaticanis, nulla loci habita mentione.

135

DIS . MAN
AELISIVS CARPVS VIXIT
ANNOS. LXIIII. MENSIBVS
VIII. DIEBVS. XIII. HOR. III

135. Hunc sepulcralem Titulum nobis servarunt Schedae Barberinae, nempe Cl. V. Ioh. Baptistae Doni, ex quibus produxit Fabrettus Cap. III. n. 382.

In Arca marmorea.

136

D . M
L. VETTIVS FLORENTI
NVS EX PRAESIDIBVS SINGVLARIS
INNOCENTIAE VIR VIXIT AN. XXVII
MENS. VIIII. DIEB. VIII.

136. Affert hanc inscriptionem praelaudatum MS. Redia-

dianum pag. 94. in quo notatur, corpus quod in ea arca marmorea positum fuerat, adhuc integrum exstare Regii. Fides sit penes descriptorem.

137

PORCILLAE VESTINAE CANANIVATI
DECORE FORMAE . . . . FLORE
. . . . VESTAE . . . .
ADSCRIPTAE EHEV . . . . FAT . . .
ABSVMP . . . . LENTO . . . .
TORQ. . . . . MATER
MOESTA SOROR MOESTI FRATRES MOESTIQVE PARENTES
. . . . . . TVM . . . . PARCA NOC . . . . .
ET GEMITV ET PRESSIS TVNDENTES PECTORA PALMIS
CONDIDERVNT TVMVLO . . . . ANTE DIEM

137. Visebatur haec inscriptio in Agro Arretino, Via quae Clusium ducit, procul ab Urbe ad VI lapidem; quam ex Schedis Hieronymi Magii edidit Gruterus pag. MIII. 2. In primo versu, deletis mendis, legendum arbitror, PORCILIAE VESTINAE CANANEFATI. Porciliae familiae meminit vetus inscriptio edita a Fabretto Cap. V. n. 344. ex qua eam celebrem fuisse discimus in Ortana Colonia; nam M. Porcilius Gratus Eques Romanus fuit, Sevir Augustalis, Quatuorvir Quinquennalis, & Praefectus Fabrûm, itemque eiusdem Coloniae Patronus. Cananefas civitas fuit, ac patria Porciliae Vestinae, cuius populi partem insulae Batavorum incolunt, origine, lingua, virtute pares Batavis, auctore Tacito Histor. Libro IV. n. 15. In alio lapide apud Gruter. pag. CCCLXXXV.

1. scri-

I. scriptum est CANANEFATVM ; quare Ursinus apud Tacitum legendum putat *Cananefates*, non *Caninefates*. In secundo versu fortassis supplendum AC PRIMAEVO FLORE IVVENTAE. In octavo QVOD TANTVM POTVIT PARCA NOCERE DOLENT. In ultimo MORS TVLIT ANTE DIEM.

138

IVNIVS. ITVTVS. F

139

EVFROSIAE. ATTICAE

138. In effodiendis Arretinae Arcis fundamentis anno MDI. M. Atilio Alessio teste, qui ea tempestate vivebat, inventi sunt tubi plumbei ad usum aquaeductuum, & columella foetido liquore oppleta, cui pro basi inserviebat ingens vas, in quo caelata erat adlata inscriptio. Pauculas litteras deesse puto, quibus suppletis, scriptum fuisse crederem: IVNIVS RESTITVTVS F. Incompertum mihi est an hic Iunius Restitutus impensa sua fecerit aquaeducti tubos, an vero sepulcralem memoriam.

139. Haec inscriptio desumpta est ex Schedis Petri Bonamici, in quibus haec legitur memoria manu Angeli Romani I. C. *De anno Domini MDXLII. in Villa Marcenae Cortinarum Arretii, a quibusdam rusticis reperta fuit quaedam Urna pulcherrimi coloris, & operis, quam in manibus habui, & in ea inerant cineres, & duae ampullulae vitreae perfractae, & ex una parte anteriori epitaphium hoc, videlicet*, EVFROSIAE ATTICAE. Scriptum potius crederem EVPHRASIAE, sive EVPHROSYNE, quamvis F pro PH non raro sculptum viderim. Dubitari aliqua cum ratione quis poterit an haec fuerit liberta Q. Pomponii Caecilii Attici, qui, teste Cornelio Nepote, praedium in Agro Arretino habuit. *Nullos*, inquit, *habuit hortos, nullam suburbanam, aut maritimam sumptuosam Villam, neque in Italia, praeter Arretinum, & Nomentanum rusticum praedium*. In aliquibus editionibus, & MSS. Codicibus *Ardeatinum* scriptum est, pro *Arretinum*; verum Paulus Manutius in Notis in Cornelium Nepotem,

aucto-

auctoritate etiam Giberti Gifanii *Arretinum*, non *Ardeatinum* legendum esse ostendit. Idem adfirmat Fl. Blondus in Italia; qui ait: *Cornelius vero Nepos in Attici Vita* [*quod ad Arretii dignitatem facit*] *Atticum ipsum dicit praedium in agro Arretino possedisse*. Servat quoque ad hanc diem nomen *Caeciliani*, vulgo *Cicigliano*, quoddam Rus, quod a nobis dicitur Villa, amoenissimo in colle positum, secundo ab Arretio lapide, ubi etiam conspiciuntur quaedam antiquorum aedificiorum vestigia; a quo duobus item milliariis distat Villa Marcenae, ubi inventa fuit Euphrosiae Atticae sepulcralis urna.

Operaepretium me nunc facturum arbitror, remque viris eruditis non iniucundam, si nomina veterum Familiarum, quae apud Arretinos vel municipalibus muneribus, vel armis, vel studiis, vel publicorum operum munificentia aliave de caussa inclaruere, aliquo cum ordine adtexam. Complura alia adferre possemus, si reliqui omnes lapides, qui interciderunt, ad nos pervenissent. Ea igitur ex his quae supersunt, sunt: *Acilia*, *Aelia*, *Aelisia*, *Anicia*, *Aninia*, *Artia*, *Aurelia*, *Ausinia*; *Briatia*; *Cavia*, *Ciartia*, *Cilnia*, *Cincia*, *Claudia*, *Cluvia*, *Crispinia*, *Cocceia*; *Eredia*; *Fabia*, *Flavia*; *Folnia*; *Gavia*; *Helvia*; *Iunia*, *Iulia*; *Laronia*, *Lartia*, *Lucceia*, *Lusia*; *Marcia*, *Murria*; *Paccia*, *Petronia*, *Pomponia*; *Saenia*, *Sargennia*, *Setinia*, *Spurinna*; *Tellia*; *Valeria*, *Vesilia*, *Vettia*, *Ulatia*, *Volasenna*. Quae vero ex obsignatis inscriptionibus in Figlinis erui possunt, sunt, *Anneia*, *Buccia*, *Bougenia*, *Camuria*, *Cornelia*, *Domitia*, *Ettia*, *Farseia*, *Rasinia*, *Sellia*, *Saufeia*, *Terentia*, *Vibia*, *Umbriscia*, ex advenis vero *Porcilia*, *Satria*. His addenda est *Calidia*, quae frequentius nominatur in Figlinarum impressis notis, nec incognita est ex pluribus apud Gruterum editis inscriptionibus, ni tamen cognomen sit. Cornelius Nepos, ut illustre exemplum adferam, in Attici vita laudat L. Iulium Calidum, quem, post Lucretii, Catullique mortem, multo elegantissimum Poetam, virum bonum optimisque artibus eruditum suam tulisse aetatem contendit.

In

In adlatis quoque Figlinarum sigillis quum nominetur *Vibia* familia Arretina, in ea fortassis numerandus est egregius hic civis C. Vibius Celer, Papirius, Rufus, cuius fit mentio, addita Pomptina Tribu, eo modo scripta, in hoc singulari lapide, prope Lacum Circeium invento, quem pretio redemptum a Neapolitano cive, anno MDCCXXVII Argentoratum transferendum curavit quidam Collegii eius Urbis praestantissimus Professor, cuius nomen memoria non teneo, a quo perhumaniter, & aliam sequentem inscriptionem accepi, quae si in ea civitate fuissent, non parvo quidem Neapolitanis esse poterant ornamento. Rem certe eruditis gratam facturus, fortassis primus omnium, eas in lucem profero. In tertio versu sequentis lapidis sculptum MONIANOR, legendum est MONTANORVM. Huiusce Cohortis Primae Montanorum, cui C. Vibius praefuit singularis mentio est; vel una aut altera occurrit in Gruteriano Thesauro pag. DXLIV. 10. in qua legitur P. CAPATIVS MIL. COHO. MONT. PRI. STIP. XXX. Reliqua quae sequuntur non brevi calamo elucidanda essent. Alterum marmor quod sequitur non obscure fortassis indicat Neapoli fuisse Gymnasium, in quo publice iuvenes litteris Graecis, & Latinis instituebantur.

C. VIBIO. C. F. POMP I IN
CILERI. PAPIRIO RVFO
PRAIF COH Ī MONIANOR.
TRIB. COH Ī FLAVIAE HISP.
∞ EQ. PRAEF. ALAE I VLP
SINGVL.
CIRCEIENSES
EX. DD. PP.

D. M

D . M
T. FL. ANTONINO. NEP.
FL. ANTONINI. P. P. FONT.
LITTER. GRAEC. ET. LA
TINIS. QVI. VIX. ANN. XVIIII.
M. II. D. XXII. PARENT. INFELIC.

Duo maxima, & praecipua Etruriae flumina TIBERIS, & ARNVS Arretio vel transitum, vel ortum debent; nam Tiberis, Plinio Lib. III. Cap. 5. & Dionysio Lib. III. teste, ex Apenninis montibus, media fere longitudine, finibus Arretinorum profluit; Arnus vero, Strabone auctore, Lib. V. ab Arretio copiosus delabitur, Florentiam Pisasque perfluens. Longis meatibus fertur Tiberis per CL millia passuum, non procul TIFERNO Perusiaque, & Ocriculo, Etruriam ab Umbris, ac Sabinis dirimens. TIFERNI igitur aliquantulum nunc morari libet, utpote in civitate Arretio finitima, & ad Etruriam, licet Pontificiae ditionis, spectante; quae vulgo *Città di Castello* appellatur. Praeterea C. Aninio Gallo Arretino militi in ea positum fuisse monumentum pag. 300 supra ostendimus; nec pauca adnotabimus, quae eruditis viris haud iniucunda esse possint. A Tiberis propinquitate Tifernum Tiberinum appellatur, cuius meminit Plinius iunior Lib. IV. Epist. 1. atque ut ita differat a Tiferno ad Metaurum, de quo consule Plinium seniorem in Historia Natur. Lib. III. Cap. V. & XIV. itemque Cluverium Ital. ant. Lib. II. Cap. VII. pag. 621. & 624. Plurali numero Tiferna Tiberina dicta fuisse testantur scriptores, ostenditque vetus haec inscriptio edita a Fabretto Cap. III. n. 128. sed non accurate, lineis item confusis, ac perperam distinctis; quae exstat in Opido Montonis Agri Tifernatis, eo advecta ex Plebe S. Gregorii. Vv D. M

D . M
C. IVLIO. C. F. CLV. PROCVLO
TIFERNIS. TIBERINIS.
MIL. COH. VII. PR. >. NEPO
TIS. V. A. XXXVI MIL.
A. XVI. TESTAMENTO
FIERI. IVSSIT. CVRAVIT. FIERI
C. IVLIVS. BARBARVS.
LIB. PATRONO. BENEMERENTI

Quamvis Frontinus non meminerit Tifernorum Tiberinorum nec inter Municipia, nec inter Colonias, id tamen ex hoc lapide, & ex sequentibus non levi argumento evincere possumus. Romanae civitatis iure donata fuisse hinc arguere possumus, quod C. Iulius Proculus in Tribu seu Cluvia, seu Clustumina, seu Cluentia census fuerit, nomenque suum Romanae militiae dederit, annorum sexdecim spatio in Cohorte sexta Praetoria. Municipales certe, & Colonicos Magistratus, nempe Decuriones, Seviros, Pontifices, Senatum, Plebem, splendida quoque aedificia, scilicet balineum habuisse constat ex hoc lapide Tiburtino, quem ex Smetio evulgavit Gruterus pag. CCCCXIV. 5. & Aldus Manutius in Orthographia pag. 102. n. 4. qui apud Tifernates Tiberinos exstat in Foro Maiori iuxta Portam Cathedralis Ecclesiae, in angulo, qua iter ad Ecclesiam S. Sebastiani, & in paucis variat ab editis; quem cum ceteris, quos profero, accurate descripsit patriarum antiquitatum studiosissimus Alexander Certinius, qui & ad me misit cura Cl. Gregorii Redii.


SIBI

SIBI. ET. FIL. SVO. IV.......
IT. EX. H-S. LXV. N. PONI IVSSIT
ET. OB. DEDICATIONEM EARVM
DEC. X. V. VI. VIR. X. III. PLEB. X. II
DARI IVSSIT. ITEM. RELIQVIT
AD. BALINEI. FABRICA. REIPVB
TIF. TIB. H-S. CL. N QÆ EX SEN
TENTIA. AEMILI. FRONTONIS
CL. VIR. POSTEA. DEINDE ARRI
ANTONINI. CL. VIR. REIP. TIF. TIB.
AB CIPELLIS PROFVTVRO. ET. PI
CENTINO HER. ET. AB. ARVNTIA
AMPIANA. HER. ARRVNTI. GRANIA
NI. NVMERATA SVNT. HER. POSVER
L. D. D. D

Agnoſcimus quoque eius ſplendorem, dum Reipublicae nomen praefert. Duorum praeterea clariſſimorum virorum fit mentio in hoc marmore, nempe AEmili Frontonis, qui, ut auguror, fuit Conſul ſub Nerva, de quo Dio, quem Martialis bello, & pace clarum praedicat; deinde Arrii Antonini, bis Conſulis, patris Arriae Fadillae matris Antonini Pii Caeſaris, religione, bonarum artium ſtudio, optimiſque moribus praeclariſſimi; quem Plinius iunior eximiis laudibus commendat Lib. IV. Epiſt. 18. eiuſque Graeca Epigrammata tanti ſe feciſſe teſtatur, ut quaedam aemulari Latine & exprimere ipſe tentarit; quare Lib. V. Epiſt. 10. eum hortatur ut quamplurima proferat, quae imitari omnes concupiſcant, nemo aut pauciſſimi poſſint. Multorum Imperatorum, ac Principum in hoc

Municipio fuiſse poſitas ſtatuas publico in loco non obſcure his verbis ſignificat idem Plinius Lib. X. Epiſt. XXIV. ad Traianum Imperatorem: *Quum divus pater tuus, Domine, & oratione pulcherrima, & honeſtiſſimo exemplo omneis cives ad munificentiam eſset cohortatus, petii ab eo, ut ſtatuas Principum, quos in longinquis agris, per plures ſucceſſiones traditas mihi, qualeis acceperam, cuſtodiebam, permitteret* IN MVNICIPIVM *transferre, addita ſua ſtatua; quodque ille mihi cum pleniſſimo teſtimonio indulſerat, ego ſtatim* DECVRIONIBVS *ſcripſeram, ut adſignarent ſolum, in quo templum pecunia mea exſtrueretur*. Longe ab hoc Municipio fuiſſe Plinii agros inferius videbimus.

Tifernates devoti numini maieſtatique Domus Auguſtae ara atque ſtatua, uti ex hac inſcriptione intelligi poteſt, perpetuae poſterorum memoriae commendarunt Fauſtinam T. AElii Hadriani Antonini Imperatoris Auguſti filiam, M. Aurelii Caeſaris uxorem. Haec exſtabat in inferiori Xyſto Eccleſiae Cathedralis S. Floridi; quam vulgavit Manutius in Orthogr. p. 366. & Gruterus p. CCLX. 6. ſed ſine loco.



Druſi Caeſaris fit mentio in ſequenti Tegula, quae cum

cum altera, in qua C. Fannii nomen impressum est, inventa fuit paucis ab hinc annis in praedio Castelli Leonis, quo in loco duo sepulcra detecta sunt, atque in ipsis praedictae tegulae, latitudine unum pedem non excedentes, crassitudinis vero fere trium unciarum; quibus Ill. Baverius Gubernator Tifernatium Civitatis patrium Museum suum Seniense ornari voluit.

DRVSVS CAESAR

C. FANN.

Fuit etiam apud Tifernates Tiberinos Templum Veneri Victrici dedicatum a L. Arronio Amando Sexviro Augustali, solo privato, sua pecunia factum; cuius meminit ingens hoc marmor in parva Platea adhuc exstans ante Sacrum Montem Pietatis; cuius Templi vestigia adhuc cernuntur prope moenia Civitatis, non longe a Tiberino fluvio, extra portam S. Floridi, quod haec habet.

VENERI VICTRICI
L. ARRONIVS. AMANDVS
VI. VIR. AVG.
SOLO. PRIVATO. S. P. F

Isidis, sive Cereris cognomen *Frugiferae* assumptum a Lutatia L. Lutatii Salviani uxore notare libet in sequenti Titulo

Titulo, qui exſtat in Xyſto inferiori Cathedralis S. Floridi. Alter vero exſtat apud praelaudatum Alexandrum Certinium.

D . M
LVTATIAE . FRVGI
ſic FERE . SANCTISSIME
FEMINE . QVE . VIXIT
CVM . MARITO SVO . SINE
VLLA . QVERELLA . ANN . XXX
M . V . L . LVTATIVS . SALVIANVS

DIIS . MANIBVS
VRSILIAE . EPAPH
RODITVS . FRATER
SORORI . AMANTIS
SIME . BENE
MERENTI . FECIT .
VIXIT . ANNIS
XXVII

Apud eumdem Certinium & hae quoque aliae Inſcriptiones reperiuntur.

D . M
C. CAESIDI SABINI
Q. CAESIDIVS SEVERVS
FRATRI . ET . L . CAESIDIVS
SABINIANVS PATRI
PIISSIMO

CAELIA OPTATA
AN . XXX
CASSIA . IVCVN

N . . . .
. . . . . ERRICI

Quarto ab Tifernis Tiberinis lapide ubi fuit Eccleſia S. Cypriano dicata, hodie paene labefactata, memoriae proditum eſt fuiſſe Templum Mercurio ſacrum; cuius antiquitatem, & aedificii ſplendorem parietinarum rudera & hodie oſtendunt. *Sabini* cognomen occurrit etiam aſſumptum a viris Tiferniae familiae, quae ab ipſo Municipio, ſive a Colonia Tifernatium Tiberinorum appellari voluit, uti indicat

cat hic lapis, qui visitur in Platea Maiore prope portam Ecclesiae inferioris, fortassis *Confessionis*, Cathedralis S. Floridi. Alter vero, qui sequitur, scriptus est in gradu Altaris Plebis S. Iohannis Baptistae, vulgo *di Comunaglia*.

C. TIFERNVS
C. F. CLV.
SABINVS
VIXIT. ANNIS
XV

I I V I G.
ADIVTORI
POSTINIAE
MYRTALE
PIRAMVS. FIL
P. B. M

In Ecclesia S. Mariae Camaldulensium Montis Migiani sequens inscriptio legitur, fugientibus litteris. Altera vero in exteriori pariete Domus DD. Albeziniorum, e regione Portae Ecclesiae Monialium S. Ioseph.


. . . .
FLORENTINVS. DIIS . . . PAG
LIS . . . II . . . VOT . . . SOL

P. ANNIVS
P. L. BASSVS

In suburbanis extra Portam Romanam in Ecclesia S. Iohannis Equitum Hierosolymitanorum exstat sepulcrum, quod hodie Urnae Aquae lustralis inservit. Altera vero inscriptio, quae eidem coniuncta est, cernitur in anteriori facie Ecclesiae Paraecialis S. Fortunati in Platea, quae Vitelliorum dicitur. Principes Tifernates Familias colligo, *Aciliam*, *Anniam*, *Arruntiam*, *Arroniam*, *Caeliam*, *Caesidiam*, *Fanniam*, *Iuliam*, *Lutatiam*, *Postiniam*, *Tiferniam*, *Ursiliam*.


AR-

ARRVNTIAE
EVTYCHIDI
CERTVS. F.
EVTICHIS. VT. PAR EST SVSTVLI
TIBI. NATVS. BACCHIDES
IVXTA. QVEM · DVLCITER. . . .
TIBI. FATA. MARITVM
S. T. T. L.



Hanc aram indicavit Cluverius Italiae antiquae Lib. II. Cap. VII. p. 624. atque a Grutero editam p. CCCXLIV. 6. ut ostenderet Tifernum Tiberinum fuisse Municipium.

Curatorem Kalendarii Tifernatium Metaurensium ex hac basi inedita profero, quae exstat Sestini, quà ad Etruriam nostram pertinet, apud primariam Ecclesiam S. Pancratii.




An haec basis, cui statua in honorem L. Dentusii Proculini superposita fuit, & solemni ritu dedicata, ab Tifernatibus translata fuerit ad Sestinates minime audeam adfirmare. Ex pluribus aliis inscriptionibus, quae Sestini visuntur, & quidem consimilibus, ex lapide, qui a nobis dicitur *macigno*, verisimillimum est a Sestinatibus, non a Tifernatibus dedicatam fuisse L. Dentusio Proculino, qui primum quidem fuit Curator Kalendarii Tifernatium, verum postea datus fuit Sestinatibus ab Imperatoribus Severo, & Antonino Augustis, ut apud eos AEdilis esset, itemque Quatuorvir, Flamen, & Augur; quem sibi patronum co-

optavit Collegium Centonariorum Sestinatium. Liquet etiam apud hos Umbriae populos, quos memorat Plinius Lib. III. Cap. XIV. fuisse Collegium Augustalium, cuius Seviri Augustales & Plebs Urbana eidem Dentusio Patrono ob plura eius merita statuam cum base his titulis ornatam dedicarunt in loco dato decreto Decurionum; cuius dedicatione ipse L. Dentusius [DECR. fortassis scriptum DECVR ut intelligendi sint DECVRIONES primum locum in divisionibus tum denariorum, tum panis, & vini locum habuisse] Seviris denaria tria, ni aliter ut dixi legendum sit, Plebi vero denaria duo, addita panis, & vini largitione dedit. Ex quibus omnibus colligere possumus haud obscurum & ignobile Umbriae oppidum fuisse Sestinum, quod Caesarum Augustorum Severi, & Antonini curam meruerit, cui ab iisdem Imperatoribus talis vir datus fuerit. Age vero liceat mihi aliquantulum iuxta fines Etruriae vagari, ut huius loci dignitatem splendoremque ostendam ex aliis antiquis monumentis, quae ad hoc tempus exstant apud Sestinates, verum literis adeo evanidis, ac fugientibus, ut brevi an inscripta fuerint vix intelligi possit. Plurimum me virorum doctorum movit auctoritas ut has inscriptiones proferrem, atque his potissimum de causis, quod, una tantum excepta, reliquae omnes ineditae sint; quod lapides temporum iniuria non parum labefactati sint, adeo ut eorum tituli ex lapidibus actutum fugere possint sub dio existentes; ad haec etiam quod non adeo celebris, & frequens sit apud auctores Sestinatium memoria. Cluverius Italiae antiquae Libro II. Cap. VI. pag. 622. perpauca de his notat; affert tamen Romanum lapidem a Grutero editum pag. CVIII. n. 7. in quo plures milites descripti sunt, additis patriis urbibus; inter quos est L. VOLCEIVS. SEVERVS, patria SESTINO; neque enim, ut aliqui fecerunt, scribendum est SEXTINO.

Alium Patronum eiusdem Collegii Centonariorum Sestinatium nempe L. Astricium Vitulum subiicio ex marmorea basi, quae hodie in platea Plebis Sestini conspicitur,


ac


ac procul dubio olim ſuppoſita ſtatuae dedicatae in honorem eiuſdem L. Aſtricii Vituli. Ea igitur haec continet.




Nonnullis in locis has inſcriptiones vel ſupplevi vel emendavi ex Schedis doctiſsimi Petri Victorii, qui has Seſtinates inſcriptiones per epiſtolam communicavit cum praeclariſsimo viro Fulvio Urſino, cuius apographum penes me eſt ex MS. Bibliothecae Nobb. Victoriorum Romae, quod per plures menſes in manus habui ex incredibili in me humanitate Illuſtriſsimi Viri Franciſci Equitis Victorii, de cuius eruditione, & virtute plura vel ipſo ſilentio dicam. Perſpicuum quoque eſt Seſtinates in primis ab Imperatoribus Hadriano, Antonino Pio, & M. Aurelio Antonino

multis auctos fuisse beneficiis, quorum ipsi memores, devoti numini maiestatique eorum, statuas cum his marmoreis basibus publice in sua Republica dedicarunt.


DIVO
ANTONINO
AVG. PIO
ALIMENTARI


IMP. CAESARI
DIVI. ANTONINI
PII. FIL. DIVI. HADRIA
NI. NEP. DIVI. TRAIA
NI. PARTHICI. PRON.
DIVI. NERVAE. ABNEP.
M. AVRELIO. ANTONI
NO. AVG. PONT. MAX.
TRIB. POT. XVI. COS. III
D. D

Marmoris Fragmentum insertum in pariete ostii Carceris publici.


--AESAR DIVI TRAIA---
NERV--- NEP-----
HADRIANVS AVG----

ALIMENTARI, nempe, ut in aliis inscriptionibus scriptum est, Pueri, & Puellae alimentarii dedicarunt aram; &, ut mea


mea fert opinio, statuam Divo Antonino Augusto Pio. Fuerunt, ut notat vir pereximius Philippus Rubenius Electorum Lib. II. Cap. XXXVI. pueri puellaeque tenuiores, eisque cum alendis, tum erudiendis annui reditus, vel ex aerario fiscove, vel e privatorum donis, & legatis adsignati; idque partim misericordiae caussa, partim in honorem & cultum Augustorum Augustarumve. Hoc honore non caruisse Civitates adfirmat Paulus I. C. Lib. I. de Legatis, a Rubenio transcriptus. Ita Comensi Municipio quingenta milia nummum dedit Plinius Caecilius, ut ex reditu pueris puellisque ingenuis alimenta darentur, ut ipsemet testatur Epist. 18. Lib. VII. & 8. Lib. I. idque etiam ostendit antiqua tabula eius nomine inscripta, quam vide penes Gruterum pag. MXXVIII. 5. Pueros igitur Puellasque alimentares institutas fuisse apud Sestinates in honorem Antonini Pii Caesaris, iam in Deorum numerum, ut stulte credebant, recepti, indicat haec ara, profecto non aliunde apud eos advecta; quam idem Rubenius ibidem edidit, verum non indicato loco ubi exstet. Puellae ab Augustarum nomine appellabantur; hinc *Faustinianae* in honorem Faustinae institutae, quarum Capitolinus meminit in Antonino Pio, & in M. Antonino Philosopho. Eodem modo & *Mammaeanae* in honorem Mammaeae Augustae institutae ab Imperatore Alexandro Severo, eodem Capitolino teste in eius vita; qui etiam narrat Pueros ab eius nomine *Mammaeanos* dictos fuisse. Ita etiam Puellae Puerique in honorem Traiani instituti *Ulpiani* nomen retulerunt; quare in hac ara nullum discrimen sexus observare possumus, contra Rubenii sententiam, adeout Pueri Augustorum, Puellae Augustarum nomen referrent.

Sestinates devotos fuisse C. Vibio Treboniano Gallo; post Decii eiusque filii Q. Herennii necem ad imperii fastigium evecto, & Constantio Imperatoribus, ostendunt arae in honorem eorumdem positae. Idem Gallus cum Volusiano filio, ad imperium adscito, profectus contra AEmilianum, interempti sunt anno imperii secundo.

In

In atrio Palatii Archipresbyteralis.

In Horto Palatii Archipresbyteralis, basis rudis ex Tiburtino.



Singularia illa O. M. S fortassis ita interpretanda sunt, *Ordo Municipii Sestinatium*. Idem adfirmo in sequenti ara, quae est in honorem L. Tullii Veri, patria Vettonensis, Equi. Publici, Laurentis Lavinatis, Curatoris R. P. S. ut interpretor, *Curatoris Reipublicae Sestinatium*; quas interpretationes a veritate, ut mea fert opinio, non alienas, si admittant docti viri, habemus Sestinum & Municipii, & Reipublicae appellationem praetulisse. Neque vero raro Municipiorum nomina per principem litteram in vetustis saxis exprimuntur; paucis hisce exemplis contentus sit Lector.


D . M
C. CAESI C. L
CHRESIMI
VI. VIR. AVG
PATRON COLL
CENTONAR. M. S
TINGETANA. LIB

D . M
L. VAFRI
NICEPHORI
MEDICO. PA
TRON. C. C. M. S
FLAVIA PIERIS
MARITO. OPTVMO
ET SIBI VIVA
POSVIT

Quae

Quae arae cum iuventae fuerint apud Saſſinam, ideo Philippus Antoninus in Antiquitatibus Saſſinatibus pag. 35. recte explicat C. C. M. S. *Collegii Centonariorum Municipii Saſſinatium*. Eodem modo & ego cum ſuperius editae arae Seſtini inventae fuerint, & apud eos hodie exiſtant, ea ſingularia O. M. S. interpretanda eſſe cenſeo *Ordo Municipii Seſtinatium*. En igitur quantae dignitatis laudiſque ſit hoc Municipium ope horum vetuſtorum lapidum, quos hoc in loco primus omnium proferre volui ut meis lucubrationibus nonnihil ſplendoris ei adderem, cum vidiſſem paucis memoratum illuſtratumque fuiſſe a Cluverio in ſua Italia antiqua. Sed en praelaudata ara in honorem L. Tullii Veri Curatoris Reipublicae Seſtinatium.

In agro Eccleſiae Cathedralis ex lapide Tiburtino. — *In Vinea Comitis Carpinei iuxta Eccl. Cathedr. ex lapide.*



L. TVLLIO. L. F
CLV. VERO
VETTONENSI
EQ.PVB. LAV. LAV.
CVRAT. R. P. S
PATRONO SEX
. . . .

D . M
P. AELI. P. F. CLV
APRI. AED. Q....
IVRI DIC. EQVO. P
VOLVSENA. C. F.
AVGVRINA
CONIVGI OPTIMO

Alium Curatorem eiuſdem Reipublicae habes in ſequenti Tabula, quae nunc iacet ſub Ara maiori eiuſdem Cathedralis Eccleſiae S. Pancratii, quam edidit Gruterus pag.

pag. MXVIII. 8. ex Schedis Fulvii Ursini, multis mendis corruptam, non tamen inter spurias reiecit.

VOTIVITATE ET TOTA MENTE D
EVOTA GENIVM CVRIAE DEDI
CATVM IN ISTATVAM IN
CVRIA . AVG . POSITVM PERPE
sic TVE LVCIS POSVIT ADME
NESTRATIONIS SVAE VE
SENVS FRONTINIANVS
CVRATOR R P HVIVSCE PAT
sic RIAE POSITA SVB DIAE XIIX
OCTOBRIS POST CONSVLATV
D N GRATIANI AVGVSTI III ET EQ
VITIO C CONSVLIBVS

Hunc annum ab U. C. 1127. Christianae vero AErae 375. in quo scribebat Epiphanius denominare volens, non a Consulibus, qui non erant, sed ab imperio Imperatorum describit Lib. II. adversus Haereses, ut notat Relandus in Fastis Consularibus pag. 451. qui & hunc lapidem citat. Indicatur igitur in hoc lapide tempus, quo Vesenus Frontinianus Curator Reipublicae Sestinatium statuam, ut voverat, in Curia eiusdem Reipublicae dedicavit, eaque ibidem solemni consecratione posita fuerit, egregium eius initae administrationis monumentum. Signum Genii Centuriae factum cum aede marmoribus exornata occurrit in veteri inscriptione apud Fabrettum Cap. IV. n. 514. Artifices qui Genios ex quavis materia conficiebant *Geniarii* dicebantur, & memorantur in vetustis saxis.

In

In Vinea PP. S. Augustini iuxta puteum.

PERTINA
CEN C
CVR.... E
POSITE SVB
C. CAESIO
APRO... ET... Q
VETENNI
O VICTORE
MAG. VIC

Apud D. Vincentium Loppium, qui etiam accurate hos lapides descripsit.

D M
MESTRIAE SATVRN
INE. SIVE. MARCIAE
C. CAESIVS. APER
MATRI. PIENTISSI
ME. BENEMEREN


In base superne perforata, quae in Platea visitur.

D . M
PEDESIAE. L. F. IVS
TINE. VIXIT ANN
OS. XXVII. MENSE
VNO. DIES. XXVI.
P. VOCONIVS. EVTY
CHES. CONIVGI
SANCTISSIME. ET P.
VOCONIVS· VALERIAN
VS MATRI. PIENTISSIM

In angulo Cathedralis Ecclesiae S. Pancratii.


C. PVBLICI
IVLIANI
VIXIT ANNIS
XXII. FILIO
PIENTISSI
MO
C. PVBLICIVS A. F
PATER INFELI
CISSIMVS

Basis posita ante eandem Ecclesiam Cathedralem, superne tribus foraminibus perforata.



ANTEIAE
L. F. PROCVLAE
MACEDONIS
T. VOLVSENVS
MACEDO VXORI

Vide Fabrettum pag. 57. n. 316.




C. VOLVSENO
L. F. ------- IVSTO
AEDILI . QVAEST.
SESTINI
DECVR. ARIM:
TITINIA. M. F. IVSTA
MATER. L. D. D. D

Ex

Ex his duabus inscriptionibus, & ex altera superius allata pag. 351. perspicue liquet Volusenam familiam municipalibus honoribus claram fuisse Sestini. Altera vero inscriptio, de qua Lector monendus est, Arimini hodie exstat, teste eximio viro Iohanne Baptista Donio in Inscriptionibus antiquis a me editis Classe V. n. 47. ex qua intelligimus C. Volusenum Iustum fuisse AEdilem Quaestorem Sestini, & Decurionem Arimini. Sed ut revertar ad Tifernates Tiberinos, de quibus supra, est etiam non in exigua laude ponendum quod ipsi adhuc puerum Patronum sibi cooptarunt Plinium iuniorem doctissimum virum; quibus ut referret gratiam, Templum pecunia sua extruxit, cuius testimonium non piget adferre; ita enim L. Calpurnio Fabato Prosocero suo scribit in Epistola I. Lib. IV. *Erit una sed brevis mora: deflectemus in TVSCOS, non ut agros remque familiarem oculis subiiciamus (id enim postponi potest) sed ut fungamur necessario officio. Oppidum est praediis nostris vicinum, nomen TIFERNVM TIBERINVM, quod me paene adhuc puerum cooptavit: tanto maiore studio quanto minore iudicio adventus meos celebrat, profectionibus angitur, honoribus gaudet. In hoc ergo ut referrem gratiam (nam vinci in amore turpissimum est) TEMPLVM pecunia mea exstruxi, cuius DEDICATIONEM, cum sit paratum, differre longius irreligiosum est. Erimus ergo ibi DEDICATIONIS DIE, quem etiam EPVLO celebrare constitui.* Amicitiam, & praesidium clarissimorum virorum AEmilii Frontonis, & Arrii Antonini curatum Tifernatibus Tiberinis fuisse puto ab eodem Plinio, qui, ut diximus, eorum Patronus fuit.

Dum haec sub prelo sunt, dandus fuit locus huic marmoreae Tabulae fragmento, quod inventum hoc anno MDCCXXX. terra obrutum, in pariete Ecclesiae S. Illuminati, dum silicibus iterum via sterneretur, mecum statim communicavit veterum monumentorum apprime studiosus praelaudatus Alexander Certinius.



Quae igitur in eo ſuperſunt ita interpretanda ſunt , ut arbitror . *Caeſari Ordo Civium Tifernatium Tiberinorum*, *Devotus* vel *Devoti Numini Maieſtatique Eius* ; quae ſingularia in pluribus lapidibus votivis in honorem Caeſarum occurrunt in Gruteriano Theſauro.

Tiberis, ab ortu ſolis, navium patiens, ſecabat agros Plinii Iunioris, qui *Tuſci* nominabantur, quos ipſe laudat elegantiſſima deſcriptione in Lib. V. Epiſtola VI. ad Domitium Apollinarem . Non vacat ea plures hic paginas implere, ad quam priſcarum lautitiarum cupidos lectores remittimus. Tuſci agri Apennino ſaluberrimo montium ſubiacebant . Villa eiuſdem Plinii longe ſplendidiſſima , & magnificentiſſima in colle imo ſita , ambituſque propemodum immenſi , proſpectantium ex ea regionis ſitum pulchritudine , & varietate oculos mirifice reficiebat , implebatque omnium ; in qua toto anni tempore ſumma cum voluptate verſari quis poterat . A tergo Apenninum , ſed longius habebat , a quo auras accipiebat , non tamen acres, & immodicas, ſed ſpatio ipſo laſſas, & infractas , quaeque magna ſui parte meridiem ſpectabat . Ad eam plura certatim invitabant , ampla porticus , & pro modo longa ; atrium etiam ex more veterum ante porticum ; xyſtus conciſus in plurimas ſpecies diſtinctuſque buxo , demiſsus inde , pronuſque pulvinus , cui beſtiarum effigies invicem adverſas buxus opere topiario inſcripſit ; ambulatio , geſtatio in modum Circi , prata , campi , arbuſta , triclinium , hippodromi nemus , areolae , marmoreo e labro aqua exundans,

dans, dormitorium cubiculum aliudque cubiculum, & cenationes inter umbrofas, ac virides platanos fubdito fonticulo, mifcentibus iucundiffimum murmur plurimis fiphunculis circa fontis craterem; pifcina ftrepitu vifuque iucunda, hypocaufton, balinei apodyterium, cella frigidaria, in qua baptifterium amplum, & opacum; apodyterio fuperpofitum fphaerifterium, cryptoporticus, diaetae, vineae, montes; achanti, laurus, hederae platanos veftientes, cupresforum ambitus, denfiores umbrae, rofae, umbrarum frigus, pomaria, viridaria, vites, filvae, planiffimi campi, nullum ufquam, etiam fi quaeratur, facile faxum occurrens, prata florida, & gemmea, trifolium, aliafque herbas teneras femper & molles, & quafi novas alentia; mitiffimus aer, & faluberrimus, nil denique in ea non iucundum, pulchrum, amoenum. Tufcos igitur ceteris Villis fuis Tufculanis, Tiburtinis, Praeneftinis merito praeponebat Plinius, quod ibi animo, ibi corpore maxime valeret; ftudiis animum, venatu corpus exerceret; placida ibi omnia efsent, & quiefcentia; altius ibi otium, & pinguius, eoque fecurius, ubi nulla neceffitas togae, nemo accerfitor e proximo.

Tufcos igitur Plinii agros, & praedia, nomen habuifse a folo, in quo condita funt, idque nunc efse oppidum, quod vulgo appellatur *Borgo di S. Sepolcro*, Epifcopali fede ornatum a Leone X. anno MDXX. millia VIII infra Tifernum, in eadem ripa pofitum, oftendit Cluverius Italiae antiquae Lib. II. Cap. III. pag. 589. 590. mille vero ferme pafsus a laeva Tiberis ripa abeft, in lata, eaque pulcherrima, & amoeniffima maximeque frugifera planitie, quam montes velut amphitheatrum quoddam immenfum cingunt, humili clivo impofitum. Fuere quidam Geographi, qui id oppidum Burgi ad S. Sepulcrum *Biturigiam* interpretati funt, cuius meminit Ptolemaeus; fed eos erroris arguit idem Cluverius pag. 570. alio *Biturigiam* conftitutam fuifse oftendens. Vide & Blondum Lib. III. Cap. II. Ital. ill. Miror Thomae Dempftero, qui de hac Urbe fcribit

bit Lib. VI. Cap. VI. de Etruria regali, haec excidisse.
Proferam nunc vetustos lapides, qui in hac Civitate Etruriae exstant, ni tamen paucis ab hinc annis interciderint.

1 *In Palatio Episcopi.*

D . M
Q. VOLCACIO. Q. F.
CELERI. MILITI
COH. VIIII. PR.
BENEFICIARIO
TRIBVNI.). ATTICI
MILITAVIT. ANNIS. VII.
VIXIT. ANNIS. XXV.

2 *In Villa D. Baiulivi Pichi.*

D . M
GRATAE
CONIVGI
OPTIMAE
C. CAESIVS
CALLINICVS

1. Decimo octavo aetatis anno militiae adscriptum fuisse constat ex hoc lapide Q. Volcacium Celerem, qui septem annis militavit in Cohorte Nona Praetoria, fuitque Beneficiarius Tribuni Centuriae Attici. Beneficiarius Tribuni, ut legitur apud Iulium Caesarem Lib. I. Belli Civilis, custodiae causa apud Tribunum stabat; eique, ubi opus esset, praesidio & ministerio erat; neque enim ignobiles, aut imperitos milites fuisse Beneficiarios compertum est. Id ostendit Plinius in Epistola ad Traianum Caesarem Lib. X. in qua de numero militum agit Gabio Basso Praefecto orae Ponticae adsignatorum: *Quantum perspicere potui, vir egregius, & indulgentia tua dignus; cui ego notum feci praecepisse te, ut ex Cohortibus quibus me praeesse voluisti, contentus esset BENEFICIARIIS decem, Equitibus duobus, Centurione uno.* Beneficiariis honorariores erant *Principales Beneficiarii* Tribunorum; quorum fit mentio in veteri lapide apud Fabrettum Cap. III. n. 114. Neque vero opinionem aliquorum adprobare possum, qui ex eo Beneficiarios dictos fuisse

isse putant, quod missione honesta donati agrorum annuorumque stipendiorum munere, ac beneficio affecti essent. Nam certissimum est milites militia dimissos non fuisse nisi vicena stipendia emeritos. At hic Q. Volcacius militasse scribitur annis septem, mortemque obiisse aetatis suae anno vicesimo quinto. Beneficiarios dictos fuisse ea de causa crederem quod Tribunorum beneficio ad maiorum officiorum gradus in militia promoverentur. Hinc C. Lucilius Vindex in inscriptione allata a Grutero pag. DLI. 3. & a Fabretto loco suprascripto, ex Principali Beneficiario Tribuni, factus deinde est Optio in Centuria Cohortis Sextae Praetoriae. Burgensem hunc lapidem aliquibus respersum mendis edidit Gruterus pag. DLXIX. 13. & Fabrettus Cap. III. pag. 139. n. 141. ego vero ex Schedis Bibliothecae Vaticanae in Donianis Collectaneis.

In eadem Civitate.

3

D I S . M
Q. HORTENSIVS . ASCLEPIADES
FECIT . SIBI . ET
TERENTIAE . ANNOR . L
REQVIETORIVM
A. B. F. S. S. S. IN. FR. P. X IN
AGR. PED. V.

3. Hanc quoque inscriptionem profero ex Donianis Collectaneis, quam Aldus Manutius exscripsit. Sexta linea ita

ita forte interpretanda eſt, *Amicae benemerenti fecit ſupraſcriptum Sepulcrum*. &c. REQVIETORIVM Gr. ἀναπαυςήριον. Sepulcrum in quo defunctorum corpora, vel cineres requieſcunt, Chriſtiani dixere κοιμητήριον, *Dormitorium*. Non parum depravatam edidit Gruterus pag. DCCCLXXXIII. 4. & Iac. Gutherius de Iure Manium pag. 282. quem vide.

Ibidem.

4

D . M . S
MARCIAE . QVINCTIAE
VIX . AN . XXVI
CONIVGI . OBSEQVENTISS
PIISSIMAE
SEX. GAVIVS. SEX. F. POMP
ARRIVS
FECIT. SIBI. ET. S. LIB.
IN. FR. P. XII. IN. AG. P. XVI

4. Edita & haec inſcriptio in Gruteriano Theſauro pag. DCCCV. 9. Sextus Gavius Arrius Pomtina Tribu Arretinorum civitatis iure, & ſuffragio donatus, de quo ſuperius aliqua diſseruimus. Huic Civitati claritatem ſplendoremque dederunt ſancti viri Arcanus, & AEgidius celebres Anacoretae, qui locum antiquitus nemoroſum, & ſolitarium frequentarunt. Ex ea illuſtres Viri prodiere Antonius Maria Gratianus, Dionyſius Theologus, Lucas Paciolus aliique.

IN-

INSCRIPTIONES
ANTIQUAE
CORTONAE.

In Ecclesia S. Domnini Vallis Proelii, ad Thrasimenum, vulgo Val di Pierle*, prope Cortonam, ad tria milliaria.*

M. SERTORIVS M. F
ST...; VERECVNDVS
CORTONA
M. COH. PR. ⟩. ANNI
VIXIT ANNIS XXI
MILITAVIT. ANNIS. V.
EX. T. F. I

INter omnes non modo Etruriae, verum etiam Italiae Urbes, quae olim imperio, & potentia maxime illustres, famaque celebres fuere, praecipuum certe locum habet CORTONA vetustissima, & nobilissima, quam hisce lucubrationibus illustrandam suscipimus; quae licet omni clade belli vastata secundo bello Punico ab Hannibale, posteriorique aevo ferro, & flamma exscisa barbararum nationum undequaque grassantium immanitate, perpauca hoc tempore ostendere possit veteris splendoris, & magnificentiae monumenta; tamen celeberrimorum auctorum scriptis, quae nulla potuit delere vetustas, adeo ce-

lebris est, ut nemo sit qui ignoret quantam priscis temporibus, imperio, dignitate, magnitudine, populorum frequentia, armorum virorumque praeclarissimorum gloria, aeterni nominis claritatem sit consecuta. Constat enim Dionysii Halicarnassei, Livii, Polybii aliorumque scriptorum testimoniis longe ante conditam Romam, & ante Troianum bellum aedificatam fuisse, totiusque mox Etruriae caput cum Perusia, & Arretio constitutam fuisse, in qua sedem suam Tyrrhenorum potentissimi duces posuere, arcemque in ea munitissimam habuere. Excelso colli imposita est supra Thrasimenum lacum, a quo quinque millibus passuum distat, inter Perusiam, & Arretium. Latini CORTONAM dixere, uti ex Plinio aliisque constat, & ex militaribus saxis, e quorum numero superius adlatum, hactenus ineditum; factumque hoc nomen nonnulli putant, corrupto vocabulo, a *Corytho*, quo antea vocabatur, saepius a Virgilio memorato, & a Silio Italico, qui & utrumque usurpat. Romanorum Imperio cessit cum ceteris Etruriae civitatibus ante secundum bellum Punicum, iisdemque opem tulit adversus Hannibalem infensissimum Romani nominis hostem. Cortonenses in civitatem a Romanis accepti STELLATINA Tribu censi sunt, uti relatum marmor praeter alia diserte testatur; quae Tribus una ex Rusticis fuit, ab agro Stellate in Etruria ita appellata, quemadmodum Festus, & Livius Lib. VI. memorant, anno Urbis conditae CCCLXIX. simul cum Arniensi, vel Arnina Tribu. Sed de patriis antiquitatibus quum accuratius, ut arbitror, ipsi cives differere possint, audiendus Vir ex Equestri Ordine Divi Stephani splendidissimus Nicolaus Marcellus Venuti, Patricius Cortonensis, eruditioni, & rerum antiquarum studio impense deditus, qui in Epistola sua de his luculenter scripsit, quam mecum humanissime communicavit, eamque splendore, & gloria nominis Viri praeclarissimi exornavit, quam in lucem profero.

RE-

REVERENDISSIMO PATRI MAG.

F. SALVATORI ASCANIO ORD. PRAED.

Catholici Hispaniarum Regis apud Magnum Etruriae Ducem Ablegato, atque Academiae Cortonensis, quae ETRUSCA dicitur LUCUMONI

N. MARCELLUS VENUTUS

S. P. D.



IU Multumque, fateor, PATER REVERENDISSIME, anceps animo fui an Tibi summis curis maximisque negotiis quotidie distento literas darem; sed ut id facerem peregregia singularisque humanitas tua, qua me meosque semper complexus es, non levibus rationum momentis adhortata est, atque ut ita dicam tandem impulit multa cum voluptate. Neminem enim habere me sentio hoc tempore faciliorem Te, studiorumque nostrorum amantiorem, qui libentissime veterum erudita monumenta probas, atque existimas, & ACADEMIAE ETRUSCAE decus, eiusdem LUCUMONIS (ut vocant) perbenigne accepta dignitate, in dies clarissimo tuo nomine summopere auges, atque exornas. De CORTONAE igitur nostrae antiquitate, ortu, ac fortuna non nisi ad te scribendum existimavi, quod tibi si non grave, nobis quidem iucundum erit, pro nostro in Patriam amore, & fortasse etiam utile, circa ea Te aliquantisper detinere. Tantas profecto ab ipsis incunabulis fuisse res nostras memoriae proditum est, ut nullam Italiae Urbem antiquioribus, & luculentioribus testimoniis supra ceteras vetustatem suam probare posse asseramus.

 Cor-

Cortonam antiquum *Corythum* censent eruditi; quem Virgilius saepe numero in AEneide aeternis carminibus non solum antiquissimum, verum etiam ante Troiae aedificationem stetisse, ac floruisse memoriae mandavit. Dardanum enim ex Corytho Etruriae prodiisse cecinit Lib. VII. v. 207.

Dardanus Idaeas Phrygiae penetrarit ad urbes
Threiciamque Samum, quae nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Corythi Tyrrhena a sede profectum.

Neque difficile erit ostendere eandem urbem esse Corythum, atque Cortonam testimonio Silii Italici libro octavo, qui Cortonam domum Tarchontis, & alibi eam nomine Corythi vocatam inter Arretium, & Clusium ponit; quidquid contra dicat Franciscus Marianus, homo deploratissimae causae vindex, innixus simplici unius auctoris coniecturae, qui vellet utroque Silii in loco lectionem pervertere, quum omnes quotquot sunt antiquissimi codices *Corythum* habeant; & Cortonam *Corythum* fuisse clarissimi viri Philippus Cluverius, Ferrarius Alexandrinus, Baudrandus, Senator Bonarota, omnesque sanae mentis, additis quamplurimis Virgilii enarratoribus in hanc rem calculum ferentibus.

Hoc autem insigne nomen a Corytho Etruriae Rege, atque Dardani aedificatoris parente habuit, ut ait Servius, ad Virgilii locum AEneidos Lib. III. v. 167.

Hae nobis propriae sedes, hinc Dardanus ortus,
Iasiusque Pater, genus a quo principe nostrum.
Surge age, & haec laetus longaevo dicta parenti
Haud dubitanda refer: Corythum, terrasque require
Ausonias ————

Ferrarius Alexandrinus vult Cortonam a Corytho Etruriae Rege vocatam Corythum, quasi Corythonam, & inde Crotonam affini vocabulo, a Graecis; iis enim familiare fuit R literam ante, ac post subiectam vocalem promiscue collocare. Unde nil mirum, si Crotonam, & inde Cortonam postmodum dixerunt, ut ait Dionysius Halicarnassensis.

Sed operae pretium est animadvertere quot quantique nominis auctores de Cortona verba fecerint; & primo postquam

postquam antiquiorem ipsa Troia audivimus Urbem nostram, antiquissimus Historicorum Herodotus, qui vixit circa Olympiadem 84. narrans Pelasgorum in Italiam Etruriamque profectionem, multas aetates ante bellum Troianum, Cortonae in Urbe florentissima sedes eos posuisse testatur, atque ibidem adversus Umbros munitionem statuisse; quare suo adhuc aevo Cortonenses lingua Pelasgica, atque a ceteris Etruriae pagis dissimili usos fuisse testatur Lib. I. Cap. XVII. Quae historia a Dionysio Halicarnassensi confirmatur Lib. I. Cap. XXVI. & XXVII. qui eodem modo quo Herodotus Cortonam vocat Urbem Metropolim Etruriae, atque magnam, & fortunatam. In Herodoto vero non Cortona, sed Κρηςῶνα occurrit, & hoc pro Κροτῶνα ut ait Holstenius, oppido Pelasgorum in Etruria, ὑπὲρ Τυῤῥηνῶν; itemque Berkelius. Adde ipsam *Crestonam* Italicam suspectam esse, & forte apud Herodotum non Κρηςῶνα, sed Κροτῶνα legendum; quod profecto satis docte ab Iacobo Palmerio in criticis Exercitationibus ad Herodotum ex Dionysio Halicarnassensi demonstratur.

Hoc itaque nomine, sicuti ceteris, quibus varie a Graecis scriptoribus demonstrabatur, etiam a Stephano Byzantino descripta fuit. Κροτών, ἔςιν ἑτέρα πόλις, Τυῤῥηνίας Μητρόπολις, κ̀ τρίτη Ιταλίας. *Croton est altera Urbs Metropolis Etruriae, & tertia Italiae*: sicuti in verbo Κρηςών, eandem urbem describit.

Exactis itaque ex Aboriginum finibus iisdem Pelasgis, nihil praeter Crotonam urbem vetustissimam reliqui mansisse tradit Dionysius Lib. I. Cap. XXVI. & notandum hanc migrationem Pelasgicam in Etruriam, ut observavit Rykius, & doctissimus noster Academicus Iustus Fontaninus, eruditae antiquitatis decus, & ornamentum, factam periodo Iuliana 3186. ante primam Olympiadem, anno 752. adeoque 344. ante epocham Troiae captae secundum Eusebii Scaligeriani calculum, ad Erathostenis canones correctum.

Si vero fabulae a nobis adeundae sint, liceat ad excidii Troiani tempora mentis aciem convertere, atque ecce Urbem

bem a Lycophrone, ac Theopompo commemoratam. Stephanus Byzantinus hic quoque in verbo Γόρτυν, obſervandus. Θεόπομπός φησιν, ὅτι παραγενόμενος ὁ Ὀδυσσεὺς, καὶ τὰ περὶ τὴν Πενελόπην ἐγνωκὼς ἀπῆρεν εἰς Τυρσηνίαν, καὶ ᾤκισεν εἰς Γορτυναίαν, ἔνθα καὶ τελευτᾷ. *Theopompus ait, quod rediens Ulyſses, & noſcens apud Penelopem acta, tranſiit in Etruriam, & habitavit Cortonae, & ibi mortuus eſt.*

Lycophron quoque hanc Γορτυναίαν commemorat, ad quam illuſtrandam Tzetzes ex Theopompo Tyrſeniae Γορτυναίαν exiſtimat Cortonam eſſe Urbem Etruriae antiquiſſimam. Quae nam igitur laus accedere poterit Etruſcae Urbi, quando Ulyſſis quoque domicilium atque rogum elargita exiſtimetur, qui ſuam Ithacam tanti feciſſe memoratur, qui fumum illius ut videret, ut auctor eſt Cicero, immortalitatem dicitur recuſaſſe?

Illud quoque ſilentio minime praetermittam Lycophronem eo in loco ubi meminit ſepulcri Ulyſſis, mentionem facere *Pergi* montis, de quo ne verbum quidem fecerunt eius enarratores, qui, ut arbitror eiuſdem montis topographiam ignorarunt. Sciendum igitur eſt *Pergum*, ad hanc diem ita appellatum, eſse montem prope Cortonam ſitum, ab eius radicibus exſurgentem, valde amoenum, omnibuſque deliciis, & villarum nobilium civium frequentia valde famoſum, quae etiamnum vernaculo ſermone *Pergo* appellantur; quare hunc eſse illum montem a Lycophrone laudatum nullus dubito.

Incenſo poſtmodum Ilio, Tarchon Rex, Telephi filius, cum in Etruriam veniſset Cortonae ſedem ſtatuere, utpote in magna, atque munitiſſima urbe voluit, ut ait Silius, qui Cortonam Tarchontis domum appellat.

Hunc advenienti AEneae in Italiam ſuppetias tuliſſe manifeſtum eſt ex Virgilio, Cortonam antiquiſſimo Corythi vocabulo indigitante.

Neque obſtat Tarchontem Tarquinii Urbem Etruriae excitaſſe, uti ex Stephano liquet, verbo Ταρχώνιον, πόλις Τυῤῥηνίας &c. cur alibi non potuerit habitare, ut putat Franciſcus

ciſcus Marianus in ſuo Antibiterbio ; quinimo neceſſe habuit alibi primo non minimum tempus traducere, quandoquidem novam civitatem tam cito advena aedificare non poteſt.

Ad haec tempora Etruria in δύο, ϗ δέκα ἀρχηγετίδας diviſa uſque ad Romanam fortunam memoratur, teſte Dionyſio Halicarnaſſenſi Lib. VI. qui deinceps lib. IX. has Πολεῖς, ſeu Civitates vocat. Sic T. Livius Lib. IV. V. & VI. duodecim Populos Etruriae appellat, inter quos doctiſſimi homines, & quiſquis in eruditione cordatus, Cortonam numerandam eſse non it inficias.

Ita Philippus Cluverius, & Lucas Holſtenius verbo Πεῤῥάσιον ad Stephanum, & Clar. Fontaninus Archiepiſcopus Ancyranus de Antiquit. Hortae l. 1. cap. 1. Neque tantum unam ex XII. Etruriae civitatibus, ſed ceterarum caput extitiſſe ex Livio liquet, Decad. III. lib. 2. Sed ubicumque pugnatum eſt, Romana res ſuperior fuit. Itaque a Peruſia, & Cortona, & Arretio, quae ferme capita Populorum ea tempeſtate erant, Legati pacem, foeduſque a Romanis petentes, inducias in triginta annos impetrarunt.

Fractis vero Etruſcorum exercitibus ad Lacum Vadimonis, diu multumque tranquillam ſocietatem cum Romanorum potentia coniunctam habuiſse gaviſa eſt Urbs nobiliſſima, donec late patentem agrum diverſis viciſſitudinibus hoſtili, & Romano ſanguine undantem videret. Polybius lib. III. Ὅγε μὴν Αννίβας ἅμα μὲν εἰς τούμπροσθεν ὡς πρὸς τὴν Ρώμην προήει διὰ τῆς Τυῤῥηνίας. εὐώνυμον μὲν πόλιν ἔχων τὴν προσαγορευομένην νην Κορτώνιον, ϗ τὰ ταύτης ὄρη. δεξιὰ δὲ τὴν Τρασιμένην &c. Hoc eſt: *Hannibal interea per Etruriam ſuos ducere Romam verſus, habens ad laevam Urbem Cortonam, & adiacentes ei montes, ad dextram lacum vocatum Thraſimenum, &c.* & Livius III. Decad. Lib. II. *Hannibal, quod agri eſt inter Cortonam Urbem, Thraſimenumque lacum, omni clade belli pervaſtat, quo magis iram hoſti ad vindicandas ſociorum iniurias acuat. Et iam pervenerat ad loca inſidiis nata, ubi maxime montes Cortonenſes Thraſimenus ſubit. Via tantum intereſt perangusta, velut ad ipſum de induſtria relicto ſpa-*

spatio: deinde paullo latior patescit campus, & colles exsurgunt.

Neque difficile est effusi Romani sanguinis nostro aevo meminisse, quandoquidem ab insueta, ac formidolosa clade feralia remaneant nomina, Sanguinetum, Vallis Proelii, Sepultuaria, Caesi, Ossaria, ab ossibus ibi caesorum, ubi positum sequiori seculo hoc distichon affixum legitur.

NOMEN HABET LOCVS HIC OSSARIA AB OSSIBVS ILLIS

QVAE DOLVS HANNIBALIS FVDIT ET HASTA SIMVL.

Nec mirum est cadaverum aratro effossorum, & elephantum λείψανα saepe numero in apricum extrahi a sedulis cultoribus, qui, gigantea reperta credentes, exultant, ut ait Virgilius Georgicon Lib. I. v. 495.

Exesa inveniet scabra rubigine pila;
Aut gravibus rastris galeas pulsabit inanes,
Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulcris.


Hinc Leander Albertus, & Ughellus in Italia Sacra, Cortonam giganteum conatum appellare non dubitant.

Coloniam postmodum Romanam recepit Cortona, testimonio Dionysii Libro primo. Ἔξω γὰρ Κρότωνος τῆς ἐν Ὀμβρικοῖς πόλεως ἀξιολόγου, καὶ εἴ δή τι ἄλλο Ἀβοριγίνων οἰκισθὲν ἐτύγχανε, τὰ λοιπὰ τῶν Πελασγῶν διεφθάρη πολίσματα. ἡ δὲ Κρότων ἄχρι πολλοῦ διαφυλάξασα, τὸ παλαιὸν σχῆμα, χρόνος οὐ πολὺς, ἐξ οὗ τήντε ὀνομασίαν, καὶ τοὺς οἰκήτορας ἤλλαξε, καὶ νῦν ἐστι Ρωμαίων ἀποικία, καλεῖται δὲ Κορτωνία. Haec ita interpretata sunt. *Nam praeter Crotonem Umbriae civitatem memorabilem, & si quod aliud tenuerunt Aborigines domicilium, perierunt reliqua Pelasgorum oppida. Croton vero cum diu retinuisset veterem formam, non multo ante nostram aetatem & cives mutavit, & nomen, facta Romanorum Colonia, & Cortona vocata.*

Itaque si cui umquam Urbi Tyrrheniae nomen inditum est, hoc uni Cortonae congruit ex Hellenico Mitylenaeo Herodoti antiquiore, a tot antiquis auctoribus laudato, ut illustres Socii Palatini adversus Marianum in Dissertat. Ital. luculentissime demonstrarunt.

Corto-

Cortonenses Cives *Stellatina* Tribu censos, utpote olim ex Etruria a Stellate fluvio accita, antiqua, quae apud eos exstant, marmora, atque in Cortonensi solo eruta, diserte testantur; quorum illustrandorum spartam non inviti relinquimus Clarissimo Viro Antonio Francisco Gorio Academico nostro, de priscis monumentis, ac praesertim Etruriae nostrae optime merito. Veteris inscriptionis fragmentum in Cortonensi agro dudum repertum proferre libet; ex quo colligere possumus, Praefectum, vel Correctorem Etruriae, Cortonae sedem habuisse: id ita se habet.



Idem confirmatur disertissimo Claudii Rutilii Numatiani testimonio, qui in Itinerario, quod scripsit, imperantibus Honorio, Arcadio, & Valentiniano Augustis, anno ab V. C. M C L X I X. tempestate sua Decium optimum, ac doctum virum, Rectorem cum imperio Etruriam gubernasse, atque Cortonae sedem habuisse, narrat.

Haec eadem, quum Flaminiae regionibus irem,
Splendoris patrii saepe reperta fides.
Famam Lachanii veneratur numinis instar
Inter turrigenas Lydia tota suos.
Grata bonis priscos retinet provincia mores,
Dignaque Rectores semper habere bonos:
Qualis nunc Decius, Lucilli nobile pignus,
Per Corythi populos arva beata regit.


Nec mirum, magni ſi redditus indole nati
Felix tam ſimili poſteritate pater.
Huius vulnificis Satyra ludente Camoenis
Nec Turnus potior, nec Iuvenalis erit.

Ceteros vero Magiſtratus, nempe Quatuorviros Iuri dicundo, AEdiles, & Quaeſtores in ſplendidiſſima Cortonenſium Colonia fuiſſe, itemque alia honorum genera, quae Municipiorum, Romanarumque Coloniarum ſplendorem, & decus augent quammaxime, profecto extra dubitationis aleam, tum alia antiqua monumenta, tum quae apud nos exſtant, probare poſſunt: quae omnia ab Hiſtoricis quoque Tartaglino, & Rondinellio animadverſa fuerunt. Accedunt rudera magnifici Templi, ubi pulcherrimae etiam nunc columnae ex Oriente deductae viſuntur, in loco dicto *Farneta*; quod reor Baccho dicatum fuiſſe. Sed perpauca ex his, quae non ita pridem defoſſa ſunt, antiqua monumenta, operae pretium eſt breviter recenſere: hoc enim ipſo anno MDCCXXX inventa ſunt veſtigia antiquorum balneorum, quorum pavimentum, opere teſſellato multa elegantia ſtratum fuit; inventique ibidem tunc plumbei tubi, qui aquas in ea derivabant. Sub oculis identidem ponam vetuſtiſſimum Sarcophagum Etruſce ſcriptum, cuius notae Latinis characteribus ita forſitan interpretari poſſunt.

LARTS : ANEMI FELSINAL



Id quanti momenti esse possit maximopere intelligitur, cum *Lars*, *Lartes* nomina fuerint Regum Etruriae, ut *Lars* Tolumnius, atque *Lars* Porsena; quum saepe saepius Etrusca nomina desinentia in L reperiantur. Et ex Plinio notum est unum ex Etruscorum Regibus Felsinum Boniae Urbis parentem, & conditorem fuisse.



Sigillum hoc tres ex aere Histriones, & procul dubio Etruscos ex cultu, & soccis, ad alarum modum terminantibus, repraesentat; de quibus quum Rodulphinus de Venutis Canonicus Cortonensis, meus frater, satis luculenter verba fecerit, nihil in praesentiarum addendum puto.

Denique pulcherrimam ex auro armillam intra Cortonae moenia repertam una cum compluribus Consularibus nummis sub domo Viri Nobilis Dominici de Thomasiis, exhibeo. Hoc Etruscarum feminarum peculiare, atque elegans ornamentum, a Romanis mulieribus, indeque a militibus, ducibusque usurpatum fuisse lapides inscripti testantur; ex his duos tantum subiiciam, qui multa notatu digna praeferunt, de quibus etiam fusius, si otium esset, disserere possem. Priorem inscriptionem illustrat Fabrettus Cap. III. Inscr. ant. pag. 127. n. 44. quam etiam lubens animo expono, quia C. Gavium Silvanum, Stellatina Tribu censum, memorat, de qua supra diximus. Sequentem inscri-


inſcriptionem edidit Sponius in Miſcellaneis Sectione V. pag. 177.

C . G A V I O . L . F
S T E L . S I L V A N O
PRIMIPILARI . LEG . VIII . AVG
T R I B . C O H . II . V I G I L V M
T R I B . C O H . XIII . V R B A N
TRIB . COH . XII . PRAETOR
DONIS DONATO . A . DIVO . CLAVDIO
B E L L O . B R I T A N N I C O
TORQVIBVS . ARMILLIS . PHALERIS
C O R O N A . A V R E A
P A T R O N O . C O L O N
D . D

SEX . VIBIO GALLO RICINARIO
PRIMOPILARI PRAEF . KASTROR .
LEG . XIII . GEM . DONIS DONATO
AB IMPERATORIBVS HONORIS
VIRTVTISQ . CAVSA TORQVIBVS
ARMILLIS PHALERIS CORONIS
MVRALIBVS III VALLARIBVS II
AVREA I HASTIS PVRIS V
VEXILLIS II SEX . VIBIVS
COCIANVS PATRONO BENEMERENTI

Neque praetereundum duco hoc loci , quod eruditos homines error tenuit , qui inſignem in Vaticano iacentem Statuam ornatam ſimili armilla quum vidiſſent , illam Cleopatrae nomine celebraverunt . Armillam elegantiſſimam , de qua paullo ante dicebam , duo angues circumvoluti conficiunt ; cuius iconiſmum ſubiicio .

La-



Lapſo Romanorum imperio, Gothorum, Longobardorumque viciſſitudines, fortunaeque iniurias Vrbs noſtra paſſa eſt; quo tempore aiunt D. Leonem P. M. Romae natum, Quinctiani vero Cortonenſis filium, floruiſſe. Subſequutis autem temporibus libertatem ſibi vindicavit, ſicut ceterae Italiae urbes, maieſtatemque Romano more duobus Conſulibus, atque domeſtico Senatu ſervavit, etiamſi nihil eorum habuerit quae dixit in Italia hoſpes Dempſterus Etruriae Regalis Lib. V. Cap. IX. Quamplurimos in Hieroſolymitana expeditione nobiles Ephebos Cortonenſes, arma, atque claſſem habentes miſit, qui per multum poſtea tempus nomen ſuum in Creta inſula reliquerunt in Portu Cortonenſi dicto: quae omnia Abrahamus Ortelius retulit, atque in Tabulis P. Bertii videri poſſunt.

Inde finitimos inter Peruſinos, Arretinoſque ſtrenue dimicarunt noſtri Cives, teſtimonio Ioannis Villanii, donec anno MCCLIX. ſaeviente interna Guelphorum, atque Gibellinorum rabie, ab Arretinis ſubdole, & per aſtum occupata fuit Cortona, ut ait Ricordanus Maleſpina in praedicto anno; quam aratro evertere conati ſunt, ſed fugam arripuerunt intra biennium, poſtquam Cortonenſes aedificaſſent Caſtrum ad Traſimeni ripas, & Senenſibus adverſus Florentinos ſuppetias tuliſſent. Cuius rei indubia teſtimonia, lapides, picturae, & manu conſcripti codices, & populi interrupta epinicia, quotannis celebrari ſolita, con-

tra Leonardum hominem Arretinum , nonnullosque eius sectatores inscios facti , pugnare possunt.

Illud profecto haud praetermittendum , quod liberam ab omni servitute Vrbem ante saeculum decimum quartum Henricus VII. Romanorum Imperator invenit , quando ipsius quoque Legatos in libertatis suae iacturam accedentes callide avertit , ipsumque Imperatorem postea libertatis iura sibi firmantem, atque insignibus decorantem, alacri animo Vrbs excepit.

Inde αὐτόνομον tyrannidem praepotentis civis Rainerii Casalis , Vguccii nepotis , qui moenia instauraverat , subiisse constat ; & in ea gente per septem Dominos , qui se se Imperiales . Vicarios vocitabant , continuatum imperium . Tandem Aloysii Baptistae extremi Dynastae elatiorem superbiam amplius Populus non ferens , ultro Neapolitano Regi Ladislao se dedit , qui Tyrannum Neapolim custodiendum transmisit , Florentinaeque Reipublicae Vrbem pretio donavit , anno AErae Christianae 1409.

Horum acta videri possunt saepe apud Villanos , D. Antoninum Archiepiscopum , Volaterranum , Matthaeum Palmerium , Iacobum Laurum , Tartaglinum , ceterosque Historicos Cortonenses , aliosque quamplurimos.

Ceterum Cortonae sub caelo situs , quod ad Poli altitudinem , sive latitudinem spectat , ea est grad. 43. minut. 15. Florentia meridionalior , ubi attollitur Polus gr. 43. min. 46. & 30.

Sita est Vrbs in excelso monte , e dorso ad elatius cacumen porrecta . Planitiem habet ad meridiem longe lateque patentem , adeo ut eius prospectus e summo monte quaqua versus sit oculis longe iucundissimus : est enim humilibus collibus disseminata , ut via e longinquo prospicientibus adsurgere videatur . Ad ortum solis habet Trasimenum lacum , cuius ripae pulcherrimae rotundo orbe aquas includunt , colorem maris aemulantes , cladeque Flaminii Consulis Punico bello nobilitatas . Montes , qui a Septentrione latus explicant , a Livio , & Polybio describuntur.

Cete-


Ceterum & qua ager planus eſt, & qua montoſus; uberrimis ſegetibus, laetis arboribus, olivetis, vineiſque nobiliſſimis abundat. Vina certe ab Andrea Baccio iure meritoque celebrantur. Sunt & ſaxi fodinae, ex quibus nobile marmor, etſi minus notum, eruitur ex Iaſpidis genere, viride, nigris maculis, amethyſtique fruſtulis intertextis. Nec deſunt quae naturalem Hiſtoriam, Botanicam, Pharmaceuticamque iuvare poſſint. Vrbis moenia immanibus, quadratiſque extructa ſaxis, antiquitatem praeſeferunt indubiam; eiuſdem ſane ſtructurae eſt Crypta, quam noſtrates Pythagorae appellant, in qua, ferunt, Philoſophum olim degiſſe. Nos vero ſepulchretum cenſemus. Cortonam Viros ſanctitate, doctrina, armis inſignes omni ſaeculo habuiſſe legimus, quos longum eſſet nunc recenſere. Ad Vrbis vero ornatum non deſunt perpulchra templa Bramantis Sangallii, Georgii Vaſarii, & Equitis Fontanae opera, plurimaque excultiſſima arte Civium Equitis Radii, Philippi Berrettini, & Antonii Iannelli Architectonices peritiſſimorum, videntur. Picturas illuſtrium Civium Lucae Signorelli, Petri Pauli Gobbi, Petri Berettini, & Lucae nepotis, aliorumque Italicorum artificum videre eſt in privatis publiciſque aedibus. Epiſcopium, Praetorium, Xenodochia plura, & ſi quae ſunt alia Civium non aſpernanda, ex induſtria praetermitto. Quae de Eccleſia Cortonenſi dicenda forent, ex Vghellio, atque ex eius Adnotatoribus petenda ſunt. Illud equidem non reticendum, proximis ab hinc annis, ſtudio, ac ſolertia nobilium Iuvenum, Societatem inſtitutam eſſe percelebrem, quam Academiam Etruſcam vocant. Hi nullis impenſis parcentes Muſeum inſtructiſſimum compararunt, publicaeque utilitati exponi iuſſerunt, ut veterum Etruſcorum praeſertim colligerentur monumenta, quae in hac potiſſimum plaga in dies proferuntur. Hinc plurima iam aſſequuti ſunt vetuſtatis inſignia, lapides Etruſce inſcriptos, fictilia vaſa, & quae ad rem herbariam, metalla, maris frutices, & Opticen pertinent. An referam aliarum rerum ſupellectilem, numiſmata, Romanos

nos

nos lapides, excultas gemmas, pondera, anaglypha, ſigna, & ectypa, iconiſmos, unde facile poſſint eruditi Socii haurire antiquitatis notitiam? Et ne quid deeſset, publicam etiam Bibliothecam in eodem Muſeo dedicarunt, in qua per ſingulos menſes de ſingulari eruditionis parte aliqua, ab uno Sociorum diſseritur. At quid plura? Illud certe pro Academiae huius ſplendore dixiſse ſufficiat, plurimos Europae clariſſimos Viros ſe ſe in ea connumerari voluiſse, ut qui ſperent fructus ex ea aliquando ſe percepturos, quibus Reſpublica literaria maximum capiat iuvamen, & ornamentum: quum praecipue nacti ſimus in Academiae Praeſidem Philippum Bonarrotium Senatorem ampliſſimum, Virum bono Reipublicae literariae natum.

Te etiam praecipuos inter Heroas connumerabimus, Vir Reverendiſſime, cui facile debet Etruria felicitatem ſuam; quandoquidem ab Etruria diſſidia eliminata & bella evitata, ſpem ſucceſſionis firmatam curas propter, & ſollicitudinem tuam quiſquis eſt rerum aeſtimator aequi bonique conſulens, fatetur, & gaudet. Tu noſtrarum lucubrationum curas amplexatus, ſuperioribus hinc annis in Academiae Lucumonem, ut vocant, ſeu principem renuntiari non renuiſti; tantoque amore noſtra haec mitiora ſtudia foves, ut haec, quae de Patria mea, longius fortaſse quam par erat, ſcripſi, pro tua humanitate libenter excepturum eſſe confidam. Vale.

Dabam Cortonae. Idibus Novembribus.
Anno Ae. V. CIↃ. IↃ. CC. XXX.



Illu-

Illuſtrata inſignium ſcriptorum teſtimoniis, & vetuſtis monumentis CORTONAE antiquitate, ad elucidandos veteres inſcriptos lapides Romanos, qui in ea reperti ſunt, gradum facio; quibus poſtea eos adiiciam, qui aliunde in hanc Urbem nobiliſſimam, vel in Muſeum Academiae Etruſcae advecti ſunt.

In Eccleſia S. Michaelis Caſtri Caſalis, ſuppoſita menſae Arae maximae, & inventa anno MDCCV.

3


3. *Calliae* familiae nullam fieri mentionem in editis antiquis inſcriptionibus comperi, praeter quam in ſepulcrali

titulo, qui Polæ descriptus est ab auctore Codicis Rediani saepius memorati; qui adfertur inter Inscriptiones antiquas a Marquardo Gudio collectas, ac nuper editas pag. CCLXVII. 9. Lubet illum rursum proferre; nam forte nobis declarat Calliam Valeriam uxorem fuisse L. Callii Crispini, qui cum matre sua Martia Serena, & Libertis, ut indicat ea sigla in nona linea ET LIB. hanc aram posuit patri suo L. Callio Ariminensi.

D . M
CALLIA . VALERIA . CALLIO
CRISPINO . CONIVGI . BENEMERENTI
POSVIT

Cognomen L. Callii Ariminensis adnotare lubet desumptum ex nobili aeque ac pervetusto Municipio, & Colonia Romanorum Arimino; quod non raro a veteribus fieri consuevisse alibi animadvertimus. A Florentina Colonia tum viros, tum feminas cognomen accepisse testantur lapides in Gruteriano Thesauro DXXIV. 7. DLV. 2. aliique complures, quos alibi data opera indicabimus.

Titulus sepulcralis inventus extra Portam S. Dominici inter rudera Ecclesiae S. Caeciliae, prope Monasterium Comitissarum; nunc in Museo Academiae Etruscae Cortonensis.

4

D : M
AVLVS GELLIVS
MYRRINVS

4. Compluribus aliis antiquis inscriptionibus, quae perspicue evincunt Noctium Atticarum scriptorem eruditissimum,

mum, atque elegantissimum *Aulum Gellium* vocandum esse, non vero *Agellium*, ut apud aliquos doctos viros invaluit, adcensendus est hic quoque perbrevis titulus, prae ceteris magno in pretio habendus, quia praenomen non per singularem primam litteram cum puncto interposito ut A. GELLIVS, sed integrum AVLVS GELLIVS exhibet. Inter primos qui hunc errorem induxere est Iustus Lipsius, cuius Lib. VI. Quaestion. Epistol. Cap. VIII. haec verba sunt: *Gellium, an Agellium dicemus, qui Noctes Atticas scripsit? Agellium constanter libri scripti, etiam illud optimae notae fragmentum Giselini, appellant: Agellii Noctium Atticarum liber X explicit. Incipit XI feliciter &c. Priscianus etiam nomina propria deducit a Servo Servilius, ab Agello Agellius.* Haec an tanti sint ut Gelliano nomini immutando sufficiant accurate expendit doctissimus Petrus Lambecius in Dissertatione de Vita, & Nomine A. Gellii, quae praecedit Prodromum Lucubrationum Criticarum in Auli Gellii Noctes Atticas, Parisiis impressum anno MDCXLVII. Obiectationi, quae aliquorum manuscriptorum Codicum auctoritate nititur, quos Agellium habere adfirmat Lipsius, pro sua parte Lambecius omnes scriptos libros adducit, (inter quos sex Codices Bibliothecae Vaticanae) ad quorum fidem primae editiones impressae sunt, quae numquam *Agellium* pro *Aulo Gellio* obtrusere. Ipse etiam Priscianus non aliter hunc auctorem citat, quam Aulum Gellium Lib. VI. His rationum momentis addit virorum eruditorum testimonia, qui nomen illud ita litteris consignarunt. Secundam obiectionem deinde refellit non minus frigidam, quam inanem ex Prisciano desumptam; opponitque eiusdem Pisciani testimonium Lib. II. quum nullum gentis, vel familiae nomen apud Romanos sine praenomine esse possit; adeoque reiicienda sit, non admittenda barbaries descriptorum antiquorum Codicum, qui praenomen, & nomen Auli Gellii in unum confundentes, & punctum inter praenomen, & nomen non admittentes, quod etiam frequentissime Etrusci nostri in vernaculum sermonem Latina monumenta vertentes fecere, qui quidem

ſcripſere pro *M. Apicio*, *Mapitio*, illam Auli Gellii germanam genuinamque adpellationem corrupere. En Priſciani verba: *Ex illo conſuetudo tenuit, ut nemo Romanus ſit abſque praenomine; & notatur vel ſingulis litteris, vel binis, vel ternis; tum ſingulis quando a vocali incipit praenomen, ut A. Aulus, vel ab una conſonante, ut P. Publius, T. Titus*. Quod vero Aulus ſit praenomen, Gellius vero nomen gentilitium, notius eſt quam explicatione indigeat.

In tertia linea pro MYRRINVS ſcribendum videtur MYRRHINVS. Cognomen hic Aulus Gellius accepit a myrrha vel nota arbuſcula, quae in Arabia praecipue innaſcitur, cuius guttis, vel ſtillis vinum veteres condiebant; de qua potione conſulendus Iul. Caeſar Bulengerus de Conviviis Lib. III. Cap. III. vel etiam faciem, & capillos odorabant; vel a myrrha lapidis egregii ſpecie, quo vaſa ad uſum edendi & bibendi lautiores in ſupellectile habebant. Horum vaſculorum pretium, & colorum variorum ſplendorem erudite deſcribit Lazarus Bayfius de Vaſculis; quod opus locupletiori indiget commentario, & plurimis vaſculorum figuris depromptis ex antiquis ſculpturis; quod qui faciet maximam inibit virorum doctorum gratiam.

In eodem Muſeo.

5

C. VIBIVS
ANDROMACH

Ibidem.

6

TILIA . PREPVSA
VIX . ANN. VI.

6 Ti-

6. *Tiliae* familiae nomen perrarum, cuius nulla occurrit mentio in Gruteriano Thesauro, & apud ceteros celebres antiquorum lapidum editores. PREPUSA a Graeco πρεπῦσα. *decens*; feminae aptissimum, ac valde conveniens cognomen, quo ab Horatio tum Gratiae, tum Venus pulchritudinis Dea insignitur, Carm. Lib. I. Ode XVIII.

Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem increpet?
Quis non te potius Bacche pater, teque decens Venus?

Cippus marmoreus fractus, effossus anno MDCCXXIX. *ad* II. *milliarium prope Cortonam, in prædiis Nobb. Venuterum dum aquaeductus substrueretur.*

7.



7. In quarta linea supplendum videtur COCCEIA; in ultima vero FRATRI, vel PATRI.

SE-

SEQUUNTUR INSCRIPTIONES ANTIQUAE aliunde advectae, quae exstant in Museo Academiae Etruscae Cortonensis.

8. *In Vase marmoreo cinerario.*

8.

D . M

P. HELVIO CRESCENTI
HELVIA TIGRIS
LIBERTA. ET. VXOR
PATRONO
B. M. FECIT

8. Hanc Inscriptionem superius inter Arretinas exhibui pag. 306. n. 28. In labro Vasis detectae sunt litterae D.M. hoc est *Diis Manibus*; quod antea observatum minime fuit. Hoc Vas Academicis Etruscis Cortonensibus dono dedit V. C. Gregorius Redius Equestris Ordinis D. Stephani Baiulivus, & ipse honoris gratia in eorum albo descriptus.

Ibidem.

9

CLAVDIA. ATHENAEIS.
VIXIT. ANNIS. XXX
T. MARCIVS SATYR. ET
MARCIA . MA

9. Hunc

9. Hunc titulum ſepulcralem cum ceteris uſque ad numerum 15. Roma devehendum curavit vir nobiliſſimus, & antiquorum monumentorum ſtudioſiſsimus Abbas Onuphrius Baldellius Patricius Cortonenſis, qui eoſdem donavit Academiae Cortonenſi Etruſcorum, idemque auctor cum aliis civibus ſuis fuit ut collatis ex privatis Cimeliis in commune ſtudium priſcae eruditionis reliquiis, publicae utilitati Muſeum conderetur, in quo erudite de omni antiquitate diſſererent Etruſci Academici Cortonenſes.

MA. in poſtremo verſu cognomen videtur Marciae; non vero interpretandum eſse crederem *Mater*. Huius generis cognomina monoſyllaba non raro leguntur in antiquis ſaxis; quod etiam obſervavit Fabrettus Inſcriptionum Cap. I. pag. 2. & pag. 3. n. XV. legitur IVLIA. D. L. MA HIC. SITA. EST. & alias ſimiles edidi inter Florentinas; interdum etiam vocalis duplicatur, ut GA, & GAA.

10 *Ibidem.*

D . M
P. AELIO
VRBANO
HERMA
FRATRI
B. M. FECIT

11 *Ibidem.*

D. IVNI. ROMANI
D. IVNI. PROTI
Ɔ L FEC
IVNIA . INGENVA

12 *Ibidem.*

D . M . S.
PLAETORIAE THREPTE
FECIT PRIMIGENIVS CON
CARISSIMAE ET THREPTE F
MATRI DVLCISSIM. B. M. F.
V. A . XXX.

Ibi-

13 *Ibidem.*

Q. MVNATIVS
LVPERCVS. VIX. AN. I.
RVBRIA. PHIALE
CONIVGI SVO FECIT ET SIBI

14 *Ibidem.*

ARTORIAE. SPV. F
FELICVLAE. SIBI. ET
CN. POMPEIO. CN. L.
ANTIGONO

Fragmentum aheneae Tabulae, quam Academicis Etruscis Cortonensibus donavit Illustr. Abbas Diamantes Montemellinius Nob. Perusinus.


15

MAXIM
KAL. IVN. SEN
T QVINQVMVIRI
IO IIIII VIRIS. I. D.
ORVM ET ORIGINIS
R SPLENDIDISSIMI N
IVSDEM • QVINTI
M PATRONVM. P. N.
ITI NOSTRI CON
CATIONEM INTEL
IATVM
I C S
RVFI. P. P. N. ESSE CONSEN
M AVREL. Q. QVINTIA
sic M. S. S. BONE INDOLIS
DE EIVS HONORE ET


15. Tem-

15. Temporis iniuria fracta haec tabula admodum perantiqua, continet, ni fallor, ut ex his quae superfunt apparet, decretum cooptationis viri nobilitate, atque honoribus conspicui in patronum cuiusdam Municipii; adeoque coniicere possumus hospitalem hanc tesseram, ut mos erat, ad eum missam fuisse, fixamque in pariete domus eius; nam in medio adhuc sunt vestigia clavi quo fixa fuit: supersunt quoque in ora vestigia tenuis lineae, quae indicant coronide inclusam fuisse. Viri in patronum adsciti nomen forte QVINTIVS fuit, e gente Quintia, cuius fuit cognomen MAXIMVS, ut scriptum est in principio Tabulae. Sententiam tulere Quinqueviri, & Quatuorviri iuridicundo, qui praeerant Municipio. De hospitalibus tesseris, & Patronorum cooptatione non pauca superius ex antiquis monumentis adnotavimus. In ultima linea deletis litteris, quae primum incisae fuerant, aliae, ut exscripsimus, postea refectae sunt.

Ibidem.



Ibidem.



 18 *Ibi-*

Ibidem.

18

D . M
TI. CLAVDIO EVTV
CHIANO ALVMNO DVL
CISSIMO. Q. V. A. VII. M.
VI. IVLIVS EVTYCHES
ET CLAVDIA FILETE *sic*
PARENTES PIENTIS
SIMI FECERVNT

Ibidem.

19

D . M
SACRVM
OSCIA .IRENE
PIA .VIXIT. AN
XXX. D. XX. POR
TVMIVS. POIT
TIMVS VXORI
PIENTISSIMAE
FECIT .H. S. E
OEB Q. III. S

Ibidem.

20

D . M
C. VEHILIVS.
PERPETVVS.
C. VEHILIO.
PRISCIANO
PATRI BENEME
RENTI. Q. V. A. L. IX
ET LIBERTI. PA
TRONO BENEME
RENTI. ASCLEPI
VS. ET EVTYCHES

19. POITIMVS. Legendum arbitror POLITIMVS.

21 *Ibi-*

21 *Ibidem.*

D . M
DECIDIAE
LASCIVAE
PATER FEC
V . A . VI . M . II

22 *Ibidem.*

D . M
HERENVLEIAE
ACANTHIDIS
HERENVLEIA
PRIMITIBA

23 *Ibidem.*

IVLIA
AMANDA . V . A . XXX

24 *Ibidem.*

L . CORNIFICI
PHILOMVSI

Ibidem.

25 D . M . MANLIAE . HYGIAE . CONIV
P. MANLIO. CALLICLE . F . PIISSIMO
VIX . ANN . XVIII . M . III . D . I . FECIT
P. MANLIVS . PRIMVS . PATER . ET .
POSTERISQVE SVIS . ET AMBROTVS
FECERVNT

26 *Ibidem.*

IANVARIAE
SORORI KARIS
SIMAE
PORCIA PAVLLI
NA . FECIT

27 *Ibidem.*

ANTESTIA
Ↄ . L
N . I G E . L . L . A

Ibidem.

28

COSSVTIO . C.
MAEC. CAL∴DIO
CELERI
COSSVTIVS EPAPHRODITVS
LIB.

Ibidem.

29

D . M
PVBLICIA . HYGIA
FECIT SIBI . ET PVBLICI
AE DONATE . FIL
CARISSIMAE

Ibidem.

30

D . M
SECVNDILLO
THISBE MATER
FILIO CARISSIMO
FECIT QVI
VIXIT. AN. I. M. V

Ibidem.

31

DIS. MANIBVS
COSMI
PRIMA . CONTVBERNALI
SVO BENEMERENTI FECIT

Ibidem.

32

D . M
CATILIA PRIMA
IVLIO ONESIMO
BENEMERENTI

Ibidem.

33

SVLPICIA. FAVSTA
SALVILLI. MATER

Ibidem.

34

SEX. VISTILIVS
SEX . L
ZENAE

Hic feminae protoma

35 Ibi-

Ibidem.

35

POMPONIAE SECVNDAE
POMPONIVS APHRODISIVS
COLLIBER . EIDEM
CONIVGI . CARISS . FECIT



Ibidem.

36

PACTVMEIA . D . L .
VRBANA . SIBI . ET
D. PACTVMEIO. D. L. STRABONI
PATRONO SVO

Ibidem.

37

D . M
CLAVDIAE
SP . F
PRISCILLAE

Ibidem.

38

D . M
TI . CLAVDIO
EPITROPO . VIX
ANN . VII . MENS
IIII . DIE . XVII . MAG
NA FILIO DVLCIS
SIMO FECIT

Ibidem.

39

D . M
POMPONIVS
ARTEMIDORVS
POMPONIAE
FELICITATI CONIVGI
BENEMERENTI FECIT

40 Ibi-

Ibidem.

40 PRIMIGENIA . RHODINI
V.A.XXX.DONATA.F.EIVS.V.A.II
ZOSIMVS . ET . TROPHIMVS
CONIVGI . BENEMERE . ET . FIL .

Ibidem.

41 D . M
PIPIDIA . HELPIS
FECIT . PIPIDIAE
SECVNDAE . LIBER
PIENTISSIMAE

Ibidem.

42 QVNVICS
BILE FECIT DE

41. *Pipidia* , & *Pipedia* familiae inter rariores enumerantur a Fabretto Cap. IX. n. 330. 331. qui & hanc ipsam inscriptionem edidit.

Ibidem in tubo plumbeo aquaeductus , longitudinis fere duorum pedum Romanorum.

43 IVLIAE MAMIAE MATRIS AVG N

43. Iulia Mamaea uxor fuit Varii Marcelli nobilissimi viri , mater Alexandri Severi Caesaris , quae cum filio trucidata est. Legendum est MAMAEAE.

Ibi-

Ibidem, in aerea lamella.

44

FLABIO
ARBITIO
NIMACE

Ibidem, in tessera eburnea utrimque scripta.

45

AMATOR

XI

In Onyche, ibidem.

46 DVLCITI

In Iaspide, in quo insculpta lacerta.

47 ISSΩAVΘI

In tegula, ibidem.

48 EX PR AVG E FIGL
NOVCORSVO

In latere, in quo figlinae nota palma, ibidem.

49 OP DOL EX PRAED
LVCILL VERIOF A

In latere, ibidem.

50

L. ANTONIVS
SYMFLON

In latere, ibidem.

51

RVIANO IIII
F. VIL AVG SVΠ

Ibidem, in latere.

52 Q. OPPI IVSTI FORTVNAT SER ECT
VERO III ET AMB COS

52. ECT. interpretor TECTORIS. Tectores, ut nemo ignorat, ii erant qui parietes tectorio, vel albario opere exornabant,

bant, & ad maiorem ſpectantium gratiam, & decorem perpoliebant, illiniebantque, & incruſtabant; de quibus locupletiſsime Vitruvius de Architect. Lib. VII. Cap. III. & Plinius Lib. XXXVIII. Cap. XXIII. Triclinii opere tectorio perpoliti fit mentio in vetuſto lapide Fabrettiano Cap. VI. n. 59. De Conſulatu Veri tertium cum Ambibulo, ſatis diſſerui ad Monumentum ſive Columbarium Libertorum, & Servorum Liviae Auguſtae, & Caeſarum, pag. 222. & 223.

In ectypo Gemmae antiquae.

53 MARONNICA

53. Ita adclamatum aurigis victoribus Circenſium oſtendi ad inſignem annulum aureum e Mediceo Theſauro depromptum, adlatumque in Volumine Secundo Muſei Florentini Tab. XI. pag. 30. ad quem lectores mittimus.

In aereo ſigillo apud Nobiles Venutos.

54 L · A · SIL

In alio ex Muſeo Illuſtr. Galeotti Coratii Equitis D. Stephani.

55 LETRO . AM
AN . VINCEN

In latere in Muſeo Academiae Etruſcorum Cortonenſium.

56 EX PRAEDIS MAMILII
. . . . RO I. C O

In latere ibidem.

57 CND . SECVN
HERMET . DO

Non

Non paucas perelegantes fictiles lucernas observavi mense Maio huiusce anni MDCCXXXIII. quum Etruriam lustrarem, Etruscorum monumentorum investigandorum causa, quae in eodem Museo Academiae Etruscae Cortonensium adservantur. In his praeter ornatum multiplicem, vel figuras, quas exhibent, in parte inferiori impressae sunt litterae, quae plerumque dominum, plerumque etiam artificem lucernae declarant. Perbreves lucernarum titulos libet adferre.

58	59
VIRIANI	L. PASISIDI
60	61
L. PONSTEI	L. FABRICI AS
62	63
L. CASAE	ASPRENAS
64	65
L EGIDI	CAMPSA B
66	67
FORTVNI	SAECVL

Vir Cl. Nicolaus Marcellus Venuti Patricius Cortonensis, ex Equestri Ordine D. Stephani, quum Romae moraretur anno MDCCXXVII. eo tempore, quo in Via Appia detectum est celebre Monumentum sive Columbarium Libertorum, & Servorum Liviae Augustae, & Caesarum, quod descripsi, & illustravi, hos perelegantes titulos, quos subiicio comparavit, atque in patriam Urbem reversus eosdem Academiae Etruscorum animo lubens donavit.

Ibidem.

68

D . M . S

STEPHANIS : VIR
GO . INTAMINATA
LVMEN : QVOD . AC *sic*
PI : REDDIDI . PA
TREMEVM . SECVTA
HOC . FATVM VOLVIT
VIX . ANN : XIIII

68. QVOD ACPI. legendum ACCEPI,

Ibidem.

69

PRIVATA . ADMETI
ET . IVLI . VICARIA . V . A . XXII
CRESCENS . FILIVS . EIVS . V . A . II
VITALIS CONIVGI
BENE . DE . SE . MERITAE.

Ibidem.

Ibidem.

70

M. VALERIVS
ACHILLAS
L. PATRI. BENE
MERENTI
FECIT
LIVIAE. ANT. C

Ibidem.

71

DOMITIVS. L. L.
DIOCLES
MEDICVS

72 *Ibidem.*

LAIS
POTHI


73 *Ibidem.*

EVC
FAVOR

Inter viros illuſtres Cortonenſes recenſendus eſt C. Tutilius Hoſtilianus Philoſophus Stoicus, cuius mentio habetur in hoc ſepulcrali cippo; cuius inſcriptionem mihi primum, deinde Academicis Etruſcis communicavit V. C. Franciſcus Victorius Eques D. Stephani. Romae effoſſus eſt menſe Decembri, anno MDCCXXVII. prope Eccleſiam SS. Marcellini, & Petri, Via Labicana, altitudine aequans palmos quinque.

Hinc urceus, hinc patera ſculpta in lateribus.

74



74. Tutiliorum familia, etsi plebeia, illuſtris tamen eſt, & clara, ut liquet ex pluribus antiquis lapidibus apud Gruterum, & praeſertim apud Fabrettum Inſcriptionum Cap. III. n. 565. Nam in vetuſto lapide, qui etiam rurſus ab eo adfertur Cap. V. n. 274. memoratur P. Tutilius in Ouſentinam tribum adcenſus, qui fuit Veteranus Signifer, Aquilifer Legionis Quinctae, Curator Veteranorum, quique ab Imperatore Tiberio Caeſare praemia duplicia accepit. In eodem natus dicitur A. Hirtio & Vibio Panſa Coſſ. Monumentum ſibi, & filiae ſuae vivens condidit duobus Geminis Conſulibus, eo ipſo anno in quo Chriſtus Dominus mortuus eſt. Meminit Plinius alter in epiſtola XXXII. Lib. VI.

VI. Tutilii, cuius neptis, Q. Fabii Quinctiliani filia, lectissima femina, nupsit honestissimo viro Nonio Celeri. Idem Quinctilianus Libro III. memorat Tutilium aetatis suae Rhetoricae scriptorem. Ex hoc ipso sepulcrali cippulo discimus C. Tutilium Hostilianum Cortonensem Philosophum Stoicum fuisse; qui, ut arbitror, floruit Antoninorum Imperatorum tempestate, qua Stoicorum secta maxime viguit, summoque in honore ubique habita est. Stoici Philosophi exemplar absolutissimum pingit idem Plinius in Euphrate gravi viro, quem valde laudat in Epistola X. Libri I. Horum seriem edidit doctissimus Petrus Gassendus. In antiquis lapidibus Gruterianis Philosophi Stoici memorantur Tiberius Claudius Alexander, civitate Romana donatus, & in Quirinam tribum descriptus, pag. CCCLXXXVIII. 5. Sex. Herius Musolus in Collina pag. CCCCXVIII. 11. & L. Iunius Rusticus pag. CCCCXXVI. 10. cuius quoque nominis clarus est apud Tacitum Annalium Lib. V. n. 5. Iunius Rusticus, delectus a Caesare ad componenda in senatu patrum acta.

Memoratu dignum est, quandoquidem de Philosophis agimus, vetustissimum antrum, quod apud Cortonenses adhuc cernitur, in quo Pythagoram Philosophum sapientissimum se se abdidisse, & arcana sapientiae meditatum fuisse fama est, ad posteros constanter transmissa. Pythagoram in Etruria natum aliqui tradunt; aliqui vero non Etruscum, sed Samium volunt. Suidas contraria haec concilians, natum in Etruria Pythagoram docet; adolescentem vero cum patre Mnesarcho, sculptore annulorum, quorum usus per Etruscos nostros inductus, maxime ubique gentium invaluit, Samum migrasse, ac demum in Italiam regressum testatur, ut Italiae principes doceret sapientiam, quam ab AEgyptiis Sacerdotibus hauserat.

Complura alia, quae melioribus Minervae auspiciis observavit in hoc egregii concivis sui monumentum, aliquando, ut sperare libet, depromet Vir Clarissimus multiplici eruditione, & ingenio pollens Abbas Philippus Venu-

ti Patricius Cortonensis, qui in dies eximiis antiquitatis monumentis ditat Museum Academiae Etruscorum in eadem Urbe Cortona conditum, quod ut fieret summo cum splendore summaque civium suorum utilitate cum ceteris nobilibus Sociis egregiam operam navavit. Conspicuo maxime in loco Cimelia servantur, sedesque Academicorum est palatium valde magnificum Magni Ducis Etruriae. In eo frequenter conveniunt eruditi Academici, qui tum Etrusca, tum alia cuiuscumque generis antiqua monumenta Dissertationibus illustrant. Externorum Academicorum lucubrationes eo quoque loci si missae fuerint recitantur; quae quum iam Romae prelo commissae fuerint, in lucem, ut promittunt, quam primum prodibunt. In eo extant libri editi selectiores, & rariores, & manu conscripti non pauci; item numismata, signa, sigilla ahenea, anaglypha opera, antiqui lapides inscripti, protomae, vascula eximii operis, lucernae, gemmae insculptae, atque alia complura cimelia. Perampla quoque in eodem Museo servatur fossilium, metallicorum, herbarum, rerumque aliarum, quae ad naturalem Historiam pertinent, supellex; quare brevi adeo celebre factum est huius Academiae nomen, ut magni viri doctique in eorum albo describi exoptarint, inter quos quod & ego ipse postremum locum teneam mihi gratulor.

Insigne insuper in ea Urbe est, & memoria, ac laude dignum Museum Cl. V. Galeotti Coratii Patricii Cortonensis, Equitis Ordinis D. Stephani, in quo lectissima, & rarissima monumenta antiqua exstant, quae ipse conquisivit, studio, amore, peritiaque veterum elegantiarum nulli secundus. Etrusca complura monumenta ex eo aliquando depromam, & observationibus elucidabo, fretus humanitate viri omni laude ornatissimi.




IN-

INSCRIPTIONES
ANTIQUAE
CLUSII.

Ubi exstet hodie haec Ara, ignoratur.

1



Gruterus edidit **XL.** 11. *ex Panvinio.*

CLUSIUM inter duodecim Etruriae Urbes principem locum tenuisse, vulgatior fama est quam pluribus verbis ostendi possit. Eius non sine laude mentionem faciunt Polybius, Virgilius, Livius, Diodorus, Strabo, Velleius, Plinius, Plutarchus, Appianus, Florus, Ptolemaeus, Servius, Procopius, aliique, quorum loca illustrat Cluverius Italiae antiquae Lib. II. Cap. III. pag. 566. 567. In

eo non Porsena solum, sed ceteri quoque Etruscae gentis reges sedem habuere. Porsena nobilissimis eam Urbem aedificiis, ac praesertim Labyrintho nobilitavit; quod Plinius Lib. XXXVI. Cap. XIII. describens ex Varrone, nullum vestigium sua tempestate exstare testatur. Variis in locis hodie a Clusinis civibus complura labyrintha, ut ipsi aiunt, ostenduntur; suntque subterranea aedificia in lapide tophaceo excavata, multis hac illac viarum ambagibus instructa; quae hoc ipso anno MDCCXXXIII. summa cum voluptate adivi, eademque lustrans in eam concessi sententiam, priscis Etruscis ad condendos in urnis defunctorum cineres pro sepulcris inservisse.

Quanta huius Urbis potentia, divitiae, vires fuerint, ex eo argui potest, quod Tarquinii reges a Romanis exacti ad Lartem Porsenam Clusinum regem perfugerunt, ut eius auxilio regno restituerentur, amissamque libertatem recuperarent. Verba Livii ex Libro II. adferenda sunt. *Porsena, tum regem esse Romae, tum Etruscae gentis regem, amplum Tuscis ratus, Romam infesto exercitu venit. Non umquam alias ante tantus terror Senatum invasit; adeo valida res tum Clusina erat, magnumque Porsenae nomen: nec hostes modo timebant, sed suos metipsi cives; ne Romana plebs metu perculsa, receptis in urbem regibus vel cum servitute pacem acciperent.* Veterum aedificiorum nobilissimorum splendore, ac magnificentia adhuc supersunt aliquot reliquiae; iacent enim propter vias, in hortis, atque in Virdiario Vigilantissimi Praesulis Io: Baptistae Tarugi, qui hac tempestate Episcopalem Clusinam sedem tenet, fractae columnae e marmore Numidico nobilissimae, itemque capitula egregio opere sculpta, quae antiquum templum subfulsisse vero simile est. In Cathedrali Ecclesia fornicum arcus fulciunt columnae praenobiles, quae etiam ex marmoris varietate magnopere commendantur. In capitulo cuiusdam columnae, ad laevam ingredientium, perbrevem inscriptionem observavimus, quae ad hunc modum se habet.

SCS

2

S C̄ S
E P̄ C S F L O
R E N T I N U S
F I C I T

2. Ex hac ſcriptura vetuſtiſſima colligimus in Catalogo Epiſcoporum Cluſinorum pro S. Florentio, qui iuxta Pagium anno CCCCLXV. interfuit Romano Concilio, Hilario Papa illud celebrante, legendum ſcribendumque eſſe S. FLORENTINUM, qui forſitan auctor fuit ut Cathedralis Eccleſia Cluſina auguſtius & magnificentius conderetur; quam perfecit Arialdus Epiſcopus, qui eam pavimento exornavit, eiuſque tectum renovavit, uti teſtatur marmorea tabula rubris litteris inſcripta, quae in pariete fixa eſt parte ſiniſteriore iuxta ianuam eiuſdem Cathedralis Eccleſiae, quae ad hunc ferme modum inſcripta eſt.

3

✠ HĀC ECCLESIĀ
VNA CVM PAVIMĒ
TO . ARIALDVS .
ĒPS : FIERI IVS
SIT . A : D . M ..· : ·
✠ . HOC TECTVM
/////// N O V A T V M

 Praete-

Praetereo vasa pulcherrima omnis generis, quae apud veteres Etruscos in usu fuere, insignem urnarum sepulcralium e marmore apparatum, quas sculpturae elegantissimae exornant, e quibus veteres ritus, sacra, religionis mysteria, ea quae ad belli, pacisque artes pertinent disci possunt, quaeque rariora sunt illustrium Museorum per Italiam, praesertim vero Florentiae, & Romae ornamenta; quae si fictiles sint & vividis coloribus pictae, non sine admiratione spectari possunt. Exstat in Sodalitio sacro, ut aiunt, Mortis, columna praealta, quae tanta peregrini marmoris, ut videtur AEthiopici, pulchritudine, & nitore praecellit, undique vario colore maculis distincta, ut vel alicui simulacro, vel nobili aediculae sustinendae digna fuisse videatur. Numismata, gemmae, sarcophaga litteris Etruscis inscripta frequenter eruuntur; quae Viri nobiles, in quibus cum humanitate certat virtus & in patriam amor, Ristorus Paulotius, & Innocentius Nardius in suis aedibus servant, mihique ea nuper ostenderunt.

In iisdem Hortis Clusini Episcopi ad hoc tempus exstant, multaque cum voluptate conspiciuntur, complura diversi ordinis capitula marmorea egregio opere vel Ionico, vel Corinthio, vel Composito confecta, quae perspicue satis indicant aliquod insigne templum, vel basilicam exornasse, cuius vestigia, praeter illa Theatri, & Thermarum, de quibus inferius dicam, inventa fuere ab erudito, ac nobili cive Alexandro Nardio, ut testatur Macchionius in memorata superius Dissertatione de origine Gentis Ciliniae pag. 182. Spectantur quoque etiam num pluribus in locis antiqua moeniorum Clusinorum, quae etiam laudat Virgilius AEneid. Lib. X. v. 167. memorans Clusinos & Cosanos AEneam ad bellum euntem secutos, vestigia, reticulato opere confecta, de quo Vitruvius disserit Lib. II. Cap. VIII.

Haec pauca breviter praefatus, ad illustrandam adlatam superius insignem aram *Virgini Dianae sacram*, quae praeteritorum temporum labe, vel civium incuria intercidit, gradum nunc facio. Ea enim instituti nostri ratio est ut

non

non laudes Etruriae civitatum, iam ſatis vulgatas repetamus, ſed antiqua, quae in iiſdem exſtant monumenta in publicum depromamus, & obſervemus. Votiva eadem ara eſt, quam Ordo Cluſinorum, nimirum Decuriones, Virgini Dianae vovit pro ſalute Imperatoris Caeſaris L. Septimii Severi Pertinacis, anno V. C. 948. at ortu vero Chriſti 195. Cluſini maxima ab Imperatore Severo conſecuti ſunt dubio procul beneficia; vel votis, & ſacrificiis eadem conſequi ſtuduere, uti diſerte teſtatur haec ara. Statuam in honorem eiuſdem Caeſaris paullo ante hoc tempus eos dedicaſſe, atque baſi impoſuiſſe, non obſcure indicat ſubiectus in ea titulus in hunc ferme modum.


In AEde S. Franciſci baſis marmorea.

4



Imperante M. Aurelio Vero dedicata fuit ara AEſculapio, & Hygiae pro ſalute CAII ET . . . POMPONIAE. Hanc voti reus dedicavit Epheſtas libertus, ſtatuitque, ut coniicio, in Cluſinis Balneis; nam ab his non procul inventa eſt, ut teſtatur Andreas Schiavettus Civis Cluſinus, diſſerens de Aquis, & Balneis S. Caſſiani, quod opuſculum editum eſt in Urbeveteri anno MDCVIII. De ſalubritate aquarum horum Balneorum multa egregio labore obſervavit V. C. Ioannes Baptiſta Mannaionius Medicinae Profeſſor, quas in lucem proferet.

Ara e lapide Tiburtino, ad Aquas Cluſinas, nunc Balnea S. Caſſiani.



5. Iuxta haec balnea apud veteres valde memorata, ac celebrata, templum non modo AEſculapii & Hygiae, verum etiam Apollinis fuiſſe non obſcure indicat alia votiva tabula marmorea, quae ibidem inventa eſt, & in hunc modum inſcripta.

6 PRO

6 PRO . SALVTE
TRIARIAE : A
POLLINI. SAC

Constituebantur iuxta balnea hospitia pro his qui valetudinis causa ea convenissent, quemadmodum de balneo publico Hispellate, eo loci condito, quem eis Augustus dono dedit, scribit Plinius Secundus Lib. VIII. Epistola VIII. Balnea Clusina a Porsena rege primum condita fuisse cives autumant, ut augustiorem antiquitatem faciant. Clusinos fontes aquarum salubritate insignes celebrat Horatius in Epistola XV. Lib. I. ad Numonium Vaalam, quod aegro capiti, & stomacho mirum in modum mederentur; ait enim:

Qui caput, & stomachum supponere fontibus audent;
Clusinos, Gabiosque petunt, & frigida rura.

Gabinae aquae in Sabinis erant, eaedemque valde celebres. Urbem hanc vetustissimam Sullae tempestate haud eversam deletamque fuisse constat Appiani auctoritate de Bello civili Libro I. etsi aliqui contrarium dormitantes scripserint; confirmatque ingens marmoris Tiburtini fragmentum, quod ad hoc tempus exstat, visiturque in ea via, qua itur ad Cathedralem Ecclesiam, hac epigraphe inscriptum, quam eiusdem Dictatoris statuae suppositam fuisse auguror. Fragmentum statuae vidi in via iuxta Portam S. Petri, ni fallor, quam forte Clusini in honorem Sullae, vel alicuius Patroni, & Defensoris Coloniae suae, de quibus paullo inferius dicam, publico in loco dedicarunt.

L. COR-

7 L. CORNELIO. L. IIIII
SVLLAE . FELICI
DIC.

7. Hoc monumentum positum fuisse videtur annis unum supra octoginta ante adventum Christi, eo sane tempore quo Sulla titulum Dictatoris assumsit; atque devictis, profligatisque hostibus, difficilique proelio iuxta Clusium cum triginta milibus militum Carbonis, duce Pompeio, in aciem progressus, victoriaque potitus, Felicis cognomen accepit, auctore eodem Appiano. Id ipsum ut confirmem, insignem opportuno in loco adferre libet inscriptionem palmaribus litteris incisam in rupe inter Atinam, & Soram, prope oppidum quod vulgo dicitur *la Villetta*; quae detecta fuit anno MDCCXXIII. dum publica via reficeretur. Hanc Vir Clarissimus, & eruditissimus Matthaeus AEgyptius I.C. Neapolitanus communicavit cum Caietano Berenstadt humanitate, & litterarum amore ornatissimo, ipse vero mecum. Hoc igitur modo rupes inscripta est.

IOVI
QVOD . PERICVLVM.
FELICITER . EVASERIT.
L . SVLLA
V . S . L . M.

Meminit Triumviri iterum iuri dicundo Clusii hoc fragmentum inscriptionis, quod exstat sub pulpito Ecclesiae S. Mustiolae Martyris. 8. Ne-

8 . . . .

. . . .

S. III. VIR. ITER. I. D. CLVSI.

8. Neque vero Clusini Sullae tantum Dictatori publicos honores decrevere, verum etiam constituto reipublicae Romanae imperio, summaque eius in unum Augustum principem delata, cura amicorum, potentissimorumque virorum Maecenatis, & Agrippae, iisdem forte Patronis Municipii, & Coloniae suae, statuas, ut arbitror ex his titulis, quos adfert Macchionius pag. 161. erexere.

9 C. MAECENAT

10 M. AGRIPPAE. L. F

COS.

Insignes alios Patronos sibi cooptasse Clusinos, eosdemque ob amorem, & studium bene de eis merendi summis honoribus adfecisse, colligere possumus ex hoc ingenti fragmento epigraphes, quod ibidem insertum est in angulo exteriori Domus Paulotianae, atque ex ara, quae sequitur.

11

PATERNI PRO

TRONO OB A

In Ara marmorea posita ad parietem viae, qua itur ad Arcem.

12

H O N
L. TIBERIO. MAEFANATI
BASILIO. V. C EX PRAETORIBVS XV P. E.
DEFENSORI ORDINIS ET CIVIVM
DECVRIALI VRBIS AETERNAE
OB HOC QVOD FIDE CIVES SVOS
POPVLVMQVE CLVSINVM INTEGRITATE
GVBERNARIT AMORE DILEXERIT
LARGITATE SVBLEVARIT HVMANI
TATE FOVERIT PRO MERITO ERGO BENEFI
CIORVM VNIVERSI STATVAM LAE
TANTES VOTIS OMNIBVS OBTVLERVNT

12. Suspecta mihi est haec inscriptio pluribus de causis, atque his potissimum, quod quum in marmorea basi scribenda foret, in ara volutis superne ornata scripta sit; fortassis deleta priori epigraphe, eiusque in loco hac exarata.


rata. Ni etiam mea me fallit memoria in lateribus sculptus est urceus & patera, quae in aris tantum Deorum superum, & Manium observantur, non vero in basibus in honorem summorum virorum positis, cuius generis haec ipsa est; quare in principio scriptum est HON nimirum HONORI, non secus ac in aliis huiusmodi apud Gruterum, Sponium, Fabrettum, & Donium cernitur. Praeterea litterae, quae hodie supersunt (nam priorum quatuor versuum valde iniuria temporum extritae, vel maxima ex parte deletae sunt) minime aequales sunt, & constanti ductu elegantique exaratæ, sed nunc laxiora habent spatia, nunc densiora, nec eamdem servant aequalitatem. Si viri docti genuinam censeant hanc inscriptionem, nihilque Romano stilo repugnare, facile dixerim ex basi vetustiori, quae interciderit, in hac ara renovatam scripturam fuisse.

Tiberia familia haud incognita est antiquariis. Mentio eiusdem fit in lapide Fabrettiano Cap. III. n. 427. Bartholomaeus Macchionius edidit hanc inscriptionem in praecitato opusculo, verum multis mendis corruptam. Eamdem exscripsit doctissimus Ioannes Baptista Donius ex Schedis Bibliothecae Vaticanae, sed paullo aliter. In secundo, & tertio versu ita interpretor: *Ex Praetoribus Quindecim Populorum Etruriae*. Horum diserte fit mentio in Gruteriano lapide CCCLXXXV. 1. atque in Reinesiano, Classe VI. n. CXIV Deinde causae adferuntur statuae publicis votis dedicatae L. Tiberio Maesanati Basilio Viro Clarissimo, quae plerumque ex oratione panegyrica desumebantur, quae recitabatur in solemni publicoque conventu, vel quum ludi, vel munera gladiatoria a populis in theatro in honorem virorum de republica optime meritorum ederentur. Nam iisdem populus quum adclamaret, statuas, bigas, aliosque honores petebat.

Clusinos in tribu Arniensi, sive Arnensi suffragia tulisse, facile colligi potest ex sequenti inscriptione. Dicta autem est ab Arno Etruriae flumine, auctore Livio Libro VI. propter novos cives anno urbis CCCLXVIII. a Censoribus addita.

Arcula marmorea perelegantibus encarpis, & arietinis capitibus ornata, quae in Cathedrali Ecclesia inservit aquae lustrali fidelibus ministrandae.


13




13. Haec inscriptio cum mendis edita est in Gruteriano Thesauro pag. DXLIII. 6. & apud Macchionium pag. 181. itemque apud Sigonium de antiquo Iure Italiae Lib. III. Cap. III. Iosephus Scaliger in Gruteriano Indice tum Capite VI. eorum quae ad rem militarem, & bellicam pertinent, tum Capite VII. Officiorum Domus Augustae & privatae, enumerat munus *Evocati Augusti a quaestionibus*: verum in Capite dumtaxat VI. recensendum esse non dubito: nam Evocatos Augustorum non libertos, sed ingenuos, & ex equestri ordine fuisse satis superque constat. Quod vero neque inter magistratuum minorum officia, & dignitates connumerandum sit, sed inter militaria tantum, in hanc sententiam adducor auctoritate antiqui lapidis Gruteriani pag. DXLV. 6. in quo memoratur Iulius Flavinus Comes, sive Comitus Legionis Septimae, Geminae, Felicis, qui QVAESTIONARIVS fuisse dicitur.

Huius igitur Q. Gavii Clementis civis Clusini Evocati Augusti a quaestionibus officium in re militari forte fuit quaestio-

quaestiones inter milites cognoscere, vel de iure belli, vel quum dubia res esset & incerta in expeditionibus, aliisque ad rem bellicam pertinentibus causis, iudicium ferre. Bartholomaeus Macchionius hanc ipsam exhibens inscriptionem, ut diximus, in ea esse sententia videtur, ut ad eum pertineret quaestiones cognoscere & iudicare, quae circa auguria, ostenta, & prodigia frequenter oriebantur: nam Clusii nominatissimum fuisse vetustissimumque Augurum, seu Haruspicum Collegium ostendit testimonio harum sepulcralium urnarum ex Tiburtino lapide, quae litteris antiquissimis, & priscae consuetudini Etruscorum inscribendi sepulcra longe simillimis, sculptae sunt. Ex his prima, quae a me producitur, exstat in AEdibus Illustrissimi Viri Claudii de Samuellis Nobilis Viri Clusini, ex Equestri Ordine D. Stephani, quem propter eius in me singularem humanitatem honoris causa nomino. Altera vero in agro Clusino inventa, ubi nam hodie exstet incompertum mihi est.





14. ARRESPEX ita scriptum propius forte ad Etruscum nomen, quod postea *Aruspex*, & *Haruspex* scribi coepit.

Quaestionis ortae de pecunia solvenda, fit mentio in hoc fragmento aereae lamellae, ad hunc diem inedito, quod Clusii inventum est; cuius hodie apographum dumtaxat exstat inter Schedas Nobilis Viri Innocentii Nardii, qui mecum communicavit.


16

QVEIS M. VLAIVM . EIVS
OQVE . VTEI . EA . FIM/ F PRIMO
NEIS . PRAEDIBVSVE . EIVS . EX
T . QVOQVE . VXOREI . MATI . :
PERA . MAXVME . EVM REVM
T . EIQVE . EAM . PEQVNIAM . P
IOIVS.H.L. QVAESTIO. ERIT . CO
VE . IPSE . PARENS , SIT . QVOVE
E QVNIA.QVAE.DE.EA.RE.EX N
I F D D

Gaviorum familia Clusii valde numerosa fuit . Frequentes sunt sepulcrales tituli , uti ex his constat, qui extant in pavimento domus Nobilis Viri Dominici de Deis, atque in agro Clusino inventi fuere.


In domo Nobb. de Deis.

17



Ibidem.


18



Ibi-


Ibidem.

19



Ibidem.

20



Ibidem.

21



Ibidem.

22



Ibi-

Ibidem.

23

C. MESSIVS
L. FILIO. SVO.
FECIT
VIX. ANN. XXVI.

Ibidem.

24

C. A(LFIO
OPTATO
ALFIAE FELI....
PER ////// SS. PARENTES
PIISSIM..

Ibidem.

25

D . M
VICTORIAE
VAL. ATTIC.
ET. VAL. VICTO.
FIL. PIISSIM
VIX. AN. XV
MEN. VIIII
DIES. XXV. VII *sic*
CO

Ibidem.


26

D M
ANNEIE. C. F
PARTEN...
C. CLODIVS. L. F.
PRIVATVS
BENE ME


Ibi-


Ibidem. *Ibidem.*





In Aedibus Nob. Viri Claudii de Samuelis Equitis Ordinis D. Stephani.





In Horto Episcopi Clusini, Ara marmorea elegantissima, superne ornata aquila, & tribus Geniis encarpum sustinentibus, hinc & hinc columnis, & urceo, & patera.


31




31. Haec inscriptio non inemendata solum, verum etiam manca adfertur in Gruteriano Thesauro pag. DCCCXXX. 7. ut conferentibus liquebit.

In

32 *Ibidem.*



33 *Ibidem.*



In Ara ex lapide Tiburtino, iuxta AEdes Paulotianas.

34



Ad Scalas rusticae Domus Praedii Ill. Viri Henrici della Ciaia Equit. D. Steph.

35



In frontispicio Episcopii.

36

GELLIAE THAI
DI . FILIAE . KA
RISSIMAE . BENE
MERENTI . QVAE . V .
ANNIS . XXVII
MENSIBVS . IIII . D
EBVS VIIII O
MVNATIA
CALETYCHE PA
RENTES . PIIS
SIMI ////

In pariete exteriori AEdis S. Mustiolae V. & M.

37

CRASINI
O FLORO
CRASINIA
RVSCINIA
MARITO
B . M

Ibidem, sub protomis viri, & mulieris.

38

ISI
SANNVTIAE . L . SAENVS
PHILETE . S . V . P . SATVRN ///

In muro exteriori Horti Monialium S. Stephani.

39

Q. VETTIENO
IVSTO
Q. VETTIENVS

In Via ad Horologium.

40

DIS . MA
SEX . PETILIO
PRIMIGENIO
IVSTA
PATRI

40. Hunc titulum edidit Gruterus pag. DCCXXXVI. 4. in quem etiam vide Reinesium in Praefatione * 3.

Non

Non longe ab arcu DD. Britiorum ex Schedis Macchioniis.

41

SEPVLTVRA EORVM
SAGITTARIORVM
QVI IN BELLO
CECIDERVNT

In muro quodam.

42

D . M
MVRENIAE . L . F
IVSTAE
V. A. XXIX
MATER. ET. FRATER
B . M

Clusii, ex antiquo Cod. MS.

43

A. ORSMINIVS . IONICVS
SIBI . ET . VETVRIAE . PRIMI
GENIAE . VXORI
ORSMINIO. PRIMO. FILIO
ORSMINIAE . ANTIGONAE
MATRI

Ibidem.

44

D . M
M . PESCENNIVS
M. F. MESSIANAEVS
VIX . ANN . XX

Ibidem.

45

GAVIA . C . F .
PAVLLA

44. Haec inscriptio inemendata adfertur in Gruteriano Thesauro pag. DCCCCXX. 12

Quod vero Clusinorum decus, & gloriam auget quam maxime, est Christianorum veterum Coemeterium, quod lustravit observavitque eximius Vir Ferdinandus Ughellius, ut ipse testatur, Italiae Sacrae Tom. III. pag. 588. & descripsit V. C. Marcus Antonius Boldetthius Libro II. Cap. XIX. Observationum in Coemeteria SS. Martyrum. Bartholomaeus Macchionius in Descriptione Familiae Cilniae

 adfert

adfert eiusdem Coemeterii Icnographiam pag. 173. Milliario ab urbe Clusio alte sub terra conditum est; forte fortuna inventum quum puteus effoderetur. Proximum est Ecclesiae S. Mustiolae Virginis, & Martyris, quae olim fuit Regularium Canonicorum Praepositura, nunc vero divina officia in ea peragunt Fratres S. Francisci de Observantia; qui etiam cum ea coniunctum habent Coenobium. Excavatum est in lapide tophaceo: cuius sex viarum ambages supersunt, quae nunc adiri possunt, reliquae vero imperviae, & ruderibus occlusae, atque impeditae. Multas ferunt inscriptiones Christianas titulosque in eodem Coemeterio inventos, qui, nescio quo fato, vel potius civium incuria, periere; quare nos latent SS. Martyrum, & priscorum Christifidelium nomina, qui in eo conditi fuere, ut constat ex Actis S. Mustiolae Virginis, & Martyris, quae prae ceteris genuina, & sincera servantur in Codice MS. Abbatiae S. Salvatoris Cistercensium, quae commendat Ughellius. Hoc ipsum Coemeterium quum ego observarem summa cum voluptate VIII Kalendas Iunias, in eam sententiam concessi antiquorum Etruscorum opus fuisse, sub terra excavatum, ut mos eorum fuit, ad recondendos in urnis crematorum corporum defunctorum cineres; nam ceteris, quae in eadem Urbe, & extra Urbem Clusinam observavi, quaeque cives vocant labyrintha, simile omnino hoc est: quod tamen consecutis temporibus veteres Christiani in suum usum acceptum consecrarunt, expiaruntque; hinc inde excavatis in pariete tophaceo cryptis arcuatis, quae arcam super pavimento efformarent cum duobus vel tribus loculis, in quibus integra SS. Martyrum Christianorumque corpora reconderent; quos superne clausos fuisse tegulis maioribus ferunt, in quibus scripta eorum nomina, quae intercidere. In quibusdam eiusdem Coemeterii loculis observavi terram cum sanguine conmixtam, & ossium fragmenta, quae in eis supersunt. Ex Actis S. Irenaei Diaconi Sutrini, & S. Mustiolae Virginis, & Martyris, quae a Surio adferuntur die III. Iulii, constat multos Christianos impe-

rante

rante Aureliano Augusto, Praefecto vero L. Turcio Aproniano, pro Christi fide apud Clusium capite obtruncatos martyrii palmam obtinuisse: ad quos, quum in carceribus detinerentur, S. Mustiola Virgo nobilissima, natione Dalmatia, ut ferunt, Claudii Caesaris consobrina, relicta urbe Roma, Clusii degens, Christianae pietatis inflammata studio, noctu veniebat, dataque custodibus pecunia, intromissa in carcere eos solabatur, cibo fovebat, & pedes lavabat. Mox ipsa quoque, saeviente eodem tyranno, plumbeis virgis caesa quoad spiritum Deo redderet, gloriosi martyrii coronam feliciter consecuta est quincto Nonas Iulii, ut testatur Romanum Martyrologium. Videndus etiam Baronius ad annum CCLXXV. Purissimum corpus eiusdem Virginis, & Martyris servus Dei Marcus collegit, curavitque, & in eodem Coemeterio iuxta aliorum SS. Martyrum Corpora, ut perhibent, sepelivit.

Ecclesia postmodum in eius honorem eodem in loco a priscis fidelibus, quos inter primos recenset Ughellius, qui Evangelii lucem adspexere, aedificata est, atque de eius nomine appellata: quam postea Clusini cives nobilissimi, pietate & animi magnitudine insignes, rursum a fundamentis excitarunt, eidemque dedicarunt regnante Luitprando Longobardorum Rege, sedente in Clusina Cathedra Arialdo Episcopo, cuius supra meminimus; quique anno DCLXXX. interfuit Concilio sub Agathone summo Pontifice, de quo Baronius. Haec testantur duae tabulae marmoreae, quae exstant in eadem Ecclesia; quarum prima in pariete fixa est iuxta sepulchrum valde magnificum S. Virginis & Martyris Mustiolae; altera vero prolixior, quae a me adfertur, quaeque etiam antiquiori manu scripta mihi videtur, visitur inserta in pariete iuxta sacrarium eiusdem Ecclesiae. Utramque adfert Ughellius, sed valde mendis corruptam, vel mancam ex aliorum schedis; miror eum non descripsisse quum Clusium lustraret.

In

In Tabula e lapide Tiburtino, longitudinis palm. VIII. *altitudinis vero* III. *iuxta Sepulcrum S. Mustiolae V. & M.*

46

C ✠ XPE FABE VOTIS GREGORIO ET AVSTRE CONDEDOCIS
L QVOD MVSTIOLE OPTVLERVNT MARTIRE XPI
V HOC TEGMEN CIBVRII SVBLATA BETVSTAS
S QVE MELIORE CVLTV NOVILIORE REDIT
I CEDAT NOVITATI DIRVTI ANTIQVITAS LIGNI
O PVLCRIVS ECCE MICAT NITENTI MARMORIS DECVS
D OMVS MVSTIOLE MERITV BENERANDAQVE FEDIS
I ROSEIS VIRGINEIS CROCIS AMORE PARATVS
C NOVILIOR PROSAPIA QVI ET DE CLAVDII PROLEM
I CVIVS AVLE MOENIA A FVNDAMENTIS DICAVIT
T GREGORIVS ARMIPOTENS ET ROBVSTISSIMVS DO

In Tabula adsimili eiusdem fere longitudinis, & latitudinis, sed literis minoribus scripta antiquiori, ut videtur, manu; fixa in pariete iuxta Sacrarium eiusdem Ecclesiae.

47

NOBILIS VASTA NITENS REDIVIVA AN FABRICA TEMPLI.
REGIA PROGENIES ORNARVNT CVLMINA PVLCHRE.
FVLGIDVS VITA PIVS GREGORIVS APTVS VBIQVE.
HOC OPVS PATRARVNT LIVSPRANDI TEMPORE REGIS.
TRAMITES VT RECTO ARCADI POLLET IN ALTO.
MVSTIOLA PRAEVEAT TV POST GAVDIA ILLIS.
CELSVS VBIQVE SVIS CONCEDAT PROSPERA VOTIS.
MOX DABITVR PLACIDE SI NIL DVBITARIT OBERRANS.
MARTYRA SISEBVTI SIS MEMOR ALMA MISELLI.
XPE FABE VOTIS GREGORIO ET AVSTRE CONDEDOCIS.
QVOD MVSTIOLE OPTVLERVNT MARTIRE XPI.
HOC TEGMEN CIBVRII SVBLATA BETVSTAS.
QVE MELIORE CVLTV NOVILIORE REDIT.
CEDAT NOVITATI DIRVTI ANTIQVITAS LIGNI.

PVLCRIVS ECCE MICAT NITENTI MARMORIS DECVS. ❦
QVOD CVCVMEN CVLMENIS FACIENDVM CVRAVIT. ❦
O MVSTIOLE MERITVM VENERAVILI POLLET. ❦
ROSEIS VIRGINEVM CROCES AMORE PARATVM. ❦
CVIVS AVLE MOENIA A FVNDAMENTIS DICAVIT. ❦
PRISTINA SVBLATA INNOVAVIT POTESTAS. ❦

Sequentes quinque versus cum quinque superioribus modo relatis coniunguntur, adeo ut singulis lineis hae quoque respondeant.

❦ TEMPORIBVS D N LVITPRANDI CATHOLICO REGIS
❦ EXACTIS TRIBVS LVSTRIBVS ET ARISTIS DVOBVS
❦ ARCADI PRAE OLI TEMPORE RESTTVTA EST AVLA
❦ MVLTA PER INNOMERVS CONPLEXA MODICO VORSV
❦ GREGORIO CRISTICOLE COMPLEVIT IVSSA MON.

Post hanc Inscriptionem haec subdit Vghellius; quae in archetypo non leguntur: sed in alia tabula votiva scripta fuisse perspicuum est; quam tamen non vidi, sed exscripsi ex schedis V. C. Innocentii Nardii.

48

✠ EGO HANASTASIVS DIAC. OPTVLI
✠ MARTIRE XPI.
HIC DILECTA DEO RECVBANS MVSTIOLA QVIESCIT
CLARA PARENTATVM CLARIOR ET MERITO
DEO GRATIAS.

Exstant vero haec carmina, quae sequuntur, candido marmori insculpta, quae antiquitus exornasse arbitror sepulcrum S. Mustiolae Virginis, & Martyris; cuius marmoris duo fragmenta in muro impluvii eiusdem Ecclesiae hodie visuntur.

49 ✠

49 ✠ SPARGE ROSAS LECTOR ET LILIA CANDIDA PONE
ET RITE SACRVM SIC BENERARE LOCVM
VIRTVTVM GEMMIS ET MORVM FLORE VENVSTA
HANC IMITARE VELIS SI BONVS ESSE CVPIS.

49. Corpus eiusdem S. Virginis, & Martyris Mustiolae in eadem Ecclesia honorificentissime conditum, quotannis mense Maio statutis tribus diebus, confluentibus undique finitimarum aliarumque civitatum populis, & civibus, summo honore colitur, & ostenditur.

Insigniora haec urbis Clusinae monumenta lustravi summa cum animi voluptate fretus auspiciis, & humanitate singulari Reverendissimi D. Flavii Puccii Archipresbyteri Cathedralis Ecclesiae, eiusque fratris Iosephi Mariae, atque aliorum nobilium civium, quorum supra mentionem feci.

Inter illustres viros, qui Clusio patriae suae decus, & gloriam attulere sempiternam, praecipuo honore memorandus est Gratianus Iurisconsultus omni aevo clarissimus, qui Decretum compilavit; in cuius honorem Vexillifer, & Priores Clusini in Cathedrali Ecclesia ad virtutis incitamentum marmoream tabulam elogio inscriptam posuere; cui quidem multo antea Bononienses monumentum, & sepulcrum aere publico ad augendum aeterni nominis splendorem honorificentissimo in loco condidere.

IN-

INSCRIPTIONES
ANTIQVAE
POLITIANI.

POLITIANI conditorem fuiſſe Porſenam potentiſſimum Etruſcorum regem, apud cives pervulgatum eſt: verum quia id non conſtat ex vetuſtis monumentis, atque ex auctoritate priſcorum ſcriptorum; nobis haud conſentaneum videtur incerta pro certis obtrudere ut urbium principia auguſtiora faciamus. Neque etiam in eius origine, & antiquitate elucidanda nobis diutius immorandum eſt, quum Thomas Dempſterus de Etruria Regali Lib. VI. Cap. X. Politianum cenſeat fuiſſe coloniam Arretinorum, fretus Plinii auctoritate Lib. III. Cap. V. qui triplices facit Arretinos, nempe *Veteres*, *Fidenates*, & *Iulienſes*; quare hanc Vrbem *Arretinos Fidenates* eſſe exiſtimat. Verum quum idem Plinius in eodem loco bifariam dividat Cluſinos in *Veteres*, & *Novos*; facilius aliquis fortaſse crediderit Politiani cives antiquitus *Cluſinos novos* appellatos fuiſse. Antiquiſſimum hoc oppidum, precibus Coſmi I. Magni Ducis Etruriae, Epiſcopatus honore donatum eſt a Pio IV. e Medicea Gente Pontifice Maximo, anno MDLI. die X. Novembris, qui ſedem Epiſcopalem in eo erexit, ac ſanctae Sedi immediate ſubiecit.

Ab Etruſcis primum, deinde a veteribus Romanorum colonis valde cultum, & frequentatum fuiſſe apertiſſime docent antiquiſſimorum aedificiorum veſtigia, templa, balnea, nymphea, aquaeductus, ſepulcra, aliaque inſignia vetuſti aevi monumenta ibidem iam eruta, & ea quae in dies eruuntur, & quidem tanta copia ut ab erudi-

tis viris aliò asportata, nunc Romanorum, Florentinorum, aliarumque Urbium Museorum eximia sint ornamenta. Ea huiusmodi sunt signa Deorum ex aere, instrumenta sacrificalia, arma militaria, numismata, gemmae, urnae sepulcrales, cineraria, atque ossuaria, Arretina vasa, lucernae, annuli, fibulae. Priscas hasce eruditas reliquias, quae Urbium sunt praeclara decora, & ornamenta, multis ab hinc annis omni qua potuit cura, ac studio comparavit conquisivitque Vir Illustrissimus omnique laude ornatissimus Petrus Bucellius patria Politianus, qui generis sui splendorem ac nobilitatem studio, & eruditione antiquorum monumentorum illustrat, atque auget quam maxime. Neque etiam in patriam, atque in haec optimarum artium praesidia silendus est amor fratris eius Horatii Bucellii, qui de hisce Cimeliis, quae in domestico Museo priscarum elegantiarum refertissimo adservantur, optime meritus est.

Vetera Etruscorum monumenta, quae spectantur in Museo Bucellio in alio libro depromam aereis Tabulis incisa; Romana tantum proferre hoc in loco opere pretium censeo; quae etsi pauca sint, tamen Politiani antiquitatem, & splendorem non obscure declarant. Primum igitur exhibenda rursum est miliaria columna, in qua fit mentio Viae Cassiae, quae Etruriam discriminabat: quam Viam vetustate collapsam Hadrianus Imperator, veterum aedificiorum operumque studiosissimus, anno V. C. 872. Christi vero 119. quo etiam Traianum Augustum in Deorum numerum retulit, instauravit, atque a Clusinorum finibus Florentiam perduxit per plurima passuum milia, fuitque haec columna XXCI lapis. Via siquidem Cassia, a Cassio, qui eam stravit, adpellata, a Flaminia extra Pontem Milvium divisa, exibat per Bacchanum, Montem Rosulum, Sutrium, Vetrallam, Montem Flasconem, Vulsinios, Clusium, Arretium, Florentiam, Pistorium, Lucam, de qua Sex. Pompeius, Cicero in Philippica XII, aliique. Huiusce Columnae miliariae, quae nunc exstat Florentiae, ut superius diximus in Parte I. pag. 301. n. 34. inscriptio ita se se habet.

I IMP.

1 IMP. CAESAR
DIVI. TRAIANI
PARTHICI. FIL.
DIVI. NERVAE. NEP.
TRAIANVS. HADRIANVS
AVG. PONT. MAX.
TRIB. POT. VII. COS. III
VIAM CASSIAM
VETVSTATE COLLABSAM
A CLVSINORVM FINIBVS
FLORENTIAM PERDVXIT
MILIA. PASSVVM
....
....
XXCI

1. Insigne hoc monimentum, quod multum valet ad priscam dignitatem tum Clusii, tum civitatis Florentiae testandam, a nemine antea animadversum, primus notavit, & ad doctissimum Petrum Victorium, ut ipse testatur Var. Lect. Lib. XXXII. Cap. XII. misit Onuphrius Panvinius,

 omnis


omnis antiquitatis valde peritus, & horum monimentorum e tenebris eruendorum studiosissimus, quum Romam rediens e Gallia Cisalpina Montem Politianum accessisset; nam publico in loco haec miliaria columna posita cernebatur, litteris iniuria temporis non parum labefactatis, iuxta Politianum procul dubio antiquitus fixa, ubi etiam inventa atque eruta est, eoque in loco ubi Via Cassia a Clusinorum finibus Florentiam perducebat.

Ex antiquis sepulcrorum titulis, qui exstant in Museo Bucellio, atque in aliorum civium aedibus, quos modo produco, libet colligere Familiarum Romanarum nomina, quae apud Politianum antiquitus claruere; quorum etiam nonnulla ad hanc diem inedita, atque incognita sunt. Ea sunt *Anicia*, *Anainia*, *Anniana*, *Arria*, *Atia*, *Caesia*, *Cavia*, *Ceridonia*, *Clodia*, *Croenia*, *Marcia*, *Neria*, *Octavia*, *Paccia*, *Papiria*, *Passiena*, *Petillia*, *Publilia*, *Pupia*, *Satellia*, *Satria*, *Septumia*, *Spedia*, *Tabenia*, *Tabuia*, *Thoceronia*, *Titia*, *Tribonia*, *Vesia*, *Vibinnia*.

Cippus e lapide Tiburtino in Museo Bucellio.

2 


Cippus e lapide Tiburtino, ibidem.

3 


2. Hic sepulcralis cippus erutus est anno MDCCXVII. in agro

agro Mensae Episcopalis Politianensis, qui vulgo *la Pieve* dicitur, secundo ab Urbe miliario, quum fierent substructiones domus rustici, quo in loco adhuc exstant & spectantur complura antiquitatis rudera.

4 *In tegula fictili, ibidem.*



5 *In tegula fictili, ibidem.*



4. In his titulis illud praecipue notandum occurrit, quod rarum sane atque insolens existimo, neque ab aliis hactenus observatum fuisse video, nostros homines Etruscos postquam relicta patria lingua Romanam sensim amplexati sunt, primum consuevisse relicto patris nomine, quod praeferebant, matrem indicare, e qua nati fuerant, atque ex ea veluti cognomen desumere. Ita enim explicari posse videntur hi tituli, in quibus legitur SEPTVMIA NAT*us*. THOCERONIA NATVS. hoc est *Septumia* matre *natus*; *Thoceronia* matre *natus*. Contra vero Romani patris praenomen adponere consuevere, & quidem vetustissimis temporibus, eo tantum contenti: adeoque, ut notat Fabrettus Inscript. ant. Cap. III. pag. 240. & Cap. V. pag. 368. auctoritate Plutarchi, initio vitae C. Marii, omisso cognomine. Postmodum insecutis temporibus Tribus nomen adposuere & cognomen, quod saepe a nomine vel cognomi-

gnomine materno desumebant; uti observat idem Fabrettus Cap. IV. pag. 319. Peculiarem igitur hunc morem Etruscorum nostrorum accipiendi cognomen ex matre, e qua nati fuerant, frequenti horum lapidum auctoritate notare possumus; quem silentio praeterit Fabrettus, qui duos titulos apud Politianum inventos protulit Cap. IX. n. 380. 381. quorum alter easdem leges inscribendi tituli sepulcralis servat. Nonnullae tegulae etsi inter se similes sint, quod attinet ad materiam & figulinae opificium, tamen inscriptae sunt vel titulo Etrusco, vel Latino. Latina epigraphe, si characterum figurae, & ductus spectentur, prima originis apud Etruscos cunabula satis rudia repraesentant; quos characteres quum exhibere satis accurate non possint nostrorum typographorum maiores litterae, diligenter in aereis Tabulis incisos ad archetyporum exemplar, eos observabimus, Deo incoeptis favente, in Monumentorum antiquorum, ad hoc tempus ineditorum Syntagmate, quae ex omnibus Etruriae Vrbibus iam collegi, & in lucem edere meditor. Conabor etiam enucleatius investigare tempus, quando Etrusci nostri sensim relicto patrio sermone usum Latinae linguae amplexati fuerint: cui investigationi non parum lucis & praesidii suppeditabunt tegulae inscriptae, quae exstant in Museo Bucellio. Hisce tegulis Etrusci nostri obstruebant os sepulcri, quod vel in pariete, vel in ipsa tellure excavaverant; quod etiam apud Romanos in usu fuit, ut alibi observavimus. Praeter inscriptionem in hisce tegulis inciderunt etiam Etrusci unico linearis caelaturae ductu imaginem defuncti; quod ostendit Tabula LXXXIII. ad finem Tomi II. addita Dempsteriano Operi n. 10.

In tegula fictili, ibidem.

6 CRIISTO CROTNAS

In tegula fictili, ibidem.

7 A-IILBMIINA
SATRIA

In

In tegula, ibidem.

8 AR . SPEDO
THOCERVA
CLA'.

In tegula, ibidem.

9 VEL : SPEDO . CAESIAE

9. Inter voces duo vel tria puncta interponere mos Etruscorum fuit: itemque bigammatis frequenter usi sunt; quod etiam in his titulis factum observare est.

In tegula, ibidem.

10 IVIINIITII VIIIIi
ARRIA . N

In tegula, ibidem.

11 SIITHRII.CIIZARTLII.I.R.L

In tegula, ibidem.

12 Q. SPEDO . L . P

In tegula, ibidem.

13 CAINVO

In tegula, ibidem.

14 THNIA : SIVNIAII

In tegula, ibidem.

15 TAHNIA . ANAINIA
COMLNIAI . FIA

In tegula, ibidem.

16 ARRIA TANA:·A

In tegula, ibidem.

17 EXAAIXD
F

In urna fictili, ibidem.

18 VIIAISA
CARIIIA

In urna fictili, ibidem.

19 SETRE CEZARLE . L P . L

In

In urna fictili, ibidem.

20. SEX . ARRI . CEZTES

In urna e lapide Tiburtino, ibidem.

21. A MARCIV
RALI

In urna e lapide Tiburtino, ibidem.


22 ANICIAE
C . F .

In fundo paterae fictilis rubrae, ibidem.

23 PVB
TITI


In urna ex plastico lapide, ibidem.

24



In Cippulo marmoreo.

25




25. *Vesiae* familiae in unico tantum lapide Gruteriano pag. DCLXII. 2. fit mentio. Hic L. Vesius Verus fuit Miles Cohortis V. Praetoriae, qui quidem paucis annis militavit. Mater ei titulum posuit.

In

In Vrna e lapide Tiburtino, eruta in praedio Ill. D. Ioseph Avignonesi Baiulivi Ord. S. Stephani.


26



A. PAPIRIVS. A. F
SATELLIA NATVS

In Vrna e lapide Tiburtino, eruta in praedio eiusdem Nob. V. Ioseph Avignonesi, nunc apud Bonarrotios Flor.

27




C·PVBLILIVS.P.F.ARN
VIBINNIA . NATVS

27. Notatur in hac Vrna nomen quoque Tribus Arniensis, de qua superius diximus.

In Horto apud Montem Politianum, ex Schedis Senatoris Caroli Strozae.


28



D . M
L. PACCIO
ATTHALE
AMICO OPTIMO
PVPIA LACTVS

Ibidem.


29



D M
CERIDONIVS
TERTIVS
ATIÆ IANVARIÆ
ET TRIBONIO
ADIACTO

Iii *Ibi-*

Ibidem.

30


Ibidem.

31


In Urna adsimili e Tiburtino lapide.

32 SIIXI PAPIRIO AVRVNCI

In alia Urna adsimili.

33 SATELLIA . C. F.
VELIZA

Ibidem in alia Urna.

34 A. PAPIRIVS

In alia Urna, ibidem.

35 L . PAPIRIVS A . F
ARN.

Has Urnas alio asportatas fuisse arbitror , quum hodie apud Politianum non exstent : eas tamen ibidem detectas simul cum Etruscis Urnis in quadam Crypta testatur Spinellus Bencius , qui eas communicavit Donio meo viro praestantissimo. Catalogum Virorum sanctitate , dignitate, doctrina, belli pacisque gloria illustrium, qui hanc Urbem longe conspicuam , aeternoque nomine celebrem fecere, iterum adferre supervacaneum arbitror, & a meo instituto alienum; quum Thomas Dempsterus in lucem dederit Lib. VI. Cap. X. de Etruria Regali . In eodem Catalogo recensendus Eminentissimus ac Reverendissimus S. R. Ecclesiae Cardinalis BARTHOLOMAEVS MASSAEVS , doctrina, pietate , meritis in sanctam Sedem , ceterisque animi eximiis dotibus omni aevo praedicandus, qui summum patriae suae decus etiam num adfert.

AP-

APPENDIX

INSCRIPTIONVM ANTIQVARVM


QVAE

IN ETRVRIAE VRBIBVS

EXSTANT.

In aerea lamella, quae adservatur in regio Museo Mediceo.

1



MILITES quum ad alia maioris gradus officia ab Imperatoribus, vel a Praefectis militiae promoverentur, vel quum honesta missione donarentur, vota, quae susceperant, Diis solvebant. C. Veratius Faustinus miles Cohortis Tertiae Praetoriae, gratias agens numini Solis, votivam hanc tabulam aeream suspendit: In hunc fere modum P. AElius Amandus ex numero Equitum Singularium Augusti, accepta missione honesta, ex voto suscepto monumentum SOLI INVICTO DEO dedicavit, uti declarat inscriptio adlata a Fabretto Cap. V. n. 83.

Haec marmorea Tabula mutila, & manca nunc exstat in regio

2 INTROIVGIS . VI

MENIPPO.	CINIS	X			HILARO . AF.
. I AEGYPT .	PE	I			MACVL . AF.
. I PEGASO .	AF	I			AQVILIN. AF.
.I EVTONO.	AF	I			PEGASO . AF.
. I ADVOLA .	AF	I			COTYNO . AF.
AF . I DROMO .	HISP	I			SICA . AF.
AF . I PASSER .	AF	I			CIRRATO . AF.
AF . I LVPO .	AF	I			MELISS . AF.
GAL . I LVCIN .	AF	I			DELICATO . MAV.
F . I SILVAN .	AF	I			PARATO . AF.
AF . III .	EVTONO .	AF	.IV .		BALLIST
AF . III .	PYRALL .	AF	.IV .		ANDREM
F. III .	PARDO .	AF	.IV .		SPICVLO
F. III .	ROMVLO .	LAC.	V .		ROMVLO
F. IV .	RAPACE .	AF	.VI .		LVPO
. IV .	BAETIC .	AF	.VI .		PALVMB
. IV .	CAMM .	AF	.VI .		ROMVLO
. IV .	DAEDAL .	AF	.VI .		GLAPHY
. IV .	GAETVL .	AF	.VI .		BALLIST
. IV .	ALCIMO .		.VI .		MEMNO

LMAS SIBI COMPLEVIT QVOS

CALLID. AF. ∞ HILARO. AF

BALLIST. AF

CVL

2. Hoc fragmentum hodie exstat ; editum vide in Parte I. huius Operis pag. 38. n. LXIII.


Museo Mediceo; locupletiorem olim exscripsit Io: Baptista Donius.

II . PRAEMISIT . ET . C . T
OCCVPAVIT . ET VICIT . CCC
CII
I . HILARO . HISP . I BARB . AF . I VICTO
I ZMARAGD. AF . I CALLID . CYR . I HELIO
I DRAVCO . AF . I THELO . AF . I SIL
I ARANIO . AF . I ARIONE . AF . I
I EXACT . MAV . I HELIO . AF . I B
I PISTO . CYR . I HIRPIN . HEV . II LAII
I PVGIO . AF . I PALMAT . AF . II ASTE
I ANDRE . AF . I PASSER . TH . II OSS
I ROMAN . GAL . I CVTTA . AF . II DAN
I CANDID . AF . I PVGIO . AF . II CALI
. AF . VIII . ABASC . THE . XX EXCELL
. AF . VIII . ARCAD . AET . XVI ARACIN
. GAL . VIIII . LVPO . HISP . XXII CALLID
. AF . VIIII . SAGITT . AF XL . XIIX XL
. AF . VIIII . ATACTE . AF XXX . XXII AQVILA
. AF . VIIII . AETHER . AF . XXX XXX
. AF . VIIII . INGEN . ING . XXIIX AQVIL . M
. SPH . X . ARGO . APH . XXX PECVL
. AF . XIII . VICTORE . AF . XXXII XL
. LAC . XIIII . INNOCE . AF . XXIIX HILAR
EQVOS CE


Hoc alterum eiusdem inscriptionis fragmentum hodie non exstat: quod exscripsi ex Collectaneis Donianis pag. CCII.

Statueram in hac Appendice enumerare, ac describere antiquas omnes Gemmas, quae vel litteris, vel inscriptione ornatae sunt: verum quia nuper eas in lucem dedimus in Volumine I. & II. Musei Florentini, haud consentaneum visum est eas repetere. AErea lamella votiva, quam paullo superius vulgavimus n. 1. huius Appendicis, servabatur inter Cimelia Andreinia, quae paucis ab hinc annis in regium Museum Mediceum asportata fuere, una etiam cum his quae sequuntur.

In Museo Mediceo lamellae fragmentum.



In alia lamella ibidem.



In aereo sigillo ibidem.



In alio sigillo ibidem.



In alio sigillo ibidem.



In alio sigillo ibidem.



In

9 *In alio sigillo ibidem.*

C. VTI. L. A. F.
PESCENNINI

10 *In alio sigillo ibidem.*

SEX. IVLI
SEVERI

11 *In alio sigillo ibidem.*

M. ROMANIO
EVOKA. AVGG. N. N.

12 *In alio sigillo ibidem.*

L. RVFRI
FORTVNAT

13 *In alio ibidem.*

IVLI. VIB

14

TIGR
INE VI
VAS

15 *In alio ibidem.*

PEET C.
RICII ✠

Ibidem, in laterculo figulinae; cuius nota caput Africae.

16 IVVENTIO II. ET MARCELLO II COS. EX PR
Q. SER PVD CVR HEDYN

16. Alium huic similem laterculum profert Fabrettus Inscriptionum Cap. VII. n. 127. ex Museo Ciampinio, quem vide.

Floren-

Florentiae in Hortis Mediceis, vulgo Boboli, *in eleganti Urna marmorea undique striaturis ornata.*

17

D . M
TITO AELIO MONTANO AVG
LIB OPTIONI TABELLARI
ORVM OFFICI RATIONVM
QVI VIXIT ANNIS . LV . MEN
SIBVS . III . DIEBVS III

17. Hanc inscriptionem ego exscripsi IV. Kal. Augustas anno MDCCXXVII. In iisdem Hortis complura alia monumenta olim exstabant, quae operarum incuria periere. Sequentes titulos exscripsit Florentinus Gruterus Ioannes Baptista Donius; quos ex eius Collectaneis accepi.

Ibidem.

18

DIIS MANIBVS
OGVLNIAE PROBAE FECIT
N . OGVLNIVS HERMES
CONLIBERTVS CONIVGI
CARISSIMAE ET SIBI

Ibidem.

19

FLAVIAE CORONID
V . A . XXXX . M . II .
FLAVIA CAENIS
FILIAE PIENTISSIMAE

Ibi-

Ibidem.

20

D . M
OFILIAE IIIIIIIII FECIT
Q. FABIVS........S
CONIVGI KARISSIME

Ibidem.

21

C. TERENTIVS. ACTIVS
TATIAE TVCHE
CONIVGI CARISSIMAE *sic*

Ibidem.

22

D . M
L. VALERIO EVTYCO
FVRIA CLETE CO
IVGI. B. M. FECIT

Ibidem.

23

C. TERENTIVS ACTI
VIX. ANNOS LXXXV
FECIT TERENTIA
THALLVSA PATRONO
BENEMERENTI SVO

Ibidem.

24

O D M C VALERI T
L. SVCCESSI HIEROT
B. ET ROMANA FILI. L
Q. CARISSIMO. V. A. XI
M. XI. D. XIII

Ibidem.

25

D ♂ M
L. VALERI CRESCEN
TIS FECIT IVNIA EV
RESIS CONIVGI SVO
B. M. ET SIBI CVM QVO
VIXIT ANNIS XIII

Ibidem.

26

M. METILIVS M. F. TER.
RVFVS
PR. PROCOS
PROVINCIA ACHAIA FETIALIS

In imo latere.

CVRATOR VIAE AVRELIAE

In altero latere.

LEGATVS
AVG

In Palatio Seren. Cardinalis Medicis ad S. Marcum v. il Casino.

27

TI. CLAVDIO
FORTVNATO
EREPTO FATIS
INIQVISSIMIS

Ibidem.

28



CAECILIA SABINA

26. In toto Gruteriano Thesauro unica tantum est inscriptio, in qua FETIALIS fit mentio p. MCVII. 4 Penes Fetiales belli, pacisque faciendae foederisque feriundi ius erat.

Ibi-

29 *Ibidem.*

T. CAMVRENVS SP. FILIVS
CELER . VIX . ANN . XXXI
M. XI. D. XV. T. CAMVRENVS
EROS PATER ET CAMVRIA
TYCHE LIB. BEN. M. FEC

30 *Ibidem.*

D . M
TROPHIMES
PRAESTINVS
CONIVGI SVAE
BENE MERITAE
FECIT

31 *Ibidem.*

D . M
SEX. LICINI
DIONYSI

32 *Ibidem.*

D . M
C TERENTI
C. L.
EROTIANI

In Sacello domestico Marchionum Riccardiorum, in quo iacent corpora SS. Ianuarii & Sociorum Puerorum.

33 IANVARIO BENI
MERENTI QVI VIXIT
ANNOS II ET M VIII
D VIII ♂

34 *Apud Guicciardinios ex Collect. Donianis.*

M. IVLIVS. AVGVSTAE. L.
MENANDER
IVLIA FAVSTA
MENANDRI

35 *Ibidem.*

STATIRA
ANTONIAE. DRVSI. L
AE. DRVSI. L.

34. Inscriptiones quae nunc exstant Florentiae in Vrbanis Hortis Eccell. Principum Corsiniorum olim adservabantur apud Nobilissimum Virum Petrum Guicciardinium; e cuius aedibus in Hortos Corsinios postea translatae. Complures Tituli sunt qui pertinent ad Libertos, & servos Liviae Augustae, & Cesarum. Id mihi innotuit ex Collectaneis Praeclarissimi Ioannis Baptistae Donii, qui hos, & sequentes exscripsit Titulos, qui intercidere.

36 *Ibidem.*

IANVARIVS. IN. BIMATV. OBIIT. IANVARIA IN....
AN. IIX. OBIIT. HYPATVS. PATER. ET. ERATE MATER
EMERVNT. OLLAS IIXXXXX AB. C. SALIO. OPTATO
C. SALI. EROTIS. LIBERTO

37 *Ibidem.*

PRIMA LIVIAE. OPSTETRIX. ASTEROPE
MAXIMI. EPHICARIS. MAXIMI. MATER

Ibi-

38 *Ibidem.*

LIVIA . PHILEROTIS
ARGEN . L . ALBANA
CORNELIA TROPHIM

39 *Ibidem.*

IS . DISP. IS
DONAVIT
IVLIO ATIMETO
VESSIANO

40 *Ibidem.*

NICE . LIVIAE . L
ORNATOR
ARISTO . LIVIAE . L

APHAREVS . IVLIAE
AVG . L . OPSON
DAT
LIVIAE HILARAE

41 *Ibidem.*

HYGINVS. LIVIAE
MEDICVS

CALLITYCHE. LIVIAE
SARCINATR

42 *Ibidem.*

XENO
ANTONIAE. DRVSI. IAN
MALCHE ANTONI

43 *Ibidem.*

NICOLAVOS . OREI . L .
BYZYGES. AVGVSTI. SER.
MAECENAT
DED. OREVS. LIVIAE. L.

Ibi-

Ibidem.

44

MACARIA	HILARVS . LIVIAE OST VRBAN

Ibidem.

45

PRIMIGENI LIVIA FILI
VT . . . . RID

Ibidem.

46

PRIMI . CAESARIS . L.
LVCANOS FEROX
IVLIANVS

Ibidem.

47

TI . CLAVDIVS	TI. C
GERMANICI . L.	TH
AGILIS	HEL

Ibidem.

48

TI . CLAVDIVS . AVG . L.
THEODOTVS . VIXIT
ANNOS . L .

Ibidem.

49

TI . CLAVDIVS
GERMANICI
L . HERACLA

Ibidem.


50

C . IVLIVS . C . CAESARIS
L . IVLIAE . EVCHE
DEDIT BENIGNA


Ibi-

Ibidem, nunc vero in Urbanis Hortis Corsiniis.

51



52 *Ibidem.*




51. Hanc inscriptionem integram edidit Fabrettus Cap. III. n. 279. verum non bene dispositis lineis, sed variatis. Nos mancam, ut hodie visitur, supra vulgavimus in Parte I. pag. 150. n. 65. Integram debemus Iohanni Baptistae Donio, qui exscripsit.

Notare hoc quoque loci non abs re ducimus, inscriptioni superius adlatae in Parte I. pag. 125. n. 13. praeponendam esse, & una cum ea coniungendam inscriptionem ibidem editam n. 8. adeo ut dedicata fuerit pro salute Marci Aurelii Severi Antonini, eiusdemque coniugis Iuliae Augustae Matris Castrorum, duobus Aspris Consulibus.

Florentiae, in Museo Dom. Comitum ex Gherardesca, in aheneo sigillo.

53



Ibidem in lucerna fictili, in qua sculptae tres Gratiae.

54 L. CAESAR

In alia ibidem.

55 CLODIVS


53. In vetustis manu conscriptis codicibus frequenter occurrit

currit bigamma ꝸ. pro or ; verum in antiquioribus monumentis Graecis, quae maioribus litteris sculpta sunt, praeter quam in hoc aheneo sigillo haud memini me observare.

Florentiae, in AEdibus Cl. Senatoris Camilli Pandolfinii Patricii Flor. in Urna marmorea elegantissima, ornata capitibus arietinis, aviculis, & encarpis.



In tessera ossea penes me.



In tessera eburnea, sportulae figuram exhibens penes me.



57. Haec tessera gladiatoria, quam inter mea cimelia servo, par Consulum ad hoc tempus viris doctis incognitum ex sinceris vetusti aevi monumentis nobis exhibet, nimirum C. Vibium Postumum, & C. Ateium Capitonem; qui, imperante Tiberio Augusto, suffecti fuere M. AEmilio Lepido,

do, & L. Aurruntio Nepoti, qui Consules fuere V. C. anno DCCLIX. Christi vero ab ortu anno sexto. Ludi gladiatorii editi memorantur X. Kalendas Augustas; in quibus spectatus Cinnamus, & rude donatus. Perperam, & contra auctoritatem ac fidem antiquorum numismatum, lapidum, atque huius elegantissimae tesserae aliqui scribunt ATTEIVM pro ATEIVM; inter quos notandus Ioannes Glandorpius in Onomastico Romano. C. Ateius Capito Iurisconsultus fuit aetate sua in Vrbe celebris, qui praefuit curationi aquarum & Tiberis, teste Tacito, Annalium Lib. I. n. 79. *Actum deinde in Senatu ab Arruntio, & ATEIO, an ob moderandas Tiberis exundationes, verterentur flumina & lacus, per quos augescit: auditaeque municipiorum & coloniarum legationes; orantibus FLORENTINIS, ne Clanis solito alveo dimotus in amnem ARNVM transferretur, idque ipsis perniciem adferret. &c.* Decessit anno octavo imperii Tiberii Caesaris, cuius magnificus adulator fuit. Reliquit Commentaria in duodecim Tabulas, Collectaneorum libros XXVI. de iure Pontificio septem, de Senatoris officio unum, de iure sacrificiorum decem; & Commentarium de iudiciis publicis: ex quibus monumentis multa citantur apud Gellium, Macrobium, Pompeium, Frontium, & Marcellum.

58. Eburnea haec sportula numero VII. consignata, ex eo genere missilium, ut arbitror, fuit, quae in vulgus spargebantur in Circensibus ludis, vel die natali principum, vel in Saturnalibus, vel in adeptione dignitatum atque honorum; quam, qui consequebatur, septem sportulas, praemii vel donarii caussa, debebat accipere. Huiusmodi opportunitatem nactus, libet ex Suetonio audire, quae in spectaculis sparserit Nero Caesar, ut ipse narrat in eius vita Cap. XI. *Sparsa & populo missilia omnium rerum per omnes dies singula quotidie millia. Avium cuiusque generis multiplex penus, tesserae frumentariae, vestes, aurum, argentum, gemmae, margaritae, tabulae pictae, mancipia, iumenta, atque etiam mansuetae ferae, novissime naves, insulae, agri.* Sed de his aliisque huiuscemodi tesseris alibi fusius.

Florentiae, in Museo Illustriss. Iulii Morellii Patricii Flor. Equitis D. Stephani.

59

C.MARCIO.C.F.POL
MVTINA.PATRI
MARCIAE.C.L.MATRI
MARCIVS.C.L.PAMPH
ILVS . . . .

Ibidem in aheneo sigillo.

60

L. FVFICI EN
DYMIONIS

Ibidem aliud.

61

L. DECI
SE ■■■■■■

Lego: SEVERINI

Florentiae, apud Donios.

62

DIIS . MAN.
DOMITIAE . SELEVCIDI
FECIT. T. FLAVIVS. VERNA. ET
FLAVIA. SELEVCIS. FILIAE SVAE
PIENTISSIMAE . VIXIT . ANNIS
VI . MENS . IX . DIEB . XXV

Ibidem.

63

D . M
TI CLAVDI
FLORENTINI
NARCISSVS
LIB . ET .
FRATER
B . M . F .

Ibi-

64 *Ibidem.*

AVR . EVBODIVS ET
AVR . RVFINIANE
PARENTES FILIO
DVLCISSIMO . EV
BODIO . QVI . VIXIT
AN . XVIIII . MESS
VIII . BENEMEREN
TI . IN PACE

65 *Ibidem.*

D . M .
FELICLAE . CAES
N . SER . SALVIVS
CONSERVAE . B .
M . FECIT

Ex Schedis autographis Iohannis Baptistae Donii.

In Domo Frati in Valle profunda.

66
MO
SENTILLA
ASTEROPE
PATRI PIENTI
SIMO

In Horto templi S. Laurentii a Vicchio, *in Agro Ripolitano prope Florentiam.*

67
TVNNI
IOVIS
C. CEVNA
IVSTVS
X . ARG . P . X

67. TVNNI IOVIS. Vitiose descriptum hunc lapidem puto in primo versu. Descriptum ad me misit V. C. Vbertus Benevolentius nuper fato functus, ex Collectaneis Petri Tancredi, in quibus haec notata erant. *In quadrato marmore, quod basis quondam fuerat Sacelli, nunc vero saxeam mensam sustentat in Horto Templi S. Laurentii* a Vicchio, *in Agro Ripolitano prope Florentiam.*

In fine Bucolicorum Vergilii MS. in Bibliotheca Medicea ad D. Laurentium exstant haec litteris maioribus scripta.

TVRCIVS RVFIVS APRONIANVS ASTERIVS VC ET INL. EX COMITE DOMEST. PROTECT. EX COM PRIV LARGIT
EX PRAEF. VRBI PATRICIVS ET CONSVL ORDIN LEGI ET DISTINCXI CODICEM FRATRIS MACHARII VC
NON MEI FIDVCIA SET EIVS CVI SI ET AD OMNIA SVM DEVOTVS ARBITRIO XI KAL. MAI ROMAE

P. VERGILI MARONIS

DISTINCXI EMENDAVI GRATVM MIHI MVNVS AMICI SVSCIPIENS OPERI SEDVLVS INCVBVI

BVCOLICON LIBER EXPLICIT

TEMPORE QVO PENACES CIRCO SVBIVNCXIMVS ATQ: SCENAM EVRIPO EXTVLIMVS SVBITAM
VT LVDOS. CVRRVSQ. SIMVL VARIVMQ: FERARVM CERTAMEN. IVNCTIM ROMA TENERET OVANS
TERNVM QVIPPE SOFOS MERVI. TERNA AGMINA VVLGI. PER CAVEAS PLAVSVS CONCINVERE MEOS
PRETIVM IN QVAESTVM FAMAE CENSVS IACTVRA CVCVRRIT NAM LAVDIS FRVCTVM TALIA DAMNA SERVN
SIC TOT CONSVMPTAS SERVANT SPECTACVLA GAZAS FESTORVMQ. TRIVM PERMANET VNA DIES
ASTERIVMQ. SVVM VIVAX TRANSMITTIT IN AEVVM QVI PARCAS TRABEIS. TAM BENE DONAT OPES

INCIPIT GEORGICON LIB. I FELICITER

QVISQVE LEGIS PERLEGAS FELIX PARCASQVE BENIGNE SI QVA MINVS VACVVS PRAETERIIT ANIMVS

Huic Codici praepositum est hoc pulcherrimum, & elegantissimum epigramma insignis Poetae Achillis Statii Lusitani.

Purpureos sparge in frontem atque in cornua flores,
Albaque ter plenis lilia da manibus.
Namque vides saecli monumentum insigne prioris,
Quo neque nobilius, nec prius exstat opus.
Felix sorte tua & vita, MARO, dignior, unum
Hoc superest de tot millibus archetypum.
Maecenas, ne tu cum re simul ipse perires,
Arma feri iussit militis esse procul.
Et tua, RODVLFI, quae non obliteret aetas
Ulla, piae servant haec monumenta manus.

Codex est quadratus, forma in 4. membranaceus, litteris maioribus scriptus, de quo Henr. Noris Cenotaph. Pisanor. Dissert. IV. S. I. disserit, qui tamen hanc inscriptionem inemendatam, & mancam protulit pag. 431.

Textum Vergilianum multo certe tempore ante emendationem exaratum esse, ex eo colligi potest quod inscriptio Turcii Aproniani Asterii interposita est inter lineas finis, seu conclusionis libri Bucolicorum, & titulum Lib. I. Georgicon, uti etiam hoc exemplar perspicue ostendit.

In lin. 3. CVI SI ET. Noris perperam edidit CVI SIT. Facile fortasse hic locus interpretari poterit, si coniunctim legatur, CVI SIET. nam verbum *siet* a Plauto praesertim frequenter usurpatur.

Initio 10. lineae, quum dicat IN QVAESTVM, & in margine interiori Codicis scriptum sit PRETIVM, quibus in locis superne addita cernitur linea cum puncto superposito, glossema est; videturque loco IN QVAESTVM reponendum esse IN PRETIVM. quam lectionem praeferri alteri forte voluit Turcius Asterius; nam ab eodem addita videtur; idque declarat simillimum scribendi genus, & characterum simillima conformatio, atque idem atramentum. Haec vero

ro & alia notatu digna accurate expendet in Dissertatione, quam parat amicus meus Vir doctissimus Antonius Cocchius Medicus Florentinus & in patrio Athenaeo Philosophiae naturalis Professor, qui etiam eiusdem Inscriptionis seu Subscriptionis antigraphum aeri incisum viris doctis exhibebit.

In Ecclesia S. Mariae a Novoli, *adnexa Ecclesia S. Christophori* in Perticaia, *iuxta vas Aquae lustralis.*

69

AEDILI . IIII VIRO
PONTIFICI
REGI . SACRVM
C . M V R R I V S
EVCARISTVS
PATRONO . B . M

In Museo suburbano Strotio olim extabant sequentes tituli sepulcrales, sed interciderunt.

70

M . LOLLIVS....
HIC SITVS EST
PHILARGYRVS.
NOLI DOLERE
EVENTVM.....

71 *Ibidem.*

EN SOPHIORVM
M . . . .

69. REGI SACRVM. id est REGI SACRORVM. Rex sacrorum, qui & Rex sacrificulus dictus est, quibusdam sacris praeerat, quae per eum tantummodo celebrari decebat. Creabatur comitiis centuriatis ex ordine patriciorum, ut Cicero scribit pro Domo sua. Eius uxor Regina sacrorum dicta, quae & ipsa aliquot sacra facere solebat. Sed de huius Sacerdotii institutione, munere, dignitate non pauca invenies apud auctores, quos Eques Sertorius Ursatus de Notis Romanorum enumerat.

Ibi-

Ibidem.

72

Q. FABIVS
PHILINVS
VIXIT ANN. XXX

Ibidem.

73

C. ASINIO . . : .
VIRO. BENEMERENTI
ET . HELAS . FECIT

Ibidem, in lignea basi inaurata.

74

HOC SANCTVS PAS
TOR MVNVS SVB
LIME ROSARVM
MARTINVS QVINTVS
DEDIT HIC PRO LAV
DE PERENI. AÑO MCCCCXVIIII.

Inscriptio litteris pictis in tabula fictili della Robbia.

75

MESERE . GORO . DI PIERO . BEF
ANI. CHALONICO . DI SA LOREN
ZO . E PIOVANO . DI SAN DETOLO
RETORE . DI SAN BARTOLO IN T
VTO . VISE . ANN 59 . MORI A DI 20
D AGOSTO 1499.

In Agro Florentino, in praedio Tauli Machiavelli.

76

REMNIAE
PRIMIGENIAE
CORONARIAE
IN. AGR: P. VI.

In agro Flor. ex Schedis Vinc. Borghinii.

77

C. LAVSENNA . M. F.
SCA . PROCVLVS
FLORENTIA
MIL . COH : VIII
PR . 7 . MAGI

76. CORONARIAE . Feminae, quae coronas nuptiales, con-

convivales, funebres, & facras faciebant, vendebantque *Coronariae* dicebantur. Feminae Coronariae iconifmum in hoc opere nunc primum in lucem proferimus ex antiquo anaglypho Sarcophagi, qui exftat Florentiae in Templo S. Iohannis, ubi de iifdem plura.

In Villa fuburbana Clarifs. Senatoris Ferrantis Capponii, Comitis, & Equitis, Patricii Florentini, ad primum lapidem extra Portam Romanam in Arce veteri, vulgo Arcetri.

78

C. PONTIVS. C. F. SCAP.
NASO . IVNIANVS
PAVLINVS
VIX . ANN . XXXXI

78. Hanc ipfam infcriptionem cum mendis editam a Vincentio Borghinio pag. 288. de Origine Urbis Florentiae, cum iifdem mendis vulgavit etiam Gruterus pag. DCCCLXXXV. 8. Nos quoque fuperius inemendatam exfcripfimus in Par. I. pag. 443. n. 75. huius Operis. Nunc vero caftigatiffimam diligenterque exfcriptam iterum exhibemus: nam e loco fuo dimotam, temporum iniuriis, diraeque voracitati iam diu expofitam opportune vindicavit conquifivitque V. C. Ferrantes Capponius Patricius Florentinus Senator Ampliffimus, nec non Comes, & Eques, & in amoeniffima fua Villa in *Arcetri*, (quafi, ut aliqui putant, in *Arce veteri*) ne & otium ipfum fine eruditione fit, collocavit; eo loci pariter difpofitis omnibus antiquis infcriptionibus, quae apud Donios olim exftabant, quas etiam in Par. I. huius Operis in lucem dedimus pag. 287. & fe-

& ſequentibus. Inter eas vero, quae apud Donios adſervabantur, ad hoc tempus ineditae fuere ſequentes, quas numero 79. & 80. heic adducimus.

Ibidem in orbiculo marmoreo.

79

D . M
M . AVRELIO AVG.
LIB. ISIDORO MEL
LOPROXIMO A RATIO
NIBVS. AVRELII. HER
MES. ALVMNVS. ET OLY
CON NVTRITOR. ET
MAXIMVS . BENE
MERENTI . FE
CERVNT

Ibidem.

80

D . M
VLP. FORTVNATAE
VIX. AN. LXXX. B. M
FEC. P. AEL. HERMES. IVS
SO. VLP. CHARIDIS. FIL

In Horto Plebis S. Mariae de Carraria Vallis Marinae Dioeceſis Florentinae, antiqui tituli fragmentum.

81

TERTVLLAE
ALBRICIAE

79. *Melloproximus*, qui ſequenti anno futurus erat *Proximus a rationibus*. De Proximorum varietate, & dignitate vide Iac. Gutherium de Officiis Dom. Aug. Lib. III. Cap. VII. Rariſſimus, & inſignis eſt hic titulus, atque in Theſauro antiquitatum ſingularis, ipſi Grutero ceteriſque incognitus.

In laudes huius Villae, omnium quae prope Florentiam ſunt intra primum lapidem, pulcherrimae, ac ſplendidiſſimae, in colle modice edito ſitae, paullo effuſior eſſe deberem; nam in ea, ob eiuſdem Senatoris ſingularem humanitatem, non pauca quae in lucem edidi elucubravi; verum nonnulla adiungere opere pretium duco. Purior heic aer eſt, proſpectus vero tum Florentiae, hinc & hinc fere

duplici theatro apparentis, (nam mediam discriminat arx *Belvedere* nuncupata, quae ei imminet) tum trium aliarum Urbium Etruriae Fesularum, Prati, & Pistorii, agrorum, colliumque pulcherrimorum corona longe gratissimus atque iucundissimus est. Regnatricis Gentis Mediceorum Principum hinc summa animi voluptate undecim Villae conspiciuntur. Praetereo Villas Procerum, ac civium Florentinorum, quae adeo frequentes sunt, ut continuatae aliam Urbem constituere facile possent. Praetereo insigne, & praenobile Carthusiae Coenobium, quod singularem Acciaiolae Gentis pietatem, & magnificentiam clarissime testatur. Auget huius Villae laudes aqua saluberrima, e viva scaturigine manans, levitate, ac puritate magno in pretio habenda; puteus altissimus maximo sumptu excisus in rupe, aedium amplitudo, commoda, quibus nuper egregie consuluit idem Senator clarissimus. Neque silentio praetereunda est tabula, quae Iesu Christi Nativitatem repraesentat, quaeque in Sacello conspicitur, longe elegantissima, maximoque opificio elaborata; quam, ut auctor est Georgius Vasarius in Vita Laurentii *di Credi* pictoris, pinxit Thomas Stephani filius; qui, licet immaturo fato functus, in hoc tamen opere eximium ingenii sui atque artis praestantiae specimen dedit. Hoc Sacellum quum rursus a solo excitasset, publico commodo consulens idem Senator Capponius, hoc titulo, quem ego inscripsi, exornavit.

SACELLVM NATO SERVATORI ANTIQVITVS DICATVM
PICTA TABVLA EXIMII OPERIS
FERRANTES CAPPONIVS SENATOR COMES ET EQVES
EX PRIVATO PVBLICVM A. MDCCXXX.

Anno MDXXIX. obsessa Vrbe, in hoc colle castra posuere Germani, ut omnes Historici memorant, fuitque eorum veluti arx, & praesidium: quare in pavimento ali-

quot

quot aedium huius Villae adhuc ab haſtis icti lateres conſpiciuntur, atque in huius rei memoriam ſervantur.

Ab hac Villa paullo ſuperius progreſſis Villae omnibus deliciis cultuque & elegantia refertae Patriciorum Florentinorum occurrunt, nempe Bartholomaeiorum, Rinucciniorum, Senatoris Clariſſimi, & Comitis Antonii olim Pecori, nunc Aleandri Squarcialupi, del Riccio, Mannelliorum, Samminiatorum, Guicciardiniorum, Nerliorum, & Quarateſiorum, & ea in qua praeſtantiſſimum virum Galileium Mediceas ſtellas primum omnium detexiſse, atque obſervaſse ferunt. In Villa Guicciardinia exſtant complures Urnae antiquae cinerariae, quas vulgavimus in Parte I. pag. 225. quas etiam in finitimis huius collis oris inventas tradunt. In parergo tabulae, in qua egregio opere antiquitus picta eſt femina pulcherrima, hoc diſtichon legitur.

CERNITVR HIC QVICQVID POTVIT NATVRA DEVSQ.
DELITIAS CAELI PARVA TABELLA GERIT.


In lapidea Tabula, altitudinis fere III. *Romanorum pedum, latitud. fere* IV. *in Eccleſia Plebis S. Mariae Novellae in Chianti, in regione, quae Volpaia dicitur, iuxta Caſtellum Raddae, ab Urbe Florentia ad* XX. *lapidem.*

82 ✠ DE DONIS DI. ET BEATI QVIRICI:
EGO: IOHĀN: INDIG. PPB. FIERI: ROGAVI

82. Ita interpretatur: ✠ *De Donis Dei et Beati Quirici Ego Iohannes indignus Presbyter fieri rogavi.* De hac ſolemni formula adhibita in antiquis Eccleſiae monumentis, quae donationes ſacras, vel ſacrorum locorum inſtaurationes, novorumque aedificiorum dedicationem continet, conſulendus vir iudicio, & eruditione praeſtantiſſimus Iuſtus Fontaninus Archiepiſcopus Ancyranus in Commentario in Diſcum votivum Chriſtianum Cap. XV. & XVI. Hanc inſcriptio-

ptionem primus invenit, & mecum perhumaniter communicavit Ioannes Baptista Dei Florentinus, patriarum antiquitatum studiosissimus.

In Sepulcro marmoreo quadrato, capitibus arietum in angulis exornato, apud Plebanum Ripulensem in Agro Florentino; nunc vero desideratur.


83

ANTHIDI
L . ANNAEI
BLASTI . VERNAE
V. A. X. M. IX. D. XI.

In Coemeterio S. Michaelis a Luciano in Agro Florentino inter Malmantilem, & Montem Lupum prope Villam Nobilium Virorum de Antinoris.


84

T. QVINTIVS T. F
FLAMINIVS
COS
PISAS

PISIS, in AEde S. Silvestri.

85

DIS . MANIBVS
VITELLIAI . DIODOTAI

In Agro Pisano, in Urna in Domo Praepositurae S. Frigdiani ad VII. *lap.*

86

D . M
Q . MINVCI RESTITVTI
SEV . AVG . FEC
Q. MINVCIVS HERMES PAT
RI FEC . QVI V . A . XLV.

84. Columna miliaria videtur, eruditissimo Henrico Norisio, qui de Pisanorum Colonia luculenter egit, ignota. Hanc mecum communicavit Cl. V. Ioseph Brocchius S. T. D. & Florentini Seminarii Praefectus vigilantissimus.

In

In lapide dextero ostii Ecclesiae S. Bartholomaei ad Campianum trans Fucecchio *in marmore.*

87

TI. IVLIVS RHO
PROCVRAT
IANVARIVS
QVI ♂ VIXIT ♂ ANN
.. ..

Inter Pisas, & Volaterras, ex antiquo Codice MS. lapidis fragmentum.

88

C. CILNIO . CI ..
ITEM PROVIN..
||||||||||| AGENTE
HADRIANIA

In Agro Pisano, ex MS. Bibliothecae C. V. Marchionis Alexandri Gregorii Capponii, Fororii Maioris Apostolici.

89

MATHILDIS . COMITISSA . INSIGNIS . OB . HVMA
NAM . VALETVDINEM . INSTAVRANDAM . PRE
SERVANDAMQ. MONEA . HEC . AB . AQVIS . ET
SALVBRIA . BALNEA . IN . OMNIGENVM . HOMIN
VM . VSV . OMNI . CVM . ORNATV . CVLTVQ.
DICAVIT . K . A

ARRETII, in arca marmorea, in qua corpus quod in ea positum erat adhuc integrum est Regii; ex MS. Codice Redio pag. 94.


90

D . M
L : VETTIVS FROREN
NVS EX PRAESIDIBVS SINGVLARIS
INNOCENTIAE VIR VIXIT AN. XXVII
MENS VIIII . DIEB. VIII

VO-


VOLATERRIS, in AEdibus Nobilium DD. Comitum Guidiorum.

91


FESTAE
V. A. VII. M. II
D XXIII
QVIETVS. ET QVI
ETA . PARENTES


Volaterris, apud D. Eq. Iohannem Falconcinium.

92


D M
P L A G A L L o
M A X I M I N o
L A V C V N N I
A F E L I C I T A S
C O N I V G I
B M


In Agro V.laterrano in Vil'a Berz ghel iorum.

93


DIS MANIBVS
Q. CAECILI CELERIS
NAEVIAE IADI


Ibidem.

94


V . F
VENVLEIA PVRALLA
RESTITVTAE F.
ET SIBI. ET SVIS

Ibidem.

95


SEX . L . PHILODAMVS
VIVOS FECIT
SVETONIAE SEX . L .
ZOPHONAE LIBER .
LIBERTABVS.POSTERISQ.EORVM

96

Sequentes quatuor inscriptiones sub anaglyphis marmoreis Musei Medicei sculptae, nunc vix leguntur, ex Schedis Andreiniis.

96

ΑΝΤΙΟΧΕ ΑΛΕΞΑΝ
ΔΡΟΥ ΛΑΟΔΙΚΕΙ
ΧΡΗΣΤΗ ΧΑΙΡΕ

97

ΕΥΠΟΛΕΜΟΣ
ΔΕΙΟΡΑΣΟΥ

98

ΕΥΚΛΕΑ ΑΓΑΘΩΝΟΣ
ΓΥΝΗ ΔΕ ΑΡΙΣΤΟΔΕΜΟΥ

99

ΣΩΣΙΜΗΑΤΙΜΟΔΩ
ΡΟΥΓΥΝΕΔΕ ΑΤΤΑΛΟΥ
ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ

In aeneo sigillo apud Nob. V. Franciscum Oricellarium.

100

C. PACONI . C F
EPICRATES

In duobus sigillis aer. apud Dominicum M. Mannium.

101 VERIS

102 .VT F.



APPROBATIONES.

Admodum Rev. Lucas Ioseph Cerracchini S. Th. D. & Academicus Flor. videat hanc alteram Partem *Inscriptionum antiquarum, quae in Etruriae Urbibus exstant*, & referat, &c. Datum ex Archiepisc. Palatio die XXVI. Maii an. MDCCXXVIII.

Horatius Mazzei Vicarius Generalis.

Illustrissime, & Reverendissime Domine.

Egregium hoc opus, omnigena eruditione refertum, attente legi, quo optime de litteraria republica meritus est eruditissimus Adm. Rev. D. Antonius Franciscus Gorius: & cum nihil contineat vel Catholicae Fidei obnoxium, vel pravis moribus adversum, praelo dignum censeo; in quorum fidem scripsi Prid. Idus Iul. MDCCXXVIII.

Dominationis tuae Illustrissimae, ac Reverendissimae

Lucas Ioseph Cerracchini Acad. Flor. ac S. Th. D.

Imprimatur.

Horatius Mazzei Vicarius Generalis.

Ordine, & commissione Reverendiss. Patrii Magistri Vincentii de Comitibus a Bergomo Ord. Min. Conv. Inquisitoris Generalis S. Off. Flor. Adm. Rev. D. Angelus M. Ricci S. Th. D. videat hunc Librum, &c. & referat an typis mandari possit.
Dat. in Off. S. Inquis. Flor. die XX. Iulii MDCCXXVIII.

Magister Fr. Ioseph M. Pesenti Min. Conv.
Vic. Gen. S. Off. Flor.

Reverendissime Pater.

Nihil absonum a Catholica Fide, bonisque moribus adversum in hisce antiquis monumentis reperi, sed omnia eruditionis plena; quare typis mandari posse censeo.

Angelus M. Riccius S. Th. D.

Attenta supradicta atteſtatione imprimatur.

Magister Fr. Ioseph M. Pesenti Min. Conv.
Vicarius Generalis S. Off. Flor.

Imprimatur.

Ph. Bonarota Senator R. C. Auditor.

